DAVIDIS DERODONIS PHILOSOPHIA CONTRACTA.

Editio Secunda, cui acceſſit Ethica, cum Diſputatione de libertate.



GENEVÆ,

Sumptibus Ioannis Antonii Chouët.

M. DC. LXXXI.

INDEX CAPITVM,

QVÆ IN HAC PRIMA PARTE

Philoſophiæ Contractæ continentur.

INDEX CAPITVM

HVIVS SECVNDÆ PARTIS

Philoſophiæ Contractæ.

INDEX CAPITVM

FINIS.

INDEX CAPITVM CONTENTORVM
in hac tertiâ parte Philosophiæ Contractæ.

INDEX CAPITVM.

FINIS.

PROOEMIVM PHILOSOPHIÆ.

HOC Procemio, nomen, definitio, obiectum, causæ, vtilitas & diuisio Philosophiæ explicantur.

Philosophia quoad nomen sonat amorem sapientiæ, cùm sit nomen compositum ex φιλία id est amor & σοφία id est sapientia; non tamen est realiter amor sapientiæ; quia amor pertinet ad voluntatem, Philosophia verò cùm sit discursiua pertinet ad intellectum; & amor sapientiæ in omnibus hominibus reperitur, Philosophia verò in quibusdam tantùm.

2. Nomen Sophi, septem Græciæ Sophis seu sapientibus potissimùm est datum, nomen verò Philosophi, inventum est à Pythagora Samio, qui in Italiam profectus, & interrogatus à Leontio Phliasiorum Rege quam artem profiteretur, respondit se artem scire nullam, nec esse sophum, sed Philosophum.

3. Vocabulum sapientiæ à sensu gustus, cujus est proprium sapere ad intellectum traductum est. Sumitur autem potissimùm sex modis, 1. pro omniscientia quæ in solo Deo reperitur, juxta illud Pauli 1. ad Tim. 1. *Regi sæculorum immortali & invisibili, soli sapienti Deo sit honor & gloria.* 2°. Pro scientia rerum difficillimarum, altissimarum & præstantissimarum, qualis est scientia de Deo, vnde Theologia rectè dicitur sapientia 3°. Pro quolibet habitu perfecto aut artis peritia, sic Arist. libro 6. Eth. cap. 7. his verbis, *Sapientiam in artibus ijs tribuere consuevimus, qui absolutissimi in ijs sunt, vnde Phidiam sapientem marmorarium, Polycletum sapientem statuarium dicimus, nihil aliud sapientiæ nomine significantes quàm ipsius artis perfectionem & peritiam.* 4°. Pro prudentia aut virtute morali, quo pacto hominem prudentem & virtute præditum vulgò vocamus sapientem. 5° Pro habitu conflato ex intelligentia & scientia, vbi nomen intelligentiæ sumitur, vel pro habitu primorum principiorum, vel

pro habitu quorumlibet principiorum; nomen verò scientiæ pro habitu conclusionum. Principia sunt hoc loco ea à quibus pendent aliquo modo conclusiones, qualia sunt antecedentia in qualibet argumentatione, putà major & minor in syllogismo: prima verò principia dicuntur ea, quæ ita clara sunt vt per alia notiora probari non possint, qualia sunt axiomata vbique terrarum recepta, vt impossibile est idem simul esse & non esse, Totum est majus sua parte &c. 6. pro Philosophia.

4. Philosophia distingui solet in naturalem & artificialem. Philosophia naturalis hoc loco sumitur pro facultate discurrendi seu ratiocinandi cuilibet homini congenita, vel pro solertia mentis in discurrendo, aliàs tamen sumitur, vel pro Physica, quæ agit de corporibus naturalibus, vel pro Philosophia naturali lumine acquisita, vel pro disciplina quę agit de aliqua natura seu ente, in genere naturæ seu entis, non autem in genere moris aut alio modo factibilis; quo pacto quidam dividunt Philosophiam, in rationalem, moralem & naturalem, vt inf. à. Philosophia artificialis è contra dicitur ea quæ non est homini congenita, & est vel infusa à Deo, vel acquisita, siue doctrina à Præceptoribus tradita, siue propria industria vel inuentione duntaxat.

5. Philosophia Artificialis distinguitur, in habitualem, actualem & objectiuam. Philosophia objectiva sunt res omnes quæ tractantur in Philosophia. Philosophia actualis est cognitio ejusmodi rerum, Philosophia verò habitualis est facilitas cognoscendi illas. Inde fit vt Professores Philosophiæ doceant Philosophiam quam non habent, scilicet Philosophiam objectiuam, & habeant Philosophiam quam non docent, scilicet Philosophiam actualem & habitualem, licèt similem producant in animis auditorum.

DE DEFINITIONE PHILOSOPHIÆ.

6. PHilosophia sumitur propriè prout est totum aggregatiuum seu collectiuum, & describitur collectio disciplinarum euidenter discursiuarum; ille enim propriè tantùm dicitur Philosophus qui habet omnes partes Philosophiæ: Impropriè tamen sumitur prout est totum essentiale metaphysicum, & definitur habitus euidenter discurrendi de rebus, & sic quilibet actus Philosophicus facilè exercitus dicitur bona aut recta Philosophia, & Physica dicitur Philosophia naturalis, Ethica dicitur Philosophia moralis &c.

7. Discursus seu argumentatio aut ratiocinatio distinguitur in objectiuum & formalem: discursus objectiuus est complexio rei probantis & rei probatæ, vt ignis vrit, ergo ignis est calidus; res probans aliter dicitur antece-

antecedens, & res probata dicitur consequens; quibus addi potest consequentia, consistens in connexione aut identitate medij cum extremis. Discursus formalis est cognitio discursus objectiui, qui differt ab intuitu, quòd intuitus sit cognitio simultanea rerum, purà cognitio causæ & effectus simul, qualis est in Deo qui simul ab æterno omnia cognoscit; discursus verò sit cognitio vnius orta ex cognitione alterius, scilicet cognitio consequentis orta ex cognitione antecedentis.

8 Discursus formalis, vel euidens, vel ineuidens est; Discursus ineuidēs dicitur ille qui nititur ratione probabili aut desumptà à testimonio authoritate & voluntate alterius. Discursus verò euidens dicitur ille qui nititur sensatione, experientia aut ratione naturali necessaria. Discursus autem formalis euidens est actus Philosophiæ seu Philosophia actualis, sicut discursus objectiuus euidens est objectum Philosophiæ seu Philosophia objectiua.

9 Habitus est facilitas operandi non congenita, vel id quod dat ejusmodi facilitatem; & ideo habitus Philosophiæ est facilitas euidenter discurrendi de rebus, vel id quod dat ejusmodi facilitatem.

10 Res hoc loco sumuntur pro iis quæ conueniunt rebus, putà homo & ignis sumuntur in Philosophia pro iis quæ conueniūt homini, & igni; sic cognoscere hominem, est cognoscere ea quæ conueniunt homini, scilicet quòd sit rationalis aut risibilis; & cognoscere ignē est cognoscere ea quæ cōueniunt igni, scilicet quòd sit calidus aut siccus. Res autem sic sumptæ cū suis attributis cōtinent omnia principia & omnes conclusiones Philosophiæ; atq; adeò omnes discursus objectiuos Philosophiæ.

11 Si quis nomine Philosophiæ velit comprehendere non tantùm habitum euidenter discurrendi seu argumentandi, sed etiam definiendi & diuidendi, poterit hoc pacto definire Philosophiam, scilicet, quòd sit habitus euidenter disserendi de rebus, disserere enim est ex noto ignotum patefacere, quod fit potissimùm tribus modis, scilicet definiendo, diuidendo, & argumentando, vt infra.

12 Ab aliis Philosophia definitur, cognitio rerum diuinarum & humanarum, ab aliis verò, cognitio rerum vt sunt id est per causas &c. Contra has definitiones. Dico 1°. In iis omitti differentiam essentialem consistentem in eo quòd sit euidenter discursiua. Dico 2°. Philosophiam malè dici cognitionem, cùm cognitio sit nomen actus, Philosophia verò sit nomen habitus. Dico 3°. primam definitionē nulli parti Philosophię conuenire, cùm nulla tractet de rebus diuinis & humanis simul, Ethica enim tractat solùm de actionibus humanis per pręcepta moralia dirigendis; Pneumatica tractat tantùm de rebus diuinis, scilicet de Deo & Angelis: Metaphysica verò de neutris, cùm tractet tantùm de iis quæ sunt communia rebus diuinis & humanis. Dico quartò primam definitionem non conuenire soli Philosophiæ, cùm conueniat Deo & Theologo, qui cognoscunt res diuinas & humanas & tamen non sunt Philosophi, eò quòd Deus non discurrat, & Theologus non discurrat euidenter. Dico 5°. Cognitionem

rerum, vt sunt, non esse legitimam definitionem philosophiæ, quia Deus & Theologus cognoscunt res vt sunt & tamen non sunt philosophi ob rationes suprà allatas: & revera cognitio rerum vt sunt, nihil aliud est quàm cognitio vera, siquidem verè cognoscere rem, est eam cognoscere vt est, putà cognoscere ignem vt calidum est cognoscere ignem vt est; At vera rerum cognitio, non est legitima definitio philosophiæ, cum Diuinæ & Theologicæ realiter conueniat, quæ non sunt philosophicæ. Dico sextò cognitionem rerum vt sunt, malè explicari per cognitionem rerum per causas, nam Deus cognoscit res vt sunt qui tamen non eas cognoscit per causas, eò quòd ex cognitione causarum non veniat in cognitionem rerum aut effectuum, sed simul cognoscat Res & earum causas. Dico septimò cognitionem rerum per causas non esse legitimam definitionem philosophiæ, alioqui sequeretur, cognitiones rerum per effectus non esse philosophicas.

13. Objectio 1. Malè ponitur habitus in definitione philosophiæ, cùm sit obscurior ipsa, & dici non possit in quo consistat; & malè ponitur qualitas in definitione habitus, cum sit obscurior ipso & non possit definiri. Respondetur qualitatem esse notiorem habitu, & habitum esse notiorem philosophia, & suis locis vtriusque definitionem nos tradituros.

14 Objectio 2. Philosophia agit de iis quæ non sunt res, scilicet de Infinito in Physicis & de ente rationis in Metaphisicis. Resp. agere de iis, non per se, sed per accidens, non vt adstruantur sed vt destruantur, vel vt meliùs intelligatur doctrina de quantitate finita & de ente reali.

15 Objectio 3. Malè ponitur vocabulum discurrendi in definitione philosophiæ, cùm sit vocabulum metaphoricum & improprium significans propriè huc & illuc currere; definito autem debeat tradi per terminos proprios & non figuratos. Respondetur definitionem posse tradi per terminos figuratos & improprios, quando sunt magis in vsu in significatione figurata quàm in propria, qualis est terminus discurrendi.

16 Objectio 4. Non entis nullæ sunt effectiones aut affectiones, atque adeo nec definitiones; sed philosophia non est ens, cùm nullibi existat, eò quòd non reperiatur in hominibus, qui nihil ferè cognoscunt de angelis præter eorum existentiam, qui innumeras corporum species ignorant, & specierum cognitarum proprietates cognitas per rationes euidentes demonstrare non possunt.

17 Respondetur 1°. Non entis non dari definitionem, si sit non ens aut nihil purum, id est, si nec sit nec esse possit, at non entis dari definitionem, licèt non sit ens actu existens modò possit existere, putà licèt nullus esset ignis, attamen ignis rectè definiretur, elementum calidissimum; quia in definitionibus non habetur ratio existentiæ actualis, sed essentiæ rei sumptæ pro eo quod conuenit rei & constituit ipsam, siue actu, siue potentia tantùm existat: & hoc loco non definitur philosophia in concreto & provt in subjecto existens, sed in abstracto, & secundùm ea quæ ei conueniunt ex natura sua.

Respon-

17 Respondetur 2°. Dari philosophiam, sed valde diminutam & imperfectam: dari Philosophiam patet ex eo quòd habeamus certam & euidentem notitiam multarum rerum per proprias ipsarum causas aut effectus, putà eclipsim lunæ contingere propter interpositionem terræ inter solem & lunam; mixta esse corruptibilia, quia constant qualitatibus contrariis, actiones virtutum esse laudabiles, quia sunt conformes rectæ rationi: Dari philosophiam valde imperfectam patet ex iis quæ dicta sunt in objectione.

18 Objectio 5. Nihil definitur per id quod est idem cum ipso cùm nihil explicetur per se ipsum, sed per aliud; At habitus euidenter discursiuus, est idem cum philosophia, Ergo, &c. Respondetur rem definiri per id quod est idem cum ipso intrinsecè, licèt non sit idem extrinsecè, id est licèt non explicetur per eadem extrinseca connotata: Extrinsecum autem connotatum habitus euidenter discursiui est facilitatio discursus petiti à rationibus naturalibus in experientia fundatis; Extrinsecum verò connotatum philosophiæ est insignis cognitio rei; & intrinsecum vtriusque est principium talis facilitationis & talis insignis cognitionis.

19 Denique definitum & definitio distinguuntur tanquam totum confusè cognitum, & partes distinctè cognitas.

20 Objectio 6. Definitio debet constare genere proximo; at habitus est genus remotum philosophiæ; proximum verò est habitus intellectualis verus, qui est quid commune Philosophiæ & Theologiæ Adde quòd definitio non debeat constare genere, cùm genus non explicet rem vt talem. Respondetur Genus exprimi nomine substantiuo, nullum autem substantiuum immediatiùs prædicatur de philosophia quàm habitus; habitus verò intellectualis verus, non est genus simpliciter & præcisè, sed est genus cum differentiis genericis quæ tria si possent exprimi, vno nomine substantiuo; tunc substantiuum illud esset genus proximum philosophiæ præferendum habitui & genus non est ponendum in definitione, quando non tenet locum partialis differentiæ, ponendum verò si teneat; at habitus in definitione Philosophiæ, tenet locum partialis differentiæ, cùm eam distinguat à Philosophia naturali.

DE OBIECTO PHILOSOPHIÆ.

21 Objectum est id circa quod aliquid occupatur, vt color respectu visus, & in disciplinis distinguitur 1°. In materiale & formale: materiale est res considerata, formale verò est modus considerandi ipsam, putà corpus humanum est objectum materiale Physicæ & quatenus sanandum est objectum formale.

22 Secundò Objectum distinguitur in objectum quod, & objectum quo, & vtrumque in complexum & incomplexum: Objectum quod

Complexum est conclusio, Incomplexum est subjectum conclusionis, imò & prædicatum ejus, cùm non minus objiciatur intellectui quàm subjectum. Objectum quo complexum est antecedens; Incomplexum verò est medium contentum in antecedente: Ex vtroque autem objecto complexo, scilicet ex antecedente & consequente objectiuo, fit discursus objectiuus in communi, qui est objectum legitimum disciplinæ. Cæterùm objectum dicitur complexum aut incomplexum, quia complectitur aut non complectitur affirmationem & negationem objectiuam, scilicet identitatem subjecti & prædicati, aut distinctionem vtriusque: Et conclusio partesque ejus dicuntur objectum quod, quia sunt id quod scitur aut demonstratur in disciplina: Antecedens verò & medium dicuntur objectum quo, quia sunt id quo probantur conclusiones.

23 Tertiò in objecto formali distingui solet triplex ratio formalis, scilicet ratio formalis quæ, ratio formalis per quam, aut propter quam, & ratio formalis sub qua; Ratio formalis quæ, seu objectum formale quod, est prædicatum conclusionis; cùm enim res considerata, quæ est subjectum conclusionis, & objectum materiale, possit habere varia prædicata aut attributa, & res eiusmodi possit considerari modò cum vno attributo, modò cum alio, fit vt res considerata cum vno attributo pertineat ad vnam disciplinam, considerata verò cum alio attributo pertineat ad aliam; verbi gratia, Corpus quod habet varia attributa, scilicet, quòd sit naturale, mensurabile, &c. Potest considerari, vel quatenus est naturale, & sic pertinet ad Physicam, vel quatenus mensurabile, & sic pertinet ad Geometriam: naturalitas est attributum corporis & ratio formalis quæ, seu objectum formale quod Physicæ; mensurabilitas verò est aliud attributum corporis, & ratio formalis quæ, seu objectum formale quod Geometriæ.

24 Ratio formalis per quam, aut propter quam, est motiuum conclusionis, id est medium quo mouetur intellectus ad assentiendum conclusioni, & dicitur objectum formale quo, aut per quod probatur conclusio, & propter quod intellectus assentitur conclusioni: talis autem ratio formalis per quam, rectè dicitur objectum formale distinguens vnam disciplinam aut habitum ab aliis, quia interdum accidit vt tota conclusio, complectens objectum materiale & formale quod, pertineat ad plures disciplinas aut habitus, putà hæc conclusio, Ergo Deus est æternus, pertinet ad Theologiam naturalem, & ad habitum fidei, secundùm diuersas rationes formales per quas potest probari, si enim probetur ratione naturali scilicet quia est immutabilis, pertinet ad Theologiam naturalem, si verò probetur authoritate scilicet quia Deus hoc dixit, pertinet ad habitum fidei: tali autem casu conclusio integra tenet locum objecti materialis, ratio verò formalis per quam, scilicet medium, tenet locum objecti formalis.

25 Ratio formalis sub qua est conditio requisita in objecto materiali vt sit objectum, quæ conditio in practicis est capacitas recipiendi formam, in

in speculatiuis est abstractio à materia, quæ quadruplex est, scilicet Physica, Metaphysica, Mathematica & Pneumatica. Abstractio Physica est abstractio à materia singulari, sed non ab vniuersali & sensibili: Abstractio Mathematica, est abstractio à materia singulari vniuersali & sensibili, sed non intelligibili quæ est quantitas. Abstractio Pneumatica est, abstractio ab omni materia, realiter & essentialiter. Abstractio Metaphysica est abstractio ab omni materia secundum indifferentiam. Abstractio hîc est, consideratio rei non considerata certa materia.

26. Secundum aliquos objectum formale est quod propter se attingitur ab actu, materiale verò quod propter aliud; putà quando Medicus, intendit sanitatem & propter eam vult venæ scissionem, sanitas est objectum formale, & venæ scissio est objectum materiale, sic quando quis assentitur conclusioni propter præmissas, conclusio dicitur objectum materiale, præmissæ verò seu propositiones sunt objectum formale.

27. Quartò objectum distingui solet in proximum & remotum, proximum dicitur illud, quod immediatè attingitur ab actu, vt color respectu visus, remotum verò quod mediante proximo attingitur ab actu, vt paries qui mediante colore videtur.

28. Quintò objectum vel per se, vel per accidens: Objectum per accidēs dicitur illud quod tractatur in gratiam alterius, vt ens rationis, quod tractatur in Metaphysica vt meliùs intelligatur doctrina de ente reali. Objectum per se est quod tractatur sui gratia: estque vel adæquatum, seu totale vel inadæquatum seu partiale. Objectum per se adæquatum est illud quod terminat omnes actus proprios alicujus disciplinæ aut potentiæ, vt Deus in Theologia, sonus respectu auditus. Objectum verò per se inadæquatum est illud quod terminat tantùm actus aliquos disciplinæ aut potentiæ, vt definitio in Logica, albedo respectu visus: estque vel principale quod est nobilissima pars objecti adæquati, vt demonstratio in Logica; vel minùs principale quòd est quælibet alia pars objecti adæquati vt enunciatio in Logica.

29 Sextò objectum vel attributionis vel attributum. Illud est ad cujus perfectam cognitionem, cæterorum objectorum cognitiones ordinantur, vt demonstratio in Logica, hoc verò est cujus cognitio per se ordinatur ad cognitionem objecti attributionis vt enunciatio in Logica.

30 His suppositis dico primò, objectum quod complexum Philosophię esse cōclusionem Philosophicam objectiuam in communi; Incomplexum verò, esse subjectum aut prædicatum conclusionis ejusmodi; objectum quo complexum esse antecedens objectiuum euidens in communi; Incomplexum verò esse medium in communi contentum in tali antecedente, objectum per se adæquatum, esse discursum objectiuum evidentem in communi vel res omnes cum attributis. Objectum materiale, esse res omnes, formale quatenus sub discursum euidentem cadunt, & objectum per se adæquatum & legitimum esse res omnes, quatenus sub discursum euidentem cadunt. Objectum principale esse Deum, minus principale quamlibet aliam rem.

DE CAVSIS PHILOSOPHIÆ.

31. Materia ex qua Philosophiæ, sunt ejus partes: materia in qua seu subjectum in quo recipitur Philosophia est solus intellectus humanus, qui solus est rationalis seu discursivus: materia circa quam est objectum. Forma Philosophiæ est ejus differentia essentialis.

32. Causa efficiens Philosophiæ quoad infusionem est solus Deus; quoad doctrinam soli Præceptores aut Professores; quoad inventionem varij Philosophi Græci aut Ægyptij. Inventa autem vel potiùs restaurata est Philosophia admiratione, & experientiâ: Admiratio est consideratio rei cum stupore: experientia verò est certa cognitio alicujus rei orta ex multiplici obseruatione illius, estque vel directa quæ est cognitio rei, vel reflexa quæ est examen prioris cognitionis. Quod admiratio sit causa Philosophiæ inventæ saltem indirectè & occasionaliter, patet ex eo quòd admiratio tria comprehendat, scilicet cognitionem rei, ignorantium causæ, & desiderium causæ cognoscendæ; at sine his tribus viri solertes nunquam moti fuissent ad Philosophiam restaurandam. Quòd experientia fuerit causa directa formalis & proxima philosophiæ inventæ aut restauratæ probatur, quia ab experientia proximè dependent principia propria & conclusiones omnium artium & scientiarum.

33. Finis Philosophiæ est discursus actualis evidens perfectus, quia omnis habitus est propter actus perfectos; actum perfectum voco, qui procedit ab habitu & est cum tota facilitate requisita, imperfectum verò qui præcedit habitum & non est cum tota facilitate requisita.

DE VTILITATE PHILOSOPHIÆ.

34. Vtilitas generalis Philosophiæ petitur ex eo quòd rationem naturalem errantem corrigat, dubitantem confirmet, obscuratam illustret, decipientem detegat, in Dei & nostri cognitionem deducat & animos præparet ad disciplinas superiores addiscendas. Vtilitas autem Philosophiæ specialis petenda est ex vtilitate partium ejus, de qua suis locis.

35. Objicies primò, Philosophiam esse potiùs noxiam quàm vtilem, cum ex Apostolo scientia inflet, & Philosophia decipiat & seducat. Respondetur scientiam inflare, nón per se, sed per accidens, ob corruptioné ejus in quo est: Apostolum vero loqui de vana, non autem de vera Philo-

so-

sophia: at vana Philosophia non est Philosophia, sicut homo pictus non est homo.

36. Objicies secundò, principia Philosophiæ repugnare Theologię; hoc enim principium Physicum, ex nihilo nihil fit, & hoc principium Arithmeticum, tres non sunt vnum, repugnant Theologiæ quæ docet mũdum ex nihilo productum à Deo, & tres personas esse vnum Deum. Respondetur, principia allata simpliciter sumpta & sine limitatione esse falsa, & ideò non esse Philosophica; sicque esse limitanda, ex nihilo nihil fit naturaliter, sed omnia facta sunt ex nihilo supernaturaliter; tres non sunt vnum eâ ratione quâ sunt tres, id est tres personæ non sunt vna persona, sed sunt vnum in essentia.

DE DIVISIONE PHILOSOPHIÆ.

37. Philosophia diuiditur in speculatiuam & practicam: Speculatiua quæ aliter dicitur Theoretica & contemplatiua dicitur ea quæ habet pro fine vltimo cognitionem sui objecti, & ideo sistit in ejus cognitione nullâque tradit præcepta ipsum conficiendi, vt Physica respectu corporis naturalis: Practica verò dicitur ea quæ habet pro fine vltimo operationem, & ideo non sistit in cognitione sui objecti, sed eam refert ad Praxim, sive faciendo objectum suum, sive tradendo præcepta ipsum conficiendi vt Ethica respectu actionis honestæ. Hinc fit vt speculatio sit mera cognitio objecti, praxis vero sit productio objecti juxta præcepta, licèt strictè sumatur pro actione morali.

38. Philosophia speculatiua diuiditur in Logicam, Pneumaticam, Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam: Practica verò in Actiuam quæ habet pro fine vltimo actionem, & effectiuam quæ habet pro fine vltimo effectionem Actio est praxis seu operatio interna & insensibilis, vt actio honesta voluntatis: Effectio vero est praxis seu operatio externa & sensibilis vt ædificatio. Apud Aristotelem actio & praxis ordinariè sumuntur pro actione morali duntaxat, & interdum pro operatione non relinquente opus post se, vt saltatio in numeros; effectio verò sumitur ab eo ordinariè pro operatione quæ relinquit opus post se, vt ædificatio, & pro qualibet actione non morali: Philosophia Actiua est Ethica; Effectiua verò complectitur omnes Artes architectonicas seu imperantes quæ reddunt rationem suorum præceptorum & operum, non autem seruiles seu obsequentes quæ non reddunt rationem suorum operum.

39. Ex superioribus patet non habere locum in Philosophia 1. Astrologiam Iudiciariã, cujus conjectationes incertę, vanę & superstitiosæ sunt, vt probabitur in Physicis. 2. Magiam occultã quæ solo pacto diabolico nititur. 3. Iurisprudentiam quę non discursu euidenti, sed fide humana & legum ac Principum authoritate nititur, si autem in aliquo discurrat eui-

denter id totum habet ab Ethica. 4. Theologiam reuelatam, quæ nititur solâ authoritate diuina. 5. Medicinam quæ reducitur ad Physicam ratione principiorum quæ ab illa mutuatur, vel ad artem ratione præceptorum de sanitate conferenda aut conseruanda.

PROOEMIVM
LOGICÆ.

1. HOC proœmio nomen, definitio, objectum, genus, causæ, necessitas, & diuisio Logicæ explicantur. Logica derivatur à Græco λόγος idest sermo, quia agit de sermone objectiuo in communi, & dirigit sermonem internum, vt probabitur infrà. Aliter vocatur Dialectica quæ derivatur à Græco διαλέγεσθαι idest disserere, quia tradit præcepta bene disserendi, idest bene definiendi, dividendi, & argumentandi, licèt interdum sumatur strictè pro illa parte Logicæ quæ tradit tantùm præcepta probabiliter disserendi.

2. Logica distinguitur in naturalem, quæ est facultas disserendi homini congenita, & secundum alios est solertia mentis in disserendo; & artificialem quæ est habitus disserendi arte acquisitus aut infusus, & distingui solet in docentem, vtentem, & discursiuam; & hæ omnes in habitualem, actualem & objectiuam, quæ identificantur cum objecto, actu & habitu earum.

3. Logica docens tradit præcepta bene disserendi, qualia sunt ista, definitio debet esse adæquata definito, Syllogismus debet constare tribus terminis &c. Logica vtens disserit secundum præcepta. Logica verò discursiua probat præcepta per rationes euidentes, de qua in posterum agemus.

DE DEFINITIONE LOGICÆ.

4. Logica definitur scientia de modis disserendi objectiuis in communi. Modus disserendi distinguitur, in formalem & objectiuum, & vterque in simplicem & compositum. Modus disserendi compositus sunt duæ res quarum vna manifestat alterā, vt vestigium leporis &

tran situs.

transitus ejus; simplex verò est res illa quæ manifestat alteram, vt vestigium leporis quod manifestat ejus transitum. Modus differendi formalis est cognitio objectivi. Differere formaliter est cognoscere duas res quarum vna manifestat alteram, vel est ex noto ignotum patefacere, quod fit potissimum tribus modis, scilicet: definiendo, diuidendo, & argumentando, quibus alij addunt enunciando, & methodo disponendo: Et ideo triplex est modus differendi, scilicet, definitio, divisio, & argumentatio.

5 Definitio objectiva simplex est res definiens, vt animal rationale quod definit hominem; definitio verò formalis simplex est cognitio rei definientis, putà cognitio animalis rationalis. Definitio objectiua composita est complexio rei definientis & rei definitæ, vt homo est animal rationale; definitio verò formalis composita est cognitio rei definientis & definitæ, vt cognitio quòd homo sit animal rationale. Definitio meliùs dicitur de simplici. Cæterùm in definiendo res definiens est nota seu manifestans, & definitum est ignotum seu manifestatum.

6 Divisio objectiva simplex est res dividens scilicet partes quæ dividunt totum, putà corpus & anima rationalis quæ dividunt hominem; divisio verò formalis simplex, est cognitio partium. Divisio objectiua composita est complexio rei diuidentis & diuisæ, scilicet complexio totius & partium, vt cum homo diuiditur in corpus & animam; diuisio verò formalis composita est cognitio quòd totum diuiditur in partes. Cæterùm in diuidendo partes sunt notæ, totum est ignotum.

7. Argumentatio objectiua simplex est res probans, scilicet antecedens, formalis verò simplex est cognitio antecedentis. Argumentatio objectiua composita, est complexio rei probantis & probatæ, seu complexio antecedentis & consequentis; formalis verò est cognitio antecedentis & consequentis; putà ignis vrit, ergo est calidus, est argumentatio objectiua composita; cognitio quòd ignis vrit, & ideo est calidus, est argumentatio formalis composita; ignis vrit est argumentatio objectiua simplex; cognitio verò quòd ignis vrit est argumentatio formalis simplex. Argumentatio meliùs dicitur de composita. Cæterùm in argumentando antecedens est notum, & consequens ignotum.

8. Enunciatio objectiua sunt duæ res de quibus judicium fertur, quæ duæ res communiter vocantur subjectum & prædicatum: Enunciatio verò formalis est judicium de ejusmodi rebus: In enunciando autem, subjectum dicitur ignotum, prædicatum verò dicitur notum, quia manifestat subjectum sub aliqua noua ratione.

9. Modus differendi vocalis & scriptus sunt voces & scripta significantia duas res quarum vna manifestat alteram, & reuocantur ad modum differendi formalem.

10. Modus differendi objectiuus in communi constat rebus vniuersalibus in communi. Modus verò differendi objectiuus in particulari constat rebus vniuersalibus in particulari. Modus differendi formalis in communi & in particulari, est cognitio modi differendi objectiui in com-

muni & in particulari.

11. Res singularis est ea de qua non possunt esse plura, vt Deus, hic homo, hic Sol &c. Res verò vniuersales est ea de qua possunt esse plura, vt homo, Sol &c. Res vniuersalis in particulari sunt illæ quæ ponuntur tantùm in vno prædicamento, vt homo qui ponitur tantùm in prædicamento substantiæ, quibus adduntur quatuor vulgata transcendentia, scilicet, ens, vnum, verum, bonum: Res vero vniuersales in communi sunt illæ quæ vagantur per omnia prædicamenta, exceptis transcendentibus, vt genus & species, totum & pars &c. Res vniuersales in communi tractantur in Logica; res verò vniuersales in particulari tractantur in aliis scientiis.

12. Quomodo Logica sit scientia & non, dicetur infrà dum de genere Logicæ particula vero *de* posita in definitione Logicæ, notat relationem transcendentalem seu essentialem Logicæ ad modos disserendi objectiuos in communi.

DE OBIECTO LOGICÆ.

13. Objectum Logicæ docentis sunt præcepta Logicæ: Actus ejus est cognitio ejusmodi præceptorum: habitus verò illius est facilitas cognoscendi illa. Objectum Logicæ vtentis sunt definitiones, diuisiones, & argumentationes objectiuæ in particulari, quatenus cognitæ juxta præcepta: Actus ejus est cognitio talis objecti: habitus verò est facilitas cognoscendi illud. Vnde patet Logicam docentem & vtentem distingui realiter quoad actus & objecta; non distingui verò quoad habitum: quia qui habet facilitatem cognoscendi præcepta, nullam paritur difficultatem in vsu eorum, modò cognoscat materiam; ars tamen docens & vtens distinguuntur quoad habitum, quia diuersa est potentia dirigens & exequens. Logica autem vtens non distinguitur ab aliis disciplinis, nisi quòd in aliis disciplinis definitiones, diuisiones & argumentationes in particulari considerantur prout versantur circa certam materiam, in Logica verò vtente considerentur prout sunt juxta præcepta Logicæ docentis.

14. Objectum quod complexum Logicæ discursiuæ, sunt præcepta Logicæ; quia sunt conclusiones ejus: Objectum verò quod incomplexum ejus sunt modi disserendi objectiui in communi, quia sunt subjecta conclusionum Logicarum seu præceptorum. Objectum quo complexum Logicæ discursiuæ est antecedens objectiuum, idest propositiones quibus probantur conclusiones Logicæ seu præcepta Logicæ; objectū verò quo incomplexum ejus, est medium contentum in ejusmodi antecedente: Ex objecto autem quo complexo, & objecto quod complexo, seu ex antecedente objectiuo Logico in cōmuni & consequente objectiuo Logico in

in communi sit discursus objectiuus Logicus in communi, qui est objectum per se adæquatum & legitimum Logicæ discursiuæ. Verbi gratiâ in hoc discursu objectiuo Logico; Argumentatio pariens scientiam debet constare propositionibus necessariis & euidentibus. Sed demonstratio est argumentatio pariens scientiam; ergo demonstratio debet constare propositionibus necessariis & euidentibus. In hoc (inquam) discursu Logico, conclusio, scilicet ergo demonstratio debet constare propositionibus necessariis & euidentibus, est præceptum Logicum, & objectum quod complexum partiale Logicæ discursiuæ; subjectum conclusionis seu præcepti, scilicet demonstratio objectiua in communi est objectum quod incomplexum partiale illius; Antecedens objectiuum, scilicet hæ duæ propositiones objectiuæ, Argumentatio pariens scientiam debet constare propositionibus necessariis, & euidentibus, sed demonstratio parit scientiam; tale (inquam) antecedens objectiuum, est objectum quo complexum partiale Logicæ discursiuæ, medium verò contentum in antecedente objectiuo, scilicet argumentatio pariens scientiam, est objectum quo incomplexum partiale illius: Denique integer discursus objectiuus suprà allatus est objectum legitimum partiale illius. Actus Logicæ discursiuæ est cognitio discursus objectiui Logici in communi: habitus verò, est facilitas cognoscendi ipsum.

15. Alij volunt objectum per se adæquatum & legitimum Logicæ discursiuæ, esse modos differendi objectiuos in communi; quia secundum eos objectum legitimum alicujus disciplinæ est subjectum conclusionum talis disciplinæ, vt corpus naturale in Physica; at modi differendi objectiui in communi sunt subjecta omnium conclusionum logicarum: Ego existimo tale objectum poni posse, modò intelligatur cum attributis; sic enim comprehendit principia Logica & conclusiones Logicas, atque adeo discursus objectiuos integros Logicos.

16. Objectum materiale proximum Logicæ sunt res in communi, seu termini Logici, ex quibus fiunt modi differendi objectiui in communi: Objectum formale proximum eius, est dispositio ejusmodi rerum aut terminorum juxta præcepta Logica: Objectum verò per se adæquatum & legitimum Logicæ, comprehendens objectum materiale & formale simul, sunt modi differendi objectiui in communi, non simpliciter & præcisè, sed cum attributis vt suprà. Alij volunt objectum materiale Logicæ esse conclusiones logicas; objectum verò formale esse principia formalia Logica quibus probantur Logicæ conclusiones, vt suprà.

17. Modi differendi objectiui in communi cum attributis, sunt objectum per se adæquatum & legitimum Logicæ discursiuæ, non autem modi differendi formales aut operationes mentis; quia Logica tractat tantùm per se de modis differendi objectiuis in communi scilicet de definitione, diuisione, & argumentatione objectiua in communi, & de partibus earum, non autem de modis differendi formalibus aut operationibus mentis nisi secundariò & per accidens. Nam in prima parte Logicæ agi-

tur de prædicamentis, quæ sunt res in particulari, ex quibus fiunt modi differendi objectiui in particulari; Verùm prædicamenta tractantur tantùm per accidens in Logica, vt scilicet faciliùs vniuersalia & reliqua quæ in Logica tractantur intelligamus. In secunda parte agitur de vniuersalibus, quæ sunt res vniuersales in communi, ex quibus fiunt modi differendi objectiui in communi putà ex genere & differentia communiter dicitur fieri definitio objectiua; diuisio objectiua est generis in species aut differentias, & sæpiùs argumentamur à genere, specie, proprietatibus &c. Genus autem non est conceptus aut operatio mentis, sed res prædicabilis de pluribus specie differentibus &c. In tertia parte agitur de definitione & diuisione objectiua in communi; siquidem hæc præcepta in ea traduntur, definitio debet esse adæquata definito, debet conuerti & reciprocari cum ipso, atque adeo de eo prædicari, debet constare genere & differentia: diuisio debet esse adæquata diuiso, debet fieri in membra opposita, quæ tamen consentiant cum toto; at hæc præcepta conueniunt tantùm definitioni & diuisioni objectiuæ in communi. In quarta parte agitur de Enunciatione constante subjecto & prædicato aut negato, quæ est enunciatio objectiua in communi. In quinta parte agitur de argumentatione constante tribus terminis, scilicet minori extremo, majori extremo & medio, ita vt minus & maius extremum identificentur inter se in conclusione, quia identificata sunt cum medio in præmissis. Id autem non conuenit nisi argumentationi objectiuæ; conceptus enim, voces & scripta extremorum & medii, nec identificantur, nec subjiciuntur, nec prædicantur.

18. Nec dicas Logicam agere de modis differendi objectiuis vt objectiuis, idest quatenus subsunt modis differendi formalibus, & denominantur ab ipsis: Nam objectum conceptus formalis definiti, putà homo, & objectum conceptus formalis definitionis seu objectum definitionis formalis, putà animal rationale independenter à conceptibus formalibus & absque vllo respectu ad illos, conuertuntur & identificantur; at prout subsunt conceptibus formalibus distinctis non conuertuntur, siquidem prout subsunt conceptibus formalibus distinctis nec conuertuntur nec identificantur, cum vt sic dicant formaliter cognitiones aut conceptiones realiter distinctas, idemque dicendum de identitate præmissarum & conclusionis, de identitate generis cum speciebus &c.

19. Non tamen negandum est modos differendi objectiuos in communi esse objectum Logicæ quatenus subsunt modis differendi formalibus, si particula *quatenus*, sumatur pro conditione requisita ad hoc vt sint objectum, cum objectum non possit esse objectum actu, nisi attingatur ab actu, idest nisi cognoscatur, putà corpus naturale non est actu objectum Physicæ, nisi cognoscatur: At negandum est modos differendi objectiuos in communi esse objectum Logicæ quatenus subsunt modis differendi formalibus, si particula *quatenus* sumatur pro ratione formali quæ explicatur in Logica; non enim modi differendi formales explicantur in

Logica,

Logica, sed objectiui.

20. Notiones secundæ objectiuæ, quę ab aliis dicuntur entia rationis Logica, si sumantur cum attributis, possunt dici objectum per se Logicę; quę notiones vt intelligantur, sciendum est notiones seu intentiones, vel esse formales, vel objectiuas; & vtrasq; vel primas, vel secundas, quę sic explicantur à Philosophis. Prima notio formalis est cognitio rei secundum ea quę habet à parte rei, vt cognitio ignis, cognitio ignis calidi &c. Prima notio objectiua est res quę cognoscitur secundum ea quę habet à parte rei, vt ignis, ignis calidus &c. Secunda notio formalis est cognitio rei secundum ea quæ habet ab intellectu; secunda verò notio objectiua est id quod res habet ab intellectu, verbi gratia ex eo quòd judicauerim ignem esse calidum, & in mente mea præposuerim ignem calido, ignis acquirit quòd sit præpositus, ideft quòd sit subjectum, calidus verò acquirit quòd sit postpositus, ideſt quòd ſit prædicatum; ideo cognitio subjecti aut prædicati est secunda notio formalis, ipsum verò subjectum aut prædicatum est secunda notio objectiua.

21. Hæc est communis explicatio notionum; verùm cum nihil verè tribuatur rebus ab intellectu, quod non habeant aut habere possint à parte rei, alioquin intellectus faceret ens rationis, quod est impossibile; ideò notiones fortè sic meliùs explicantur. Primæ notiones objectiuæ sunt res in vno certo prędicamento contentæ aut vulgò transcendentes, ex quibus fiunt modi differendi objectiui in particluari, sunt etiam ipsi modi differendi objectiui in particulari, vt animal rationale, Sol lucet ergo dies est. Primę notiones formales sunt cognitiones actuales ejusmodi rerum, & ejusmodi modorum differendi objectiuorum in particulari, putà cognitio animalis rationalis. Secundæ notiones objectiuę, sunt res in communi in vno certo prædicamento non contentæ, nec vulgò transcendentes, ex quibus fiunt modi differendi objectiui in communi, sunt etiam ipsi modi differendi objectiui in communi. Secundæ notiones formales sunt cognitiones actuales ejusmodi rerum, & ejusmodi modorum differendi objectiuorum in communi.

22. Ens rationis tribus modis sumitur; primò, pro eo quod habet esse subjectiuè in intellectu, vel habet esse effectiuè ab ipso, ideſt pro eo quòd recipitur in intellectu aut efficitur ab ipso, & hoc pacto, operationes mentis, species intelligibiles, & omnes scientiæ aut disciplinæ possunt dici entia rationis, ideſt à ratione aut intellectu facta, vel in ea recepta: Secundò, pro eo quod habet tantùm esse objectiuè in intellectu, atque adeo non potest esse à parte rei. Tertiò, pro ente rationis logico quod est notio secunda objectiua, quo tantùm modo ens rationis est objectum Logicæ.

23. Argumentatio objectiua in communi est objectum per se inadæquatum seu partiale Logicæ. Demonstratio objectiua in communi est objectum principale Logicæ, quia est nobilissima pars objecti Logicæ, & est etiam objectum attributionis, quia cognitiones cæterorum obje-

ctorum ordinantur ad cognitionem talis demonstrationis. Prędicamenta, sophismata, operationes mentis, voces, & alia ejusmodi sunt tantùm objecta per accidens.

DE GENERE LOGICÆ.

24. De genere Logicæ quinque quæri possunt, scilicet an Logica sit scientia, an sit ars, an sit facultas, an sit instrumentum, an sit pars Philosophiæ.

25. Ad solutionem primę quęstionis, scilicet an Logica sit scientia, notandum est quęstionum tantùm esse de Logica discursiua: Et pręterea notandum est scientiam sumi potissimùm quatuor modis. 1. Pro quolibet habitu vero, aut cognitione vera: & sic Rustici dicunt se scire rem aliquam, si eam verè cognoscant. 2. Pro habitu euidenter discursiuo, vel pro discursu euidenti. 3. Pro habitu conclusionum alicujus scientiæ. 4. Pro habitu per demonstrationem comparato, idest pro habitu certo & euidenti rei necessariæ per propriam rationem, vt nunc.

26. Ad scientiam propriè dictam quatuor requiruntur. 1. Vt objectum sit necessarium; necessarium autem vel est tale quoad existentiam, vel quoad causam: necessarium quoad existentiam est quod non potest non esse, vt solus Deus: necessarium verò quoad causam est quod habet causam naturalem suę existentię, idest de quo faciendo non traduntur pręcepta, vt cœlum, terra &c. Ad rationem autem scientiæ non requiritur vt objectum sit necessarium quoad existentiam, alioqui de solo Deo daretur scientia, sed sufficit vt sit necessarium quoad causam. 2. Requiritur vt proprietas objecti sit necessaria, idest vt attributum de subjecto aut objecto demonstrandum conueniat necessario subjecto seu objecto, vt esse calidum respectu ignis cum ignis sit necessariò calidus. Ex his autem duabus conditionibus ad rationem scientię propriè dictæ requisitis, colligimus conclusionem scientificam debere esse necessariam, tam necessitate cōplexa quàm incomplexa, atq; adeo cùm scientia dicitur cognitio rei necessariæ, per rem necessariam intelligenda est conclusio necessaria vtrâq; necessitate: Conclusio necessaria necessitate complexa dicitur ea in qua attributum necessariò conuenit subjecto, vt domus debet constare tecto, parietibus & fundamento: Conclusio necessaria necessitate incomplexâ dicitur ea in qua non tantùm attributū necessariò conuenit subjecto, sed etiam ipsum subjectū est necessarium saltem quoad causam, vt homo est rationalis, ignis est calidus &c. 3. Requiritur vt medium quod assumitur ad probandā conclusionem sit ratio necessaria illius, idest sit vera & propria ratio cur attributū insit subjecto, vt cum quis probat mixta esse corruptibilia quia constant qualitatibus contrariis 4. Requiritur certitudo & euidentia, idest vt intellectus certè & clarè cognoscat illa omnia.

27. His

27. His prænotatis, Dico primò, Logicam discursiuam esse scientiam propriè dictam secundum eam partem quæ agit de demonstratione objectiua in communi; quia demonstratio ejusmodi est objectum necessariũ, de quo Logica demonstrat proprietates necessarias per rationes necessarias & euidentes, putà quòd demonstratio debeat constare propositionibus necessarijs & euidentibus, quia parit scientiam: cum autem demonstratio objectiua in communi sit principale & nobilissimum objectum Logicæ, imò sit objectum ejus attributionis, rectè Logica dicitur scientia, cum à potiori & nobiliori parte sumatur denominatio.

28. Dico secundò, Logicam discursiuam inadæquatè sumptam, scilicet secundum eam partem quæ agit de Syllogismo probabili objectiuo in communi, quæ vulgò dicitur pars topica, non esse scientiam propriè dictam; quia talis Syllogismus non est objectum necessarium quoad causam, & multò minùs quoad existentiam: cum non constet propositionibus necessariis & euidentibus.

29. Dico tertiò, Logicam discursiuam inadæquatè sumptam secundum eas partes quæ agunt de definitione, diuisione, & argumentatione objectiua in communi, nec esse scientiam, nec esse non scientiam; quia definitio, diuisio & argumentatio objectiua in communi, nec sunt necessariæ nec contingentes, sed indifferenter se habent ad vtrasque, eo modo quo animal est indifferens ad rationale & irrationale: Sicut igitur qui tractat de animali in communi tantùm, nec tractat de rationali nec de irrationali; ita etiam partes illæ Logicæ quæ tractant de definitione, diuisione, & argumentatione objectiua in communi, nec tractant de necessarijs, nec de contingentibus.

30. Dico quartò, in sententia eorum qui volunt operationes mentis provt faciendas juxta præcepta, seu provt ad verum dirigendas per præcepta, esse objectum legitimum Logicæ, non posse sustineri Logicam esse scientiam propriè dictam: quia operationes mentis sic spectatæ, non sunt necessariæ quoad existentiam, cùm solus Deus necessariò existat; nec quoad causam quia de ijs rectè faciendis traduntur præcepta in Logica; & operationes mentis vt dirigendæ ad verum, non habent majorem necessitatem quàm actiones voluntatis vt dirigendæ ad bonum honestum, & objectum ejusmodi Logicæ est æquè contingens ac objectum Ethicæ & Artis.

31. Ad solutionem secundæ quæstionis, scilicet an Logica sit ars? Notandum est primò, Artem sumi potissimùm quatuor modis 1. pro qualibet disciplina aut habitu, & sic Aristoteles in Metaphysicis Mathematicam vocat artem. 2. pro disciplina practica, aut habitu practico, habente pro fine vltimo praxim idest operationem per præcepta dirigendam, diuersam à cognitione, & sic Ethica posset dici ars. 3. pro disciplina practica, cujus finis vltimus est actus externus & sensibilis, qui dicitur effectio, siue relinquat opus post se, vt ædificatio; siue non relinquat opus post se vt saltatio in numeros. 4. Pro collectione aut Systemate præceptorum ad ali-

quem fi.em vitæ vtilem conducentium, quæ collectio est ars aut alia diſciplina objectiua. Nonnulli etiam diſtinguunt artem in externam & internam: Externa verſatur circa effectiones, ideſt circa operationes ſenſibiles rectè & juxta præcepta faciendas, ſiue relinquant opus poſt ſe vt ars ædificandi, ſiue non vt muſica. Interna verò verſatur circa actiones, ideſt operationes internas & inſenſibiles rectè faciendas à cognitionibus diuerſas, vt Ethica.

32. Hoc prænotato Dico Logicam eſſe artem quatenus ars ſumitur pro diſciplina aut habitu, & quatenus ſumitur objectiuè pro ſyſtemate ſeu collectione præceptorum, non eſſe autem artem propriè dictam ſiue externam ſiue internam, nec eſſe practicam ſiue actiuam ſiue effectiuam, ſed eſſe ſimpliciter ſpeculatiuam, quod ſic probatur; Ars eſt habitus effectiuus, ideſt verſans circa effectiones ſeu operationes externas & ſenſibiles rectè faciendas; at Logica non eſt ejuſmodi, 2°. Ars habet objectum contingens ex Ariſt. l.6. Eth.cap.3.& 4.& de ſuo objecto faciendo tradit præcepta; at Logica non eſt ejuſmodi vt ſuprà, 3°. Scientia non eſt ars cum ſcientia & ars ſint duæ ſpecies oppoſitæ ejuſdem generis, ſcilicet habitus veri, qui ab Ariſt.l.6.Eth.c.3. diuiditur in Intelligentiam, ſapientiam, ſcientiam, prudentiam, & artem: At Logica eſt ſcientia ſaltem ſecundùm ſuũ objectum principale & attributionis vt ſuprà, 4. Natura & ars differunt quòd natura ſit principium motus ejus in quo eſt, id eſt operetur in eo in quo eſt; vt anima rationalis quæ eſt principium ratiocinationis in homine, ars verò eſt principium motus in alio, ideſt, non operatur in eo in quo eſt niſi per accidens, vt ars ædificandi quæ eſt principium ædificationis, non in architecto, ſed in lapidibus, ligno & calce: at Logica non operatur niſi in eo in quo eſt, & Logica nec eſt practica nec actiua nec effectiua, ſed merè ſpeculatiua; Ergo non eſt ars: Antecedens patet ex eo quòd Logica non habeat pro fine vltimo operationem à cognitione diuerſam, ſed habeat pro fine vltimo cognitionem modorum diſſerendi objectiuorum ſiue in communi ſiue in particulari; nec etiam facit aut tradit præcepta faciendi ſuum objectum, ſcilicet modos diſſerendi objectiuos, vno verbo Logica eſt æquè ſpeculatiua ac Phyſica & Metaphyſica, vt patet ſi comparetur cum ipſis hoc pacto.

33. Sicut Phyſica tradit præcepta de auro in communi, dicendo aurum eſſe metallum fuluum, puriſſimum, grauiſſimũ, patiens ignem ſine diminutione, in tenuiſſimas laminas diuiſibile, corroboratiuum cordis &c. Per quarum proprietatum cognitionem mens dirigitur ad cognoſcendum quodlibet verum aurum in particulari, ſiſtitque in cognitione auri, nec efficiens nec tradens præcepta conficiendi aurum: & ſicut Metaphyſica tradit præcepta de accidente in communi, docendo accidens eſſe ens ſubjecto inhęrens & ita ipſi affixum vt non poſſit ſolum & ſeparatum ab ipſo exiſtere, per cujus proprietatis cognitionem mens dirigitur ad cognoſcendum quodlibet accidens in particulari, putà pulchritudinem, ambulationem &c. ſiſtitque in cognitione accidentis, nec efficiens, nec tradens

præcepta

præcepta accidens efficiendi; Ita etiam Logica tradit præcepta de modis differendi objectiuis in communi, scilicet de definitione, diuisione & argumentatione objectiua in communi, docendo definitionem constare genere & differentia, argumentationem constare tribus terminis &c. Per quorum præceptorum cognitionem mens dirigitur ad cognoscendas definitiones & argumentationes objectiuas in particulari, sistitque in cognitione ejusmodi definitionum, & argumentationum, nec efficiens ipsas, nec tradens præcepta eas efficiendi, sed tantùm eas cognoscendi.

34. Ad solutionem tertiæ quæstionis, scilicet an Logica sit facultas, notandum est habitum intellectualem, vel esse verum, vel falsum, vel medium: habitus verus, vel habet actus veros, vel inclinat in eos, aliterque dicitur virtus intellectus: habitus falsus, habet actus falsos, vel in eos inclinat, aliterque dicitur vitium intellectus: habitus medius habet actus probabiles, vel in eos inclinat, aliterque dicitur habitus opinatiuus & facultas: multi tamen sumunt facultatem pro habitu contrariorum, id est pro habitu agente de vtroque contrario, sic Rhetorica dicitur facultas, quia tradit præcepta laudandi & vituperandi, suadendi & dissuadendi &c. Omitto acceptionem facultatis pro potentia naturali, & pro superioribus disciplinis, scilicet pro Theologia, Iurisprudentia & Medicina.

35. Hoc prænotato, Dico 1°. Logicam secundum omnes suas partes esse habitum verum seu virtutem intellectus, quatenus habitus verus sumitur pro eo quod habet actus veros & objectum necessariò verum, cum præcepta Logica sint infallibilia, & omnes discursus Logici sint euidenter veri.

36. Dico 2°. Logicam strictè sumptam pro iis partibus quæ tradunt & probant tantùm præcepta bene definiendi, diuidendi, argumentandi, & demonstrandi, esse habitum verum, non tantùm quia habet actus veros, sed etiam quia inclinat in actus veros: nam Logica sic sumpta, tradit præcepta per se nunquam in errorem inducentia, eò quòd nunquam sint propria causa deceptionis, & qui ea sequitur nunquam aberrat à vero; quòd si interdum deducant in falsum, id per accidens contingit ob assensum quem præbet intellectus propositionibus probabilibus aut falsis tanquam necessariis & euidentibus.

37. Dico 3°. Dialecticam strictè sumptam pro illa parte topica, quæ tradit & probat tantùm præcepta probabiliter differendi, non esse virtutem intellectus, sed facultatem, quatenus virtus intellectus seu habitus verus sumitur pro habitu inclinante in necessariò verum, & facultas sumitur pro habitu inclinante in probabile; siquidem obseruatio præceptorum partis illius topicæ inclinat in probabile, quod modo est verum, modò falsum, vel ita verum est vt falsum esse possit: Dialecticam verò & Logicam latè sumptas prout tradentes & probantes omnia præcepta disserendi, esse facultates secundum illam partem topicam, & esse virtutem intellectus secundùm alias partes.

38. Dico 4°. Logicam posse dici facultatem, quatenus facultas sumitur

pro habitu contrariorum, nam secundùm partem demonstratiuam tradit præcepta necessariò argumentandi, & secundùm partem quandam topicam tradit præcepta probabiliter disputandi; argumentatio autem necessaria & probabilis sunt aliquo modo contrariæ.

39. Ad solutionem 4ᵃ. Quæstionis scilicet an Logica sit instrumentum Philosophiæ, notandum est primò, habitum principalem & instrumentalem à nonnullis sic explicari, vt instrumentalis ex natura sua sit in gratiam alterius, & inseruiat ad acquirendum principalem, principalis verò sit sui gratiâ & non referatur ex natura sua ad alium acquirendum.

40. Notandum est 2°. Ad rationem veri & propriè dicti instrumenti duas conditiones requiri, prima est vt assumatur à causa principali; secunda est vt applicetur à causa principali, non ad actum proprium ejus quod dicitur instrumentum, sed ad actum causæ principalis, defectu cujus conditionis ignis applicatus à nobis ad comburendas stupas non est instrumentum, cum proprium ignis sit comburere.

41. Notandum est 3°. Instrumentum duplicem dicere relationem, vnam ad causam principalem & alteram ad effectum, putà penicillus qui est instrumentum pingendi dicit relationem ad pictorem à quo assumitur, & ad imaginem ad quam producendam applicatur.

42. Notandum est 4°. Causam efficientem tam principalem quàm instrumentalem vel esse Physicam vel moralem. Causa Physica dicitur ea quæ realiter influit esse in effectum: causa verò moralis dicitur ea quæ non influit esse realiter in effectum, ei tamen imputatur ac si ipsum produxisset, qualis est causa imperans, suadens aut impellens, dirigens & meritoria.

43. His prænotatis, Dico 1°. Logicam esse habitum instrumentalem, quatenus habitus instrumentalis sumitur pro eo qui est in gratiam alterius & inseruit ad eum acquirendum: nam Logica maximè inseruit ad alias Philosophiæ partes perfectè acquirendas, vt infrà.

44. Dico 2°. Logicam non esse instrumentum verum Physicum, quia Logica actualis consistit in cognitione præceptorum de modis disserendi per principia probatorum, atque adeò concurrit tantùm ad productionem actuum scientificorum per modum ideæ seu exemplaris, saltem externi: at exemplar non est vera causa Physica, cùm sit tantùm dirigens.

45. Dico 3°. Logicam provt est instrumentum dicere relationem ad hominem aut intellectum humanum tanquam ad causam principalem, dicere verò relationem ad actus Philosophicos tanquam ad effectus, eò quòd homo vtatur Logica actuali seu cognitione præceptorum logicorum ad actus Philosophicos rectè exercendos.

46. Dico 4°. Logicam provt est instrumentum non dicere necessariò relationem ad scientias habituales tanquam ad causas principales, quia omne instrumentum supponit suam causam principalem in productione effectus, Logica autem concurrit ad productionem actuum scientificorum imperfectorum ante existentiam scientiarum habitualium: dixi necessa-

cessariò non dicere talem relationem non enim negandum Logicam posse dici instrumentum respectu scientiarum habitualium tanquam causarum principalium, quatenus scilicet intellectus scientia habituali ornatus vtitur præceptis Logicis in exercitio actuum scientificorum perfectorum.

47. Ad quintam quæstionem scilicet, An Logica sit pars Philosophiæ, Respondetur Logicam discursiuam esse partem & speciem Philosophiæ, cum sit euidenter discursiua : at Logicam purè docentem non esse partem Philosophiæ, cum vt sic non sit discursiua.

DE CAVSIS LOGICÆ.

48. Causa efficiens Logicæ eadem est quæ Philosophiæ, cum sit pars ejus. Finis Logicæ est perfecta cognitio modorum differendi objectiuorum. Materia ex qua, sunt partes ex quibus componitur Logica. Materia in qua, eadem est quæ Philosophiæ: materia circa quam, est objectum ejus. Forma Logicæ est ejus differentia essentialis, scilicet tractans de modis differendi objectiuis in communi. His adde munus seu officium Logicæ, quod est dirigere mentem in cognitione rerum, vel in rectè differendo in particulari.

49. Inuenta autem & restaurata Logica per experientiam reflexam; cum enim viri ingenio solertes volentes acquirere scientias rerum, modò bonas, modo malas definitiones, diuisiones, & argumentationes exercerent, suprà vtrasque reflexione facta obseruarunt modos quibus rectæ exercerentur, easque separarunt à vitiosis, & præcepta de rectis tradiderunt.

DE VTILITATE AC NECESSITATE LOGICÆ.

50. Logica est vtilissima ad scientias acquirendas, qui tradit modum rectè definiendi, diuidendi, & argumentandi, & suppeditat media generalia argumentandi in topicis, vno verbo Logicæ vtilitas apparet in eo quod dirigat mentem in cognitione rerum, in discretione veri à falso, in obscurorum illustratione, in recta confusorum dispositione, & in examine scriptorum doctrinalium.

51. Major quæstio est de necessitate Logicę, an scilicet Logica sit necessaria ad scientias acquirendas : Antequam autem respondeam, notandum est 1°. necessariũ duobus modis sumi, scilicet absolutè & comparatè seu ex

hypothesi: necessarium absolutè dicitur illud quod non potest non esse, vt solus Deus: necessarium comparatè dicitur illud quòd suppositione aliqua facta necessarium est, putà nauis est necessaria supposita nauigatione facienda. Rursus necessarium ex hypothesi duplex est, scilicet necessarium simpliciter seu ad esse, & secundum quid seu ad meliùs esse: necessarium simpliciter dicitur illud sine quo finis obtineri non potest, vt cibus ad viuendum: necessarium verò secundum quid dicitur illud sine quo finis quidem obtineri potest, non tamen ita commodè, vt lautus cibus ad viuendum.

52. Notandum 2°. Scientiam duobus modis acquiri posse, scilicet perfectè & imperfectè, scientia acquiritur perfectè quando habetur cum tota certitudine & euidentia requisita, imperfectè verò quando habetur quidem, sed non cum tota certitudine requisita; certitudo autem & euidentia, vel est materiæ vel formæ syllogisticæ: tunc habemus certitudinem & euidentiam materiæ, cùm certò & clarè cognoscimus antecedens & consequens; habemus verò certitudinem & euidentiam formæ, cùm certò & clarè cognoscimus consequens rectè sequi ex antecedente: denique scientia quæ acquiritur, vel est totalis vel partialis.

53. His prænotatis, Dico primò Logicam docentem non esse absolutè necessariam, cum possit esse & non esse: Imò Logica non est absolutè necessaria homini, cum homo possit existere sine ea: Tandem Logica non est simpliciter necessaria ad scientias imperfectè acquirendas, quia naturaliter absque cognitione præceptorum Logicorum possumus rectè definire, diuidere, & argumentari, licet non sine erroris periculo, nec cum tota certitudine requisita.

54. Dico secundò Logicam esse simpliciter necessariam ad scientias perfectè acquirendas, nullumque hominem posse exercere actum scientificum, cum tota certitudine requisita, tam materiæ quàm formæ sine Logica artificiali docente, quia tota certitudo formæ syllogisticæ est à Logica docente, quæ ideo est pars essentialis cujuslibet scientiæ.

DE DIVISIONE LOGICÆ.

55. Logica potest diuidi in quinque partes juxta quintuplicem disserendi modum, scilicet definitionem, diuisionem, enunciationem, argumentationem & methodum: verùm cum Methodus sit tantùm recta dispositio argumentationum, potest referri ad argumentationem, & cum definitio & diuisio sæpissimè coincidant, & vna non possit rectè intelligi sine altera, debent ad eandem partem referri, & sic Logica diuiditur in tres partes, quarum prima de definitione & diuisione, secunda de

da de Enunciatione, tertia de argumentatione : verùm cum illi tres modi differendi constent ex Vniuersalibus rectè additur quarta pars de Vniuersalibus,& cum Vniuersalia non possint rectè intelligi sine aliqua cognitione prædicamentorum ex quibus eruuntur vniuersalia, rectè additur quinta pars de Prædicamentis.

Optimè igitur Logica diuiditur in quinque partes, prima de Prædicamentis, secunda de Vniuersalibus, tertia de Definitione & Diuisione, quarta de Enunciatione, quinta de Argumentatione.

PRIMA PARS LOGICÆ.

DE PRÆDICAMENTIS,

Rudis duntaxat & imperfecta doctrina de Prædicamentis traditur in Logica; quæ quia sufficienter tradita est à nobis in compendio Logicæ & Metaphysicæ, in ea non immorabimur: Exactam verò & accuratam tractationem eorum remittimus ad Metaphysicam & Physicam.

SECVNDA PARS LOGICÆ.

DE VNIVERSALIBVS.

Hæc pars diuiditur in tria capita: primo agitur de Vniuersali in communi: Secundo de Vniuersali in particulari: Tertio soluuntur Objectiones.

CAPVT PRIMVM

De Vniuersali in communi.

1. VNIVERSALE, de quo nunc, est id de quo possunt esse plura, vt homo, Sol &c. *Singulare* verò seu *Indiuiduum* est id de quo non possunt esse plura, vt Deus, hic homo, hic Sol &c. Vniuersale est id quod potest prædicari de pluribus, vnde dicitur *Vniuersale in prædicando*, vt homo qui potest prædicari de Petro & Paulo: *Singulare* verò est quod potest tantùm

prædicari de vno, vt hic homo. Denique vniuersale est vnum aptum esse in pluribus diuisim, vnde dicitur *vniuersale in essendo*: sed per *vnum* debemus intelligere vnum vnitate similitudinis, quod nihil aliud est quàm res similes, vt humanitas in Petro & Paulo, sed potiùs humanitates in Petro, Paulo &c. quæ sunt similes: dixi *aptum*, quia ad rationem vniuersalis sufficit vt possint esse plura; Vnde Sol qui est actu vnus tantum est vniuersale, quia possunt esse plures soles saltem diuinitùs: dixi *diuisim*, vt excludatur Diuinitas à ratione vniuersalis, quæ quidem est vna in pluribus, scilicet in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, sed non est diuisim in illis, idest non est diuisa, nec multiplicata, nec multiplicabilis in illis. *Singulare* est vnum numero tantùm, vel est vnum vnitate identitatis, vel est aliquid dissimile omnibus alijs.

2. Illud est *vnum vnitate identitatis*, quod est indiuisum in se, id est quod nihil habet in se quod sit diuisim, vt Petrus: *vnitas identitatis* est indiuisio rei in se: Entia collectiua, vt grex, exercitus &c. non sunt vnum vnitate identitatis. Illa sunt *vnum vnitate similitudinis*, quæ sunt similia, idest quæ apparent idem, & tamen non sunt idem, vt oua similia: *vnitas similitudinis* seu *similitudo* est apparentia identitatis duntaxat. *Identitas* distingui solet in *realem*, quæ est indiuisio rei in se, & *apparentem*, quæ nihil aliud est quàm similitudo: Identitas apparens potest etiam dici vnitas aut identitas rationis seu conceptus, quia similium est idem conceptus & idem judicium.

3. Vniuersali in essendò & prædicando, alij addunt vniuersale in causando, in repræsentando, & in significando. *Vniuersale in causando* est causa vniuersalis, & *singulare in causando* est causa particularis. Causa vniuersalis dicitur ea quæ non est determinata ad vnum certum effectum, sed indifferens est ad varios specie effectus producendos per vniuersum mundum, vt Deus, Sol &c. Causa verò particularis dicitur ea quæ est determinata ad vnum specie effectum producendum, vt homo producens alium hominem, asinus producens alium asinum &c. *Vniuersale in repræsentando* est idea seu conceptus rei vniuersalis, vt idea seu conceptus hominis: *Singulare* verò *in repræsentando* est idea rei singularis, vt idea Petri. *Vniuersale in significando* est vox significans rem vniuersalem, vt hæc vox homo, vel est vox ambigua vt vox canis: *Singulare* verò *in significando* est vox significans rem singularem, vt hæc vox Petrus, vel est vox non ambigua.

4. *Vniuersale* vel complexum, vel incomplexum: *Complexum* dicitur illud quod parit multiplicem conceptum in mente, & complectitur multa vniuersalia simplicia, vt definitio complectens genus & differentiam, putà animal rationale. *Vniuersale incomplexum* est quod parit vnicum conceptum in mente, vt homo.

5. Vniuersale vel est tale adæquatè, vel inadæquatè: *vniuersale adæquatè* sunt res omnes similes ejusdem nominis & rationis secundum illud nomen, vt omnes humanitates similes: *vniuersale verò inadæquatè*, est v-

num

num ex omnibus similibus, vel plura similia, non tamen omnia. In communi, sumitur aliquando pro vniuersali adæquatè, vt cùm dicitur homo est species, aliquando verò sumitur pro vniuersali inadæquatè & indeterminatè, vt cum dicitur, homo hac transiuit: Illud est propriè vniuersale; hoc verò est tantùm Indiuiduum vagum, & pars veri vniuersalis.

6 Rursus vniuersale, vel materiale, vel formale, vel concretum ex vtroque. *Vniuersale materiale*, est res quæ est vniuersalis, vt humanitas; vel res quæ sunt similes, vt humanitates. *Vniuersale formale*, est vnitas similitudinis quæ est in rebus, seu est similitudo rerum, vt similitudo humanitatum. *Vniuersale concretum* seu *compositum ex vtroque* nihil aliud est quàm res similes, putà humanitates similes; vel res & similitudo rerum simul, vt humanitates & similitudo earum simul.

7. Vniuersale duobus modis sumitur: primò pro vno in pluribus vnitate similitudinis; & tale vniuersale realiter existit, cum dentur res similes. Secundò sumitur pro vno in pluribus vnitate identitatis realis aut rationis; & tale vniuersale est impossibile.

8. Vniuersale sumptum pro vno vnitate identitatis realis in pluribus, esse impossibile, sic probatur. Quod est vniuersale, prædicatur de pluribus & quod prædicatur de pluribus affirmatur de pluribus; & quod affirmatur de pluribus, identificatur cum pluribus; quæ enim non sunt idem debent negari de se inuicem; & quod identificatur cum pluribus, est plura, & quod est plura, non est vnum, atque adeo non est vniuersale. Deinde, si humanitas verbi gratiâ esset realiter vniuersalis, esset vna & eadem realiter in pluribus, putà in Sancto Petro & Iuda Iscariote; & sic eadem realiter humanitas esset beata & non beata, quod est contradictorium. Denique, essentia humana quæ est in Petro, in se seu in ratione essentiæ, est vna numero, cum Petrus non habeat plures numero essentias humanas; & essentia humana quæ est in Paulo, in se seu in ratione essentiæ, est etiam vna numero ob eandem rationem: ergo essentia humana in Petro & Paulo, est duplex numero; si enim esset vna numero in illis, eodem modo philosophandum esset de essentia humana in Petro, Paulo & Timotheo, ac de essentia Diuina in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Nec dicas essentiam humanam non posse dici vnam numero, sed specie tantùm: nam essentia humana, essentia equina, & essẽtia asinina sunt tres numero essentiæ; ergo quælibet ex illis est vna numero: Potissimùm cum essentia secundum Aduersarios, nec multiplicetur, nec sit multiplicabilis nec prædicabilis, quod autem est vnum numero est singulare, non vniuersale: Adde quòd secundum Aduersarios species & essentia sint idem, at est vna numero species humana, cum non sint plures species humanæ; ergo & est vna numero essentia humana; cum autem hoc dici non possit ob rationem suprà allatam, dicendum est plures esse realiter essentias humanas, atque adeo essentiam humanam non esse vnam realiter, nec per consequens esse realiter vniuersalem.

9. Vniuersale sumptum pro vno vnitate identitatis rationis in pluri-

bus esse impossibile, sic probatur: Si tale vniuersale daretur posset fieri ab intellectu: sed vniuersale non potest fieri ab intellectu: quia actio seu operatio intellectus est cognitio; Intellectus enim tantùm agit quando cognoscit: vniuersale autem non potest cognosci ab intellectu, eo quòd vniuersale sit realiter impossibile, & purum nihil, vt suprà; at purum nihil non potest cognosci aut concipi ab intellectu; cum non possit formari imago puri nihili, & dici non possit quomodo se habeat imago puri nihili. Deinde, si vniuersale fieret per operationem intellectus, fieret potissimum per præcisionem formalem, quæ est conceptus naturæ communis non conceptis ejus inferioribus, putà conceptus humanitatis non conceptis Petreitate, Pauleitate, Alexandreitate &c. Vel est cognitio rei secundum connotatum extrinsecum commune, non cognitâ ea secundum connotatum extrinsecum proprium, putà præcisio humanitatis ab Alexandreitate, est cognitio aut consideratio rei, secundum ratiocinationem, per quam solet explicari humanitas, non consideratâ eâdem re secundum euersionem regni Persici, per quam explicatur Alexandreitas: At per talem præcisionem non fit vniuersale, puta per præcisionem formalem humanitatis ab inferioribus in quibus existit, humanitas non fit vniuersalis; Quia per talem præcisionem repræsentatur natura indeterminatè, quæ ad summum est Indiuiduum vagum, non autem vniuersale propriè dictum; alioquin etiam per volitionem rei communis aut simili, putà nummi aurei, fieret vniuersale, quod est absurdum. Deinde, vt fiat vniuersale per intellectum, debet repræsentari vnitas naturæ in pluribus, cum per talem vnitatem constituatur vniuersale: At per talem præcisionem & conceptum naturæ communis, neque repræsentatur vnitas neque pluralitas, sed tantùm repræsentatur natura indeterminatè; vel quælibet seorsim repræsentatur, nunquam autem duæ simul; putà per conceptum humanitatis repræsentatur humanitas, non autem ejus vnitas aut pluralitas, vel repræsentatur quælibet humanitas seorsim, nunquam autem duæ simul. Quòd si quis dicat per talem conceptum naturam fieri vnam negatiuè; eò quòd Intellectus per talem conceptum non cogitet de pluralitate, nec distinguat naturas verbi gratiâ humanas, & quæ non distinguuntur per intellectum sunt vnum per intellectum: Dici etiam poterit per talem conceptum naturam fieri multiplicem negatiuè; eò quod Intellectus per talem conceptum non cogitet de vnitate, nec identificet naturas verbi gratiâ humanas, & quæ non sunt idem per intellectum sunt plura per intellectum: Sed hic notandum est aliud esse Intellectum non ponere distinctionem, aliud vero Intellectum ponere non distinctionem, prius conuenit Intellectui concipienti naturam communem, non autem posterius.

10. Comparatio est consideratio naturæ communis in ordine ad inferiora, putà consideratio hominis in ordine ad Petrum & Paulum: quòd si comparatio ista fiat sine affirmatione, dicitur simplex, & natura dicitur prædicabilis; si verò fiat cum affirmatione seu prædicatione, dicitur composita, & natura dicitur prædicata: Per ejusmodi autem comparationem natura

natura dicitur fieri vniuersale Logicum seu relatiuum: sicut per præcisionem seu abstractionem formalem, seu mentalem dicitur fieri vniuersale Metaphysicum seu absolutum. Verùm per comparationem non posse fieri vniuersale, patet ex eo quod quando homo verbi gratia prædicatur de Petro, in hac propositione Petrus est homo, certum est hominem non fieri vniuersalem: siquidem homo qui prædicatur seu affirmatur de Petro, identificatur cum ipso; quæ enim non sunt idem debent negari de se inuicem, non autem affirmari: quod autem identificatur cum Petro, est Petrus, atque adeo est singulare, non vniuersale.

11. Non tamen negandum est intellectum posse formare conceptum qui repræsentet omnes naturas similes ejusdem nominis seorsim, putà omnes humanitates seorsim; & talis conceptus solet dici vniuersale in repræsentando; humanitates autem sic seorsim repræsentatæ per illum conceptum possunt dici vnum ratione, & vnum conceptu, seu secundum conceptum, quatenus scilicet habent in intellectu vnum conceptum per quem ipsæ seorsim repræsentantur, juxta illud similium est idem conceptus & idem judicium: quoniam autem ejusmodi conceptus & vnitas conceptus est in intellectu extra humanitates; clarum est quòd sicut humanitates, denominantur extrinsecè repræsentatæ & conceptæ à conceptu qui est extra illas, scilicet in intellectu; sic denominantur extrinsecè vnum conceptu, ab vnitate conceptus quæ est etiam extra eas, scilicet in intellectu: Quòd si vnitas ejusmodi extrinseca conceptus, cum multiplicitate intrinseca naturarum similium, sufficiat ad rationem vniuersalis constituendam tunc dicendum est hominem qui prædicatur de Petro, esse eundem conceptu, non re, cum homine qui prædicatur de Paulo; & dicendum est ad vniuersale constituendum non esse necessarium, vt res quæ est vniuersalis, sit vna & multiplex secundum idem; sed sufficere vt sit vna extrinsecè & secundum conceptum, sit verò multiplex intrinsecè & secundum naturam: An verò hoc sufficiat videtur esse quæstio de nomine vniuersalis. His addi potest quòd sicut naturæ similes sunt vnũ, non secũdũ se, sed secundum conceptum; ita etiam sunt vnum non secũdum se, sed secundũ nomẽ, quæ vnitas nominis & conceptus, apud Nominales, sufficit ad vniuersale constituendum: Ego existimo ejusmodi vnitatem extrinsecam conceptus aut nominis, non sufficere ad constitutionem vniuersalis. 1. Quia hinc sequeretur pictorem qui format imaginem oui repræsentantem oua multa similia facere vniuersale, siquidem eiusmodi oua erunt vnum extrinsecè secundum imaginem, quatenus illa imago repræsentat omnia oua similia seorsim, erunt verò multa secundum se. 2. Quia hinc sequeretur voluntatem circa nummum aureum facere vniuersale; siquidem volitio nummi aurei fertur in quemlibet seorsim; quilibet autem seorsim est quidem vnus indeterminatè, sed est multiplex secundum se, & vnus secundum volitionem. 3. Quia hinc sequeretur canem famelicum, cognoscentem & appetentem cibum facere vniuersale, quia cognitio illa cibi repræsentat cibos similes seorsim, qui sunt plures secundum se, &

vnum quid ſecundum cognitionem aut conceptum.

CAPVT SECVNDVM.

De Vniuerſalibus in particulari.

1. QVinque vulgò ſunt vniuerſalia, ſcilicet genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens, quod meliùs diceretur contingens. Duo priora, exprimuntur ordinariè nomine ſubſtantiuo; tria verò poſteriora, nomine adjectiuo. Excipe quædam relatiua, vt pater, dominus, vxor &c. Quæ ſunt ſubſtantiua Grammatica, ſed adjectiua Philoſophica, rei jam conſtitutæ aduenientia.

2. *Genus* vulgò eſt prædicabile de pluribus ſpecie differentibus in quid, vt animal reſpectu hominis & bruti. *Species* vulgò eſt prædicabile de pluribus ſolo numero differentibus in quid: vt homo reſpectu Petri & Pauli. *Differentia* vulgò eſt prædicabile de pluribus in quale quid primariò, vt rationale. *Proprium* vulgò eſt prædicabile de pluribus in quale quid ſecundariò, vt riſibile. *Accidens* vulgò eſt prædicabile de pluribus in quale tantùm, vt doctus reſpectu hominis.

3. *Differre ſpecie* eſt differre proprietate aliqua incommunicabili, vel habere diuerſas proprietates: Illa autem differunt proprietate incommunicabili, & habent diuerſas proprietates, quorum vnum facit aut habet aliquid, quod alterum facere aut habere non poteſt, vt homo & aſinus, ignis & aqua &c. Ideo differre ſpecie non eſt differre eſſentia tantùm, cum Petrus & Paulus differant eſſentia humana ſeu humanitate, nec tamen differant ſpecie. *Differre* autem *ſolo numero* eſt habere omnia attributa ſimilia, nullum tamen actu idem, vt duo homines, duo ignes &c.

4. *Prædicari in quid* eſt prædicari eſſentialiter; vnde quidditas & eſſentia, quidditatiuè & eſſentialiter, quidditatiuũ & eſſentiale de coincidunt: *Prædicatum* autem *eſſentiale* dicitur illud quod conſtituit rem in ſuo eſſe, quod neceſſariò eſt in re, & eſt inſeparabile ab ipſa, vt rationale reſpectu hominis: *Prædicari* verò *in quid tantùm* eſt prædicari eſſentialiter & ſubſtantiuè; & illud prædicatur ſubſtantiuè quod ſe habet ad modum per ſe ſtantis, & exprimitur nomine ſubſtantiuo, vt homo, albedo &c. *Eſſentiale* vel *Phyſicum*, quod conſtituit compoſitum naturale, vt materia & forma duntaxat; vel *Metaphyſicum*, quod conſtituit ſpeciem aut indiuiduum Metaphyſicè, ideſt quod identificatur adæquatè cum ſpecie aut indiuiduo, vt color reſpectu albedinis, humanitas reſpectu Alexandreitatis.

5. *Prædicari in quale* eſt prædicari accidentaliter, ſeu potiùs contingenter: *Prædicatum* autem *accidentale* ſeu *contingens*, dicitur illud quod non conſtituit rem, quod non eſt neceſſariò in re, ſed eſt ſeparabile ab ipſa,

ipsa, vt doctus respectu hominis. *Prædicari in quale tantùm* est prædicari accidentaliter & adjectiuè; illud autem prædicatur adjectiuè, quod exprimitur nomine adjectiuo. Denique *prædicari in quale quid* est prędicari accidentaliter & essentialiter, essentialiter quidem quoad rē, quia realiter est essentiale; accidentaliter verò quoad modum, quia se habet per modum adjectiui, & exprimitur nomine adjectiuo, vt rationale quod est essentiale homini, & adjectiuum grammaticum, non Philosophicum.

6. Differentia & proprium in eo tantùm distinguuntur, quod differentia sit primarium & nobilissimum proprium, quod ab alijs dicitur differentia maximè propria; Proprium verò sit quodlibet aliud proprium.

7. *Genus*, vel summum, vel subalternum: *Summum* seu *generalissimum* dicitur illud quod non habet aliud genus supra se, vt ens: *Subalternum* verò dicitur illud quod habet aliud genus supra se vt reliqua genera. Item, genus vel proximum vel remotum: *Genus proximum* est inter quod & speciem nihil interjacet, vt animal respectu hominis: *Remotum* verò, est inter quod & speciem interjacet aliquid, vt animal respectu corui; Nam inter animal & coruum interjacent brutum & auis. Rursus, genus vel Physicum, vel Metaphysicum. *Genus Physicum* est pars speciei & ideò identificantur tantum inadæquatè cum ipsa, vt animal respectu hominis, animal enim dicit tantùm corpus sensitiuum; homo verò dicit corpus sensitiuum & animam rationalem: *Genus Metaphysicum* identificatur adæquatè cum specie, & ab ea distinguitur extrinsecè, vt animal respectu bruti, color respectu nigredinis in atramento &c. quid autem sit distingui extrinsecè, dicetur intra hoc capite, dum de diuisione differentiæ. Denique, *genus* vel *æquiuocum*, quod communicat solum nomen inferioribus, vt canis respectu canis cœlestis terrestris & marini: vel *vniuocum*, quod communicat nomen & definitionem inferioribus sine dependentia essentiali vnius inferioris ab alio, vt animal respectu hominis & bruti: Vel *analogum* quod communicat nomen & definitionem inferioribus cum dependentia essentiali vnius inferioris ab alio, vt ens respectu Dei & Creaturæ, substantiæ & accidentis.

8. *Species*, vel specialissima, vel subalterna: *Specialissima* suprà definita fuit, & nunquam est genus, vt homo: *Subalterna* verò coincidit cum genere subalterno, & ideo est species respectu superiorum, & genus respectu inferiorum, vt animal quod est species viuentis, & genus hominis. Item omnis species est subjicibilis respectu superiorum, & prædicabilis respectu inferiorum, vt homo qui subjicitur animali, & prædicatur de Petro.

9. *Indiuiduum* est vnum numero, vel quod non potest diuidi in plura quæ seorsim sint idem adæquatè cum ipso, vt Petrus: Indiuiduum vel *vagum*, quod rem incertam significat vt aliquis homo; vel *signatum* quod rem certam significat, vt Socrates: Signatum, vel proprium, quod proprio nomine effertur, vt Cicero; vel demonstratiuum, quod pronomine demonstratiuo exprimitur vt hic homo; vel antonomasticum aut periphra-

duo non entia, putà inter hominem & non hominem, inter visum & cæcitatem, inter cæcitatem & surditatem.

13. Rursus, *distinctio realis*, vel intrinseca, vel extrinseca: *Intrinseca* est inter ea quorum vnum nihil habet eorum quæ sunt in alio, vt distinctio inter Petrum & Paulum: *Extrinseca* verò est inter ea quæ habent quidem realiter omnia eadem intrinseca & extrinseca, explicantur tamen per extrinseca connotata diuersa, vt justitia & misericordia Dei, quæ explicantur per actiones puniendi & parcendi, humanitas & Alexandreitas in Alexandro, quæ explicantur in ordine ad ratiocinationem & euersionem regni Persici.

14. Rursus distinctio realis, vel adæquata, vel inadæquata: *Adæquata* est inter ea quæ se totis distinguuntur, vt distinctio inter duos homines, duos digitos &c. *Inadæquata* verò est inter ea quæ se totis non distinguuntur, sed tantùm distinguuntur tanquam totum & pars, includens & inclusum, vt distinctio inter manum & digitum: Differentia seu distinctio adæquata & inadæquata aliter sic explicantur: *Differentia adæquata* est quâ vnum differt ab omni alio, vt hinnibile quo equus differt ab omni alia re: *Differentia inadæquata* est quâ vnum differt à quibusdam alijs, non tamen ab omnibus alijs, vt cognoscitiuum est differentia inadæquata quâ Intellectus differt à voluntate, non tamen ab omni alio, scilicet à sensu, qui est cognoscitiuus, & inorganicum est differentia inadæquata quâ Intellectus differt à sensu, non tamen ab omni alio, scilicet à voluntate: Ex differentijs autem inadæquatis fit differentia adæquata, quæ licet in se non sit simplex & indiuisibilis, eò quòd fiat ex pluribus inadæquatis; attamen dicitur indiuisibilis, quatenus ab ea nihil potest tolli quin pereat, adeo vt si quid detrahetur non maneat, putà si tollatur cognoscitiuum, aut inorganicum, non manet intellectus, qui vtrumque essentialiter & indiuisibiliter includit.

15. Distinctio rationis vulgò duplex ponitur, scilicet *distinctio rationis ratiocinantis*, quæ fit sine vllo fundamento, vt distinctio inter ensem & gladium: & *distinctio rationis ratiocinata* quæ fit cum aliquo fundamento desumpto à connotatis extrinsecis realiter distinctis, vt distinctio inter justitiam & misericordiam Dei, cujus fundamentum sunt actiones puniendi & miserendi; & talis distinctio non differt à distinctione reali extrinseca de qua suprà. Hæc distinctio ab alijs vocatur distinctio virtualis, idest reali æquiualens; & ab alijs vocatur distinctio formalis, quia fit per varios conceptus formales in ordine ad diuersa connotata extrinseca.

16. *Distinctio formalis* est quâ vna formalitas præscinditur aut distinguitur ab alia secundum varia connotata extrinseca; *formalitas* est vna ratio objectiua provt præcisa ab alia secundum connotata extrinseca, vt ratio hominis provt præcisa à ratione Alexandri secundum ratiocinationem dicitur formalitas hominis præcisa à formalitate Alexandri: *Ratio objectiua* est res cognoscibilis aut cognita secundum connotatum extrin-

ſecum, vt ratio objectiua hominis eſt homo cognoſcibilis aut cognitus ſecundum ratiocinationem: Hoc pacto formalitates & diſtinctiones formales ſunt admittendæ; & ſic diſtinctio formalis non diſtinguitur à diſtinctione reali extrinſeca, vel à diſtinctione rationis ratiocinatæ: quòd ſi formalitates intelligantur diuerſæ intrinſecè, & præciſiones formalitatum fiant ratione entitatis intrinſecæ ſeu ex parte rei & objecti, tunc dicuntur præciſiones & diſtinctiones objectiuæ, quæ ſunt rejiciendæ, ſi formalitates realiter identificentur intrinſecè; vna enim res non poteſt cognoſci ſecundum vnam formalitatem intrinſecè, & non cognoſci ſecundum aliam formalitatem cum qua identificatur intrinſecè; alioquin vna & eadem res poſſet recipere ſimul prædicata contradictoria, putà poſſet ſimul cognoſci & non cognoſci, quod eſt abſurdum: Deinde, vel à parte rei, ante omnem operationem mentis ſunt verè duæ formalitates, vel vna tantùm; ſi vna tantùm, ergo non diſtinguuntur formaliter ante intellectum: ſi enim ante intellectum non ſint duæ formalitates, non poteſt eſſe ante intellectum diſtinctio formalis ſiquidem diſtinctio eo modo quo eſt requirit neceſſario duo, ſi ſit diſtinctio realis, requirit duas res ſeu duas realitates; & ſi ſit diſtinctio formalis requirit duas formalitates; ſi autem ſint duæ formalitates ante intellectus operationem, erunt duæ entitates; quia formalitas vt formalitas, eſt entitas realis, alioquin erit purum nihil, aut quid fictum & chimæricum: & ſi ſint à parte rei duæ entitates reales, à parte rei realiter & entitatiuè diſtinguentur, eo enim modo quo ſunt duo, diſtinguuntur; ſed realiter ſunt duæ entitates, cum ſint realiter duæ formalitates; ergo realiter & entitatiuè diſtinguuntur, atque adeo habent diſtinctionem realem. Eodem modo philoſophandum eſt de virtualitatibus ac de formalitatibus; & de diſtinctione virtuali ac de formali.

17. *Diſtinctio virtualis* ſecundum aliquos, duplex eſt, ſcilicet major & minor: *Diſtinctio virtualis minor* eſt æquiualentia in ordine ad duas res, ſeu in ordine ad duo connotata extrinſeca, & ideo eſt noſtra diſtinctio formalis, diſtinctio realis extrinſeca, & diſtinctio rationis ratiocinatæ: fit autem variis modis. 1. per æquiualentiam ad plures cauſas, cùm ſcilicet res vna perfecta poteſt producere effectus, qui in aliis cauſis minùs perfectis requirunt duas, aut tres, aut plures cauſas; ſic in homine diſtinguitur virtualiter animalitas à rationalitate (ſuppoſito quòd ſint gradus eſſentiales Metaphyſici, & ſint idem realiter, ob vnitatem animæ) quia eadem entitas habet vim efficiendi ſenſationem ſicut bruta, & præterea efficere poteſt diſcurſum, quem brutum non poteſt efficere; vno verbo quando virtus diſperſa in pluribus cauſis colligitur in vna, facit primam diſtinctionem virtualem minorem. 2. fit per æquiualentiam ad plures ſpecie effectus, cùm ſcilicet in vna cauſa ſunt virtutes ad diuerſos ſpecie effectus, id eſt vbi quidem non eſt æquiualentia in ordine ad multas cauſas, ſed præcisè vbi eſt diuerſitas ſpecifica effectuum ab vnica cauſa prodeuntium; ſic licet nulla detur potentia viſiua, quæ ſolam albedinem, aut ſolam nigredinem

gredinem videre possit, sed vbicúnque est potentia ad videndam albedinem, sit etiam eadem potentia ad videndam nigredinem; potest tamen distingui virtualiter in ea virtus videndi albedinem à virtute videndi nigredinem, eadem enim potentia videndi respicit actus specie diuersos, adeo vt comparata cum vno distinguatur à seipsa provt comparata cum alio actu. 3. fit per æquiualentiam ad similitudinem & dissimilitudinem aliarum rerum; sic albedo, quia est color sicut nigredo, & ideo est illi similis in colore, & ab ea differt, quia non est nigredo, & ideo est illi dissimilis, dicitur habere distinctionem virtualem à colore, licet realiter identificetur cum ipso in eodem. 4. fit per æquiualentiam ad duo objecta, cum scilicet duo objecta vno actu cognoscuntur aut amantur; ille enim vnus actus est virtualiter duplex, quorum vnus concipitur attingere vnum objectum, & alter alterum. 5. fit per æquiualentiam ad varia loca, cum scilicet duo loca occupantur ab eadem re, putà cœlum & terra à Deitate seu immensitate diuina; ob id enim immensitas diuina concipitur habere diuersas partes virtuales, & secundum vnam esse in cœlo, & secundum aliam esse in terra. Omnes hæ distinctiones virtuales minores reperiuntur in Deo, cum possit varios effectus producere, æquiualeat omnibus causis creatis, & solus contineat aliarum rerum perfectionem, saltem eminenter: Nulla autem est distinctio realis in Deo, quia cum sit simplicissimus quicquid est in Deo est Deus ipse: Et ideo hæc distinctio virtualis minor, vel est distinctio rationis ratiocinatæ, vel distinctio realis extrinseca.

18. *Distinctio virtualis maior* secundum aliquos consistit in eo quòd à parte rei ante operationem intellectus detur in eadem indiuisibili entitate duæ formalitates formaliter distinctæ; quæ sententia suprà refutata est. Secundum alios distinctio virtualis major est quâ res differunt definitione: Verùm vel intelligunt res differre definitione formali in ordine ad extrinseca connotata, idest intellectum nostrum posse quasi dupliciter definire eandem rem in ordine ad connotata extrinseca; & hoc arguit tantùm distinctionem rationis ratiocinatæ, vel distinctionem realem extrinsecam: Vel intelligunt res differre definitione objectiua, idest significatum per vnam definitionem esse ante intellectum distinctum à significato per alteram, & hoc arguit distinctionem realem. Denique, distinctio virtualis major secundum alios, consistit præcisè in eo quòd eidem indiuisibili entitati, & vni formalitati rei, verè & realiter conueniant prædicata ex se contradictoria, qualia sunt produci & non produci, communicari & non communicari &c. Dico contradictoria ex se; nam respectu ejus rei in qua datur talis distinctio virtualis, non sunt formaliter & actu contradictoria & repugnantia; si enim illi actu conueniant, ei actu non repugnant; ea enim repugnantia quam ex se habent ea prædicata, tollitur per distinctionem virtualem rei supra quam cadunt; sicut enim currere & non currere ex se sunt contradictoria prædicata, si autem cadant supra res distinctas realiter, desinunt esse contradictoria, quia subjectum est duplex realiter; Ita in nostro casu, quia licet subjectum non sit duplex reali-

ter, est tamen duplex virtualiter, & habet hanc distinctionem virtualem, ideo ea prędicata ex se opposita, desinunt respectu illius esse opposita. Verùm contra dico, sine duabus formalitatibus aut virtualitatibus antea rejectis id non posse intelligi: Nam verbi gratiâ in filio æterno, producitur à parte rei filiatio, & non producitur essentia filij quæ est essentia diuina, ergo à parte rei est vna formalitas filiationis cui conuenit prædicatum produci; & à parte rei est alia formalitas naturæ seu essentiæ cui non conuenit prædicatum produci, ergo sunt à parte rei duæ formalitates seu virtualitates; atque adeo duæ entitates, cum formalitates sint entitates, alioquin essent purum nihil, aut quid fictum & chimæricum, si enim à parte rei non sunt nisi vna indiuisibilis entitas, certè si supra vnam cadit prædicatum, cadet etiam supra aliam; vbi enim non est vnum & aliud, non est etiam cadere supra vnum, & non supra aliud.

19. *Identitas* est quâ vnum est aliud, vt ensis & gladius, homo & animal rationale. *Dices quomodo vnum est aliud in identitate, cum vnum & aliud non possint esse idem, siquidem quod est aliud, est distinctum, non idem.* Respondetur in identitate reali intrinseca non esse vnum & aliud realiter intrinsecè; sed posse esse vnum & aliud, vel nomine, vt ensis & gladius; vel realiter extrinsecè, vt homo & animal rationale; nam connotata extrinseca hominis & animalis rationalis realiter distinguuntur, siquidem connotatum extrinsecum per quod explicatur homo, scilicet erectus vultus, figura, & lineamenta humana, distinguuntur à connotatis extrinsecis quibus explicatur animal rationale, scilicet à sensatione & ratiocinatione. Cæterùm omnis identitas includit realiter vnitatem; omnis verò vnitas non includit identitatem; vnitas enim est quid absolutum, adeo vt, remotis quibuscunque aliis res possit dici vna; at identitas est quid respectiuum, & est semper inter ea quæ sunt plura vno modo, putà nomine, extrinsecè, & ratione; sunt vero vnum alio modo, putà intrinsecè & realiter..

20. Identitas vel realis, vel rationis. *Identitas realis* est inter ea quorum vnum est aliud nemine cogitante de ipsis, vt homo & rationalis: Estque vel intrinseca tantùm, vel intrinseca & extrinseca simul: *Identitas intrinseca tantùm* est inter ea quorum vnum nihil habet in se quod alterum non habeat, explicantur tamen per connotata extrinseca realiter distincta, vt homo & animal rationale: *Identitas* verò *intrinseca & extrinseca simul* est inter ea quorum vnum nihil habet in se quod alterum non habeat, & vtrumque explicatur per eadem connotata extrinseca; atque adeo talis identitas est inter ea quæ differunt solo nomine, vt ensis & gladius.

21. *Identitas rationis* tribus modis explicatur, sicut vnitas rationis. Primò, provt opponitur vnitati aut identitati reali; & tunc identitas aut vnitas rationis est inter ea quæ concipiuntur & judicantur esse vnum & idem, cum tamen sint realiter plura, vt si quis judicaret hominem esse vnum & idem cum asino: talem autem identitatem aut vnitatem rationis rejici-

rejicimus, quia est ens rationis, atque adeo impossibile & purum nihil, vt probabitur suo loco. Secundò, sumitur prout conuenit cum vnitate aut identitate reali; & tunc identitas aut vnitas rationis est inter ea quæ concipiuntur & judicantur esse vnum & idem, quia realiter sunt vnum & idem, vt si quis judicet hominem & animal rationale est vnum & idem; & talem identitatem rationis admittimus. Tertiò, identitas aut vnitas rationis est inter ea quæ sunt similia, idest quæ propter similitudinem repręsentantur eodem conceptu confuso, sic omnes humanitates seorsim, repręsentatæ eodem conceptu confuso, dicuntur habere identitatem aut vnitatem rationis seu conceptus, non quod Intellectus per talem conceptum apprehendat omnes humanitates vt quid vnum, aut formet conceptum qui repræsentet eas esse vnum & idem, seu qui repræsentet identitatem earum, sed quòd intellectus formet conceptum humanitatis, qui repræsentat omnes humanitates seorsim, idest quamlibet earum indifferenter, non repræsentata earum distinctione. Identitas aut vnitas rationis hoc tertio modo sumpta, vel est generica, vel specifica: vnitas aut identitas generica conuenit rebus sub eodem genere collocatis; vnde illa dicuntur vnum aut idem genere, quæ sub eodem genere ponuntur, vt homo & brutum sub animali, talia autem habent aliqua attributa similia, non tamē omnia: vnitas aut identitas specifica conuenit rebus sub eadem specie collocatis vnde illa dicuntur vnum aut idem specie, quæ sub eadem specie ponuntur, vt Petrus & Paulus sub homine; talia autem habere possunt omnia attributa similia, nullum tamen actu idem.

22. *Proprium* quatuor modis dicitur. Primò, pro eo quod soli, sed non omni conuenit, vt Philosophum esse respectu hominis. Secundò, pro eo quod omni, sed non soli, vt nigrum esse respectu corui. Tertiò, pro eo quod omni, & soli, sed non semper, vt canescere respectu hominis. Quartò, pro eo quod omni, soli, & semper, vt risibile respectu hominis; & hoc vltimum tantùm est verè proprium.

23. *Accidens* communiter distinguitur in prædicabile, & prædicamentale. *Accidens prædicabile* dicitur illud quod est extra essentiam rei cui attribuitur, & contingenter seu separabiliter de ea prædicatur in concreto, vt album respectu parietis, vno verbo est adjectiuum separabile à suo substantiuo. *Accidens prædicamentale* dicitur illud quod ponitur in prædicamento accidentis, atque adeo est ens alteri inhærens, & ideo non potest solum & separatum existere à substantia, vno verbo est id quod non est substantia, vt ambulatio, sessio &c. Accidens prædicamentale est semper extra essentiam sui subjecti, scilicet substantiæ; at semper est de essentia sui compositi, putà ambulatio est extra essentiam animalis, & de essentia ambulantis.

24. Nullum datur accidens prædicabile propriè loquendo: quia accidens, putà albedo, consideratur vel respectu inferiorum, scilicet respectu hujus & illius albedinis, vel respectu subjectorū, scilicet respectu niuis & cerussæ, priori modo non est propriè accidens prædicabile, sed spe-

cies prædicabilis: posteriori verò modo, licet sit accidens prædicamentale inhærens niui & cerussæ, non tamen est accidens prædicabile de illis, cum nix non sit albedo, & cerussa non sit albedo. Ad summum igitur concretum accidentale est prædicabile, putà album de niue & cerussa. Concretum tamen accidentale, non continet omnia quæ pertinent ad quintum prædicabile: nam quintum prædicabile propriè est id quod est concretum contingens; concretum autem contingens, vel est concretum accidentale, vt doctus, vel concretum substantiale adhærens, vt barbatus, vel concretum substantiale adjacens, vt vestitus; vel concretum substantiale intus existens vt sanguineus, vel concretum extraneum, vt pictus. Cæterùm *contingens* est quod potest esse & non esse, seu quod aliter se habere potest, vt doctus respectu hominis: *Necessarium* verò est quod non potest non esse, seu quod aliter se habere non potest, vt rationalis respectu hominis.

25. Accidens sumptum pro concreto contingenti in actu secundo, constituit quintum prædicabile, vt album respectu parietis, ridens respectu hominis; at in actu primo sumptum pro apto aut potenti, constituit quartum aut tertium, vt albabile, risibile, rationale, idest quod potest esse album, quod potest ridere, quod potest ratiocinari.

26. Ad accidens sumptum pro contingenti refertur *Adjunctum*, quod est ens alteri adueniens, vt Philosophia adueniens homini est adjunctum ejus: *Subjectum* verò est cui aliud aduenit, vt homo cui aduenit Philosophia est subjectum ejus. Tot sunt adjuncta quot sunt concreta contingentia, de quibus suprà num. 24. & tot sunt subjecta eis respondentia, scilicet subjectum inhæsionis, adhæsionis, adjacentiæ, intus existentiæ, & extraneitatis seu denominationis extrinsecæ.

27. Ad adjuncta referunt nonnulli antecedentia, concomitantia, & consequentia. *Antecedens* est quod aliud tempore sic antecedit vt non sit eius causa, sic conceptio infantis in vtero dicitur antecedens lactis *Concomitans* seu *connexum* est quod simul cum alia re accidit aut existit, ita tamen ut nec sit causa, nec effectus eius, sic obscuratio Solis, ruptura saxorum, & fissio aulæi, fuerunt concomitantia seu connexa mortis Christi. *Consequens* est quod aliud tempore sequitur, ita tamen vt non sit ejus effectus, sic subuectio piorum in paradisum, & detrusio impiorum in inferos sunt consequentia resurrectionis mortuorum.

28. Proprietates vniuersalis in genere hæ sunt præcipuæ. 1. Vniuersale est prædicabile de pluribus: licet autē vniuersale & prædicabile de pluribus non differant realiter intrinsecè, cum reciprocentur & conuertantur; differunt tamen realiter extrinsecè, idest explicantur per extrinseca connotata diuersa: Nam vniuersale concipitur à nobis tanquam res similes identificatæ cum pluribus; prædicabile verò de pluribus concipitur à nobis tanquam quid relatiuum ad intellectum; eò quòd dicat in se potentiam objectiuam habentem relationem transcendentalem ad intellectum potentem prædicare seu affirmare res illas similes de dissimilibus; ideo

juxta

juxta nostrum concipiendi modũ, vniuersale est priùs prędicabili, & priùs res concipiuntur esse similes & identificatę cum pluribus quam cõcipiantur prędicabilès de ipsis; prędicari enim sequitur esse; & res dicitur esse talis, quia reuerà est talis. Hinc patet vniuersale nunquam esse vnum ens, sed plura; nunquam posse prędicari de vno particulari, nisi sumatur inadæquatè; & esse realiter collectiuum ex similibus, atq; adeo esse ens per accidẽs, non per se. 2. Vniuersale est objectum scientię, quod conuenit vniuersali in communi & in particulari: nam Logica & Metaphysica agũt de vniuersali in communi, & de multis vniuersalibus in particulari: Reliquæ verò scientię agunt de reliquis vniuersalibus in particulari: Singularium similiũ datur scientia, quia singularia similia sunt ipsum vniuersale; at singularium vt singularium seu vt dissimiliũ non datur scientia pręterquã de Deo, quia non cognoscuntur à nobis proprietates singularium vt talium, nec rationes earum, quod tamen requiritur ad rationem scientiæ propriè dictæ. 3. Ex duabus pręcedentibus proprietatibus hæc tertia resultat, sc. quod vniuersale possit esse subjectũ & prędicatum in Enunciatione; nam ex eo quòd vniuersale est objectum scientię, est subjectum omnium conclusionum illius; ex eo verò quod est prædicabile de pluribus, potest esse prædicatũ de illis. 4. Vniuersale adæquatè seu in communi non distinguitur realiter intrinsecè ab omnibus particularibus simul sumptis, quia potest prædicari seu affirmari de illis simul; quæ autem distinguuntur negantur de se inuicẽ, cum distingui sit vnum non esse aliud; distinguitur tamen ab vno particulari, putà homo in communi à Petro, cum Petrus non sit homo in communi: vniuersale verò essẽtiale inadæquatè, idest vniuersale & particulare in eodem, putà esse hominẽ & Alexandrum in Alexandro, non distinguuntur realiter intrinsecè, siue in concreto, siue in abstracto, quia affirmantur de se inuicem, & vnum nihil habet in se quod alterum non habeat; distinctio autem essentiæ ab existẽtia refutabitur in Metaphysicis. Attamen vniuersale & particulare in eodem, putà humanitas & Alexandreitas in Alexandro, distinguuntur realiter extrinsecè, sc. in ordine ad connotata extrinseca realiter diuersa, putà in ordine ad ratiocinationem & euersionẽ regni Persici. Deniq; licet omne singulare sit particulare: non tamen omne particulare est singulare: singulare est semper vnum numero, particulare verò nihil aliud est quàm inferius: licet autẽ omne singulare sit inferius atq; adeo particulare respectu vniuersalis, putà Petrus respectu hominis: nõ tamen omne inferius seu particulare est singulare, cum homo sit inferius & particulare respectu animalis, & tamen non est singulare, eò quòd sint aut possint esse plures homines. 5 Vniuersale est prius naturâ particulari secundum conceptum, at particulare est prius naturâ vniuersali secundum rem: quod particulare sit prius vniuersali secundum rem, patet ex eo quòd vnũ ordinariè prius est multis realiter, & tempore, & naturâ; quòd verò vniuersale sit naturâ prius particulari secundum conceptũ patet ex eò quòd non possit concipi animal existere, quin concipiatur homo existere, & idẽ dicendũ de quolibet alio vniuersali. 6. Vniuersale secundum rem est totũ

collectiuum cum sit collectio similiũ,atq;adeo non est ens per se,sed per accidens: At secundum conceptum nostrũ est totum potentiale & indifferens ad particularia, putà animal ex vi sui conceptus est indifferens ad rationale & irrationale;& cum in suo conceptu neutrum dicat actu,vtrumque tamen dicit potentiã. Item,secundum conceptum nostrum, vniuersale essentiale contractum ad vnum particulare,est pars essentialis illius,putà animal est pars essentialis hominis.7. Vniuersale adæquatè & formaliter non conseruatur in vno particulari: quia vniuersale adæquatè dicit omnia particularia, formaliter verò dicit relationem ad plura particularia: At materialiter inadæquatè potest conseruari in vno particulari,putà animal in homine,& homo in Petro.8. Vniuersalia sunt æterna,vbiq;,ingenerabilia & incorruptibilia,non positiuè,sed negatiuè: non quidem positiuè, saltem actu,quia solus Deus ab æterno actu extitit,& solus Deus est immensus replens actu omnia loca; negatiuè verò, quatenus non habent determinatum tempus,locum,generationem,& corruptionem; putà homo non habet determinatum locum,cum reperiantur homines in Gallia,Hispania &c. nec determinatum tempus,cum in quolibet anno,mense, die &c. extiterint homines.9. Vniuersale secundum conceptum nostrum latiùs patet particulari,& sic genus latiùs patet specie,& species indiuiduo, putà animal latiùs patet homine,& homo latiùs patet Petro: At secundum rem vniuersale non latiùs patet particulari de quo prædicatur, quia identificatur cum ipso, vt suprà; adæquatè tamen latiùs patet vno particulari: quomodo autem liceat argumentari ab vniuersalibus dicetur suo loco.

29. Genus nunquã est causa, subjectum, aut accidens seu adjunctum suę speciei,quia genus prædicatur de specie,causa verò non prædicatur de effectu,nec subjectum de adjuncto, nec accidens aut adjunctũ de subjecto. 2. Genus & species sunt semper ejusdem prædicamẽti, vt color & albedo. 3. quod conuenit necessariò generi,conuenit necessariò speciei,vt sensitiuum quod conuenit necessariò animali, conuenit necessariò homini. 4. Quod negatur de genere, negatur de specie, vt lapis qui negatur de animali,negatur etiam de homine: Hæc duo intelligẽda de genere materialiter,idest de re quæ est genus; non autem de genere formaliter,idest de genere vt genus est: quod enim cõuenit generi vt genus est,non cõuenit speciei; nõ enim rectè sequitur, animal est genus,ergo homo est genus: siquidem animal tunc sumitur vt genus est, scilicet pro animali in communi: Pariter, quod negatur de genere vt genus est,non negatur de specie; non enim rectè sequitur,animal non est species,ergo homo non est species.

30. Species est totum essentiale respectu generis inadæquati & contracti per differentiam,& respectu differentiæ, vt homo respectu animalis rationalis: & quidem est totum implicitum,ad differentiam definitionis,quæ est totum explicitum.2. Species est pars vniuersalis & subjectiua generis adæquatè sumpti. Eodem ferè modo se habet species ad indiuiduum, quo genus ad speciem.

31. Proprietates non distinguuntur realiter intrinsecè à suis subjectis: quia

quia proprietates & subjecta habēt easdem operationes,& eadem attributa: putà calor,qui est proprietas ignis , & principium calefactionis & ignis etiam;humiditas,quæ est proprietas aquæ,est principium humectationis , & aqua etiam &c. Nec dicas *proprietates esse principia formalia seu immediata,subjecta verò esse principia radicalia & mediata:* Nam præterquam quòd sic multiplicantur entia sine necessitate,dico subjecta agere immediatè ; siquidem ignis per seipsum seu per suam entitatem calefacit , & aqua per seipsam seu per suam entitatem humectat &c. At ignis calefacit per calorem,& aqua humectat per humiditatem: Ergo calor est ipsa entitas ignis,& humiditas est ipsa entitas aquę. Quòd si proprietates separatæ existerent à suis subjectis , vt volunt Pontificij fieri posse diuinitùs , eò quòd distinguantur ab ipsis realiter realitate majori, quæ requirit mutuā separabilitatem rerum sic distinctarum; tunc subjecta agerent immediatè per suas entitates, non autem per proprietates, à quibus supponuntur separata: quòd si subjecta non possent agere, tunc proprietates actiuæ, quæ secundum eos sunt accidentia , essent nobiliores substantijs aut subjectis non actiuis; & substantiæ essent tantùm causæ per accidens actionum, putà ignis esset causa per accidens calefactionis,cum ab igne non procederet calefactio ; tunc accidentia ejusmodi propria separata existerent aut subsisterent per se, & sic fierent substantiæ; ac tandem defendi posset, mundū esse tantùm compagem proprietatum & accidentium , nullasque esse substantias corporeas, eò quòd nihil possit tribui substantijs, quod non conueniat ejusmodi accidentibus separatis; non sunt autem multiplicāda entia sine necessitate.Idem probatur inductione hoc pacto.1.Proprietates entis non distinguuntur ab ente , alioquin essent non entia & nihil. 2. Proprietates animæ rationalis, sc. intellectus & voluntas , non distinguuntur realiter ab anima,nec inter se, quoniā nihil volitum quin præcognitū , & priùs bonum cognoscendū quàm amandum;at voluntas amat bonum ; ergo ipsum cognoscit & intelligit , atq; adeo est intellectus ipse, cum solus intellectus intelligat : Nec dicas *intellectum monstrare voluntati bonū amandum*; nam sicut stultum esset monstrare colores cæco;ita ridiculum est dicere intellectum monstrare bonum voluntati,si sit potentia cæca; & sicut nemo videre potest per oculos alterius,sed tantùm per suos, ita voluntas non potest cognoscere per cognitionē alterius,sed per suā:Adde quòd vel cognitio & amor boni est in anima,vel non;si hoc,sequitur animā nec cognoscere,nec amare posse,cū nemo possit cognoscere & amare per cognitionem & amorē alterius;si illud, sequetur animā per hanc cognitionē & hunc amorē cognoscere & amare bonū , & nullo alio indigere ad cognoscendū & amandū,& cū solus intellectus cognoscat bonū,& sola voluntas amet ipsū,manifestum est animam rationalē nihil aliud esse præter intellectū & voluntatē.3. Calor,qui est proprietas ignis,nō distinguitur ab igne, vt suprà:& si calor esset accidens,reciperetur in partibus manus,ligni &c. tanquā in subjecto inhæsionis, non autem intra partes, vbi non est subjectum,& sic eas non separaret;cum igitur eas separet,non potest esse acci-

dens, sed est substantia ipsius ignis 4. Lux quæ est proprietas substantię lucidę, non distinguitur ab ea; quoniam lux aut lumen nihil aliud est quàm flamma attenuata & quasi rarefacta, cujus partes sunt dispersæ; sicut flamma nihil aliud est quàm lumen condensatum cujus partes in vnum sunt collectæ; & partes luminis in certis speculis ita coëunt & congregantur, vt accendant puluerē tormentariū, comburant pannos, mures &c. Arquod vrit & incēdit est ignis, atq; adeo substantia: Præterea, sola corpora vi propria mouentur cum accidentia moueantur tantùm per accidens sc. ad motum corporū quibus inhærent, at lux celerrimè mouetur, & non mouetur ad motum alterius corporis, sed per se, cum celeriùs moueatur quolibet alio corpore: Deniq; sola corpora patiuntur refractionem & reflexionem, & partes corporū duntaxat congregantur & disgregantur; at lux aut lumē patitur refractionem in nube rorida, & reflexionem in speculis communibus; partesq; ejus in quibusdam speculis congregantur, in alijs verò disgregantur. 5. Quantitas, quæ est proprietas materiæ, non distinguitur ab ea, vt fusè probatur in prima parte Physicę. Arriaga Iesuita famosus, disp. 4. de generatione sect. 2. probat humiditatem & siccitatem non distingui à corporibus fluidis & siccis: & sect. 5. probat grauitatem & leuitatem non distingui à substantijs grauibus aut leuibus &c. Dixi suprà proprietates non distingui à suis subjectis intrinsecè; Nam distingui extrinsecè, idest explicari per intrinseca connotata diuersa non est dubiū, putà eadem entitas prout dat vitam corpori dicitur anima, prout intelligit dicitur intellectus, & prout vult dicitur voluntas; & respectu ejusmodi connotatorum extrinsecorum dicuntur subjecta, intrinsecè enim cùm sint idem cū proprietatibus, non sunt propriè subjecta. Tandem proprietates ejusdem subjecti, identificari intrinsecè inter se, probatur quia, quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se; at proprietates identificantur cum subjecto; ergo & inter se. Cæterùm ex eo quòd proprietates identificentur cum suis subjectis, rectè colligitur eas esse inseparabiles à suis subjectis, cum nullum sit majus signum distinctionis realis quàm separabilitas.

32. Proprietates vnius speciei sunt incommunicabiles alteri speciei, putà risibilitas hominis est incommunicabilis asino: quia sicut vna species est incommunicabilis alteri, putà humanitas est incommunicabilis bruto, & corporeitas spiritui: Ita proprietates identificatæ cum vna specie sunt incommunicabiles alteri speciei; & si essent communicabiles, non essent ampliùs propriæ, sed communes.

33. Respondent Lutherani, proprietates vnius speciei esse quidem incommunicabiles alteri speciei, quando species aut subjecta proprietatum non sunt vnita sed separata, & constituunt diuersa supposita, at proprietates vnius speciei esse communicabiles alteri speciei, quando species aut subjecta proprietatum ita sunt vnita vt constituant vnum suppositum aut vnam personā vel vnum totum suppositale aut personale: & sic Lutherani dicunt omniprȩsentiā, quę est proprietas Diuinitatis communicari humanitati Christi vi vnionis hypostaticæ seu personalis., idest quia Diuinitas

&h uma-

& humanitas in Christo, ita vniuntur vt constituant vnum suppositum aut vnam personam, vel saltem vnum totum suppositale & personale.

34. Contra hanc responsionem, dico vnionem hypostaticam aut personalem duarum naturarum specie diuersarum facere quidem vt suppositum aut persona; vel totum suppositale aut personale, denominetur à naturis in concreto sumptis, & à proprietatibus earum in concreto sumptis; facere etiam vt vna natura in concreto sumpta, denominetur ab altera in concreto sumpta, & à proprietatibus ejus in concreto sumptis, eò quòd concreta sumantur pro suppositis aut personis, vel pro totis suppositalibus aut personalibus: Non facere tamen vt vna natura in abstracto sumpta denominetur ab altera, aut proprietatibus ejus, nec facere vt proprietates vnius naturę communicentur alteri: verbi gratiâ vnio personalis Diuinitatis & humanitatis, facit quidem vt Christus, qui est persona aut totum personale, denominetur Deus à Deitate, & denominetur homo ab humanitate; denominetur infinitus ab infinitate, quæ est proprietas Diuinitatis, & denominetur finitus à finitate quæ est proprietas humanitatis: facit etiam vt in Christo Deus denominetur homo, natus, passus, mortuus &c. Et in eodem Christo homo denominetur Deus, infinitus, impassibilis, creator vniuersi &c. Nomine Dei & hominis intelligendo eum qui est Deus & homo, scilicet Christum: Non facit tamen vt Diuinitas denominetur nata, passa & mortua, & humanitas denominetur infinita, impassibilis & omnipræsens. Inde sic formatur primũ argumentũ. Res denominatur ab eo quod ipsi communicatur, sic homo denominatur Philosophus à Philosophia quæ ipsi communicatur: Sed humanitas Christi non denominatur omnipræsens: ergo omnipræsentia non est communicata humanitati Christi. Minor sic probatur Diuinitas non est communicata humanitati Christi: & à Diuinitate humanitas Christi non denominatur Deus: Sed omnipræsentia est Diuinitas ipsa, cum sit attributum diuinum, & attributa diuina identificentur cum Diuinitate; cum enim Deus sit ens simplicissimum, quicquid est in Deo est Deus ipse: ergo omnipræsentia non est communicata humanitati Christi, & ab ea humanitas Christi non denominatur omnipræsens.

35. Secundum argumentum tale est: Si omnipræsentia sit communicata humanitati Christi, etiam reliqua attributa diuina erunt ei communicata; Non enim est major ratio cur vnum attributum diuinum debeat communicari quàm aliud, cum omnia attributa diuina identificentur realiter cum Diuinitate, atque adeo & inter se, iuxta illud, *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se:* At multa attributa diuina non sunt communicata humanitati Christi, scilicet æternitas, existentia à se &c.

36. Tertium argumentum est ejusmodi: Secundum Lutheranos tota ratio cur omnipræsentia sit communicata humanitati Christi est, quia humanitas est hypostaticè seu personaliter vnita verbo diuino, quod est secunda persona Trinitatis, vi cujus vnionis fit vt vbicúmque est verbũ diuinum, ibidem sit humanitas Christi: Sed hæc ratio nulla est: Nam si ideo

humanitâs Christi sit immensa & omnipræsens, quia est vnita hypostaticè verbo diuino, sequetur quòd quicquid est vnitum hypostaticè verbo diuino, sit vbique & omnipræsens: Sed falsum consequens, quod sic probatur: Si quicquid est vnitum hypostaticè verbo diuino sit vbique, sequetur nasum Christi, oculum Christi, & quamlibet aliam partem esse vbique, cùm partes sint vnitæ hypostaticè verbo diuino, eò quòd partes constituant ipsam humanitatem: Sed Christi nasus, aut oculus, aut alia pars, non est vbique; alioquin omnes partes erunt penetratæ & confusæ, & quælibet erit æqualis toti, eo quòd sit immensa & infinita; infinitum autem non est majus aut minus altero infinito.

37. Respondent Aduersarij, humanitatem Christi esse tantùm omnipotentem & omnipræsentem per accidens, scilicet per gratiam vnionis personalis, non autem ex natura sua, esse talem personaliter, non essentialiter; actu personali, non autem actu naturali, seu ex proprietate humanæ naturæ.

38. Verùm contra sic arguo Aduersarij ambiguè aut obscurè loquuntur: Cùm enim aiunt humanitatem Christi esse omnipotentem & omnipræsentem personaliter, non essentialiter seu naturaliter; aut volunt humanitatem esse talem, non ex se, sed ex vnione cum verbo omnipotente & omnipræsente, per quam factum est, vt licet non ex se, attamen in se, sit verè omnipotens & omnipræsens, per communicationem realem omnipotentiæ & omnipræsentiæ; aut tantùm volunt humanitatem Christi esse omnipotentem & omnipræsentem, non naturaliter & essentialiter, idest in sua natura & essentia, sed personaliter, seu in persona cui vnita est, idest quatenus persona quæ per assumptionem humanitatis est homo, manet Deus omnipotens & omnipræsens; hoc posterius conceditur; prius verò refutatur hoc argumento: Quod ex naturâ & essentia sua est tale, nulla virtute, siue naturali, siue supernaturali, potest fieri non tale, putà homo qui essentialiter est substantia, nulla virtute potest fieri non substantia; eò quòd essentiæ rerum consistant in indiuisibili, quibus si aliquid addatur aut detrahatur, non sunt ampliùs eædem; & cum essentia rei sit ipsa res, non manentibus essentiis iisdem, non manent eædem res, atque adeo pereunt: Sed humanitas Christi ex naturâ & essentia sua est finita, & in vno loco posita, vt fatentur Aduersarij: Ergo humanitas Christi nulla virtute, atque adeo nec vnione cum verbo, potest fieri non finita aut infinita, & ideo non potest replere spatium infinitum: Et absurdum est ponere humanitatem Christi in inferis.

39. Differentia formaliter & in suo conceptu non includit genus; quia vna pars non includit aliam; genus autem & differentia sunt partes speciei, vt suprà: Differentia etiam inferior non includit formaliter & in suo conceptu differentiam superiorem, quia eiusmodi differentia superior est pars generis; pars autem partis non includitur in alia parte: Dixi formaliter & conceptu: nam realiter genus & species, differentia superior & inferior, in eodem, sunt idem.

40. Diffe-

40. Differentiæ essentiales, & proprietates, nec intenduntur nec remittuntur, ideſt non ſuſcipiunt magis & minùs: Quia eſſentiæ ſunt inuariabiles & conſiſtunt in indiuiſibili, quatenus eis nihil addi aut detrahi poteſt quin pereant. Sed differentiæ & proprietates ſunt ipſæ eſſentiæ ſubjectorum, cum non diſtinguantur ab ipſis, vt ſuprà; idque potiſſimùm verum eſt ſi eſſentiæ ejuſmodi ſint ſubſtantiæ, quæ ſecundum omnes Philoſophos non ſuſcipiunt magis aut minùs, licet ſuſcipiant majus & minus. Adde quod nullam dari intenſionem & remiſſionem fusè probatur in Phyſicis.

CAPVT TERTIVM

In quo objectiones ſoluuntur.

1 Objectio prima talis eſt: *Nulla ſunt vniuerſalia:* Ergo malè ponuntur Theſes de vniuerſalibus. Antecedens ſic probatur: Si omnia ſunt purum nihil, non dantur vniuerſalia: Sed omnia ſunt purum nihil: Ergo non dantur vniuerſalia. Minor ſic probatur: Si nullum datur Ens, omnia ſunt purum nihil: Sed nullum datur Ens: Ergo omnia ſunt purum nihil. Minor ſic probatur: Omne ens eſt verum tranſcendentale: Sed nullum datur verum tranſcendentale: Ergo nullum datur Ens. Minor ſic probetur: Omne verum tranſcendentale eſt cognoſcibile, cum definiatur per cognoſcibile: Sed nihil datur cognoſcibile: Ergo nullum datur verum tranſcendentale. Minor ſic probatur: Si daretur aliquid cognoſcibile, vel eſſet ſingulare, vel vniuerſale; cum omne Ens ſit vel ſingulare, vel vniuerſale: Sed neque ſingulare, neque vniuerſale eſt cognoſcibile: Ergo nihil datur cognoſcibile. Minor probatur per partes; ac primò ſingulare non poſſe cognoſci ſic probatur: Indiuiduum vt Indiuiduum non poteſt cognoſci: ſed Indiuiduum vt Indiuiduum eſt propriè ſingulare: Ergo propriè ſingulare non poteſt cognoſci. Major ſic probatur Petrus vt Petrus non poteſt cognoſci: Ergo nec Indiuiduum vt Indiuiduum. Antecedens ſic probatur: Petrus vt Petrus ſeu Petreitas dicit entitatem per quam conſtituitur Petrus in eſſe Petri, & diſtinguitur à Paulo, Iacobo, & aliis hominibus, tam actualibus, quàm poſſibilibus: Sed Intellectus humanus nullam cognoſcit entitatem in Petro, per quàm poſſit ipſum diſtinguere à cæteris hominibus, ſaltem poſſibilibus; Deus enim poteſt facere multos alios homines ita ſimiles Petro, vt nullus poſſit diſcernere Petrum ab ipſis; idque patet in gutta aquæ elementaris ſingularis, quæ nihil prorſus habet, per quod certò poſſit cognoſci & diſtingui à guttis cæteris ſingularibus ejuſdem aquæ elementaris: Et tota ratio cur Philoſophi doceant, ſingularium non dari ſcientiam eſt, quia ſingularia vt ſingularia non cognoſcuntur, ſed

tantùm quatenus conueniunt in aliquo communi & vniuersali, de quo tantùm datur scientia. Secundò, vniuersale non posse cognosci sic probatur. Quod neque est à parte rei, neque potest esse, siue realiter, siue per intellectum non potest cognosci: Sed vniuersale neque potest esse à parte rei, neque per intellectum vt fusè suprà probatum est: Ergo vniuersale non potest cognosci. Dices vniuersale sumptum pro vno in pluribus vnitate identitatis, esse impossibile tam realiter quàm per intellectum, atque adeo non esse cognoscibile; at sumptum pro vno in pluribus vnitate similitudinis, idest pro rebus similibus, esse realiter, & posse cognosci. Verùm contra sic arguo: Intellectus non potest formare vnum conceptum naturæ communis, qui repræsentet omnia inferiora similia, siue simul, siue seorsim: Ergo Intellectus non potest cognoscere res similes, atque adeo vniuersale sumptum pro rebus similibus non potest cognosci. Antecedens sic probatur: Intellectus non potest formare vnum conceptum humanitatis, qui repræsentet omnes humanitates, siue simul, siue seorsim; idemque est judicium de cæteris naturis communibus; quæro enim ab Aduersariis, quomodo sibi repræsenteut humanitatem aut hominem? Respondent nonulli primò, intellectum formantem hominis conceptum, sibi repræsentare animal rationale, aut compositum ex corpore & anima rationali. Verùm contra sic arguo: Conceptus hominis secundum Aduersarios est vnus & simplex, eò quòd secundum eos homo sit species & species sit vniuersale incôplexũ; conceptus verò animalis rationalis, aut compositi ex corpore humano & anima rationali, est multiplex; siquidem conceptus repræsentans animal est diuersus à conceptu repræsentante rationale; & conceptus repræsentans corpus humanum est diuersus à conceptu repræsentante animam rationalem: Adde quòd homo est definitum, & animal rationale est definitio essentialis Metaphysica, sicut compositum ex corpore & anima rationali est definitio essentialis Physica; at definitio & definitum differunt conceptu seu ratione, alioquin hæ propositiones, homo est animal rationale, & homo est compositum ex corpore humano & anima rationali, essent formaliter identicæ & ridiculæ. Respondent alij secundò, Intellectum formantem hominis conceptum, formare tantùm conceptum hujus nominis *homo*, quod impositum est ad significandum hominem in communi, atque adeo omnes homines; hincque factum vt Nominales dixerint vniuersalia esse tantùm nomina aut voces, & ob id dicti sint Nominales. Sed contra dico, inde sequi Arabem Linguę Latinę ignarum, & alium Linguam Latinam probè callentem; auditâ hac voce *homo*, idem prorsus apprehendere, cujus rei cõtrarium docet experientia. Dicent fortè, Arabem apprehendere vocem hominis præcisè. Latinum verò apprehendere vocem hominis provt afficientem humanitates priùs cognitas. Sed contra sic arguo: vel Latinus apprehendens vocem hominis afficientem humanitates, apprehendit vocem hominis tantùm, & sic non differt ab Arabe in apprehensione hominis, quod est contra experientiam, vel apprehendit aliquid aliud præter vocem; quæro

quæro autem quid ſit illud aliud quod apprehendit, & ſic redit argumentum ſuprà allatum. Reſpondent alij tertiò, Intellectum formantem hominis conceptum, ſibi repræſentare rem, cum certa ſtatura, colore, & lineamentis; difficilè enim aliquis ſibi perſuadere poteſt imaginē quæ repræſentat rem ſine ſtatura, colore, & lineamentis eſſe imaginem hominis. Sed contra cum ſtatura color, & lineamenta omnium ferè hominū ſint diuerſa, clarum eſt non poſſe formari conceptum aut imaginem ſtaturę, coloris, & lineamentorum repręſentantem quemlibet hominem; vel enim repręſentaretur ſtatura magna, & ſic non repræſentarētur infantes; vel parua & ſic non repræſentarentur proceri; vel mediocris, & ſic neutri repræſentarentur: Item, vel repreſentaretur color albus, & ſic non repræſentarentur Æthiopes; vel color niger, & ſic non repræſentarentur albi. Adde quòd per imaginem ſtaturæ, coloris, & lineamentorum, non repræſentatur homo, ſed tantùm quędam ejus accidentia; nec per ea magis repræſentatur homo, quàm ſtatua humana, aut ſaltem cadauer humanum quod habet ejuſmodi accidentia: Deniq;, ſi conceptus hominis, & conceptus rei talia accidentia habentis non differrent, ſequeretur hanc propoſitionem, homo eſt res habens ejuſmodi accidentia, eſſe formaliter identicam, atque adeo ridiculam & nugatoriam; & conceptus hominis eſt ſimplex, cōceptus verò rei & ejuſmodi accidentium eſt mutiplex. Reſpondent alij quartò, Intellectum formantem conceptum hominis, formare conceptum rationalis aut ratiocinantis, qui conceptus eſt vnus: Sed contra dico, hominem eſſe ſpeciem, rationale eſſe differentiam, & ratiocinans eſſe accidens: At ſpecies, differentia, & accidens, differunt inter ſe ſaltem conceptu; alioquin hæ propoſitiones, homo eſt rationalis, homo eſt ratiocinans, eſſent formaliter identicæ, atq; adeo ridiculæ, & nugatoriæ: Deinde quęro, quomodo ſibi repræſentent rationale aut ratiocinans? Dicent ſe concipere rationale aut ratiocinans tanquam principium ratiocinationis. Sed quis nō videt principium ratiocinationis non poſſe apprehendi niſi duobus conceptibus, quorum vnus repræſentet principium, & alter ratiocinationem; hominem verò apprehendi vno conceptu? Deinde quæro quomodo repręſentent ſibi ratiocinationem? Dicent eam apprehendi tanquam cognitionem conſequentis ex antecedente illati? At clarum eſt eum qui apprehendit hominem, nec cogitare de antecedente, nec de conſequente, & hęc propoſitio, ratiocinatio eſt talis cognitio, eſſet formaliter identica & ridicula, quod eſt abſurdum Reſpondent alij quintò, aſſertionem noſtram eſſe verā de cognitione intuitiua, diſtincta & clara; non autem de cognitione abſtractiua, cōfuſa & obſcura. Cū enim quis videt verbi gratiâ Petrū valdè remotum, nec valet diſcernere an ſit homo, vel brutū, vel lapis, vel truncus arboris, vel terra quædam erecta &c. tunc format conceptum corporis: Poſteà, cùm videt eum ſeſe mouentem & ambulantē, nec valet diſcernere an ſit homo vel brutum, tūc format cōceptum Petri vt animalis: Deinde, cùm videt eum capite verſus cœlum erecto, & audit eum loquētem & ratiocinantem, nec valet diſcernere an ſit Petrus vel Paulus &c. tūc format

conceptum Petri vt hominis; hi autem omnes conceptus, sunt vniuersales, abstractiui, confusi,& obscuri: Tandem, cùm videt ipsum ita proximum,vt discernere possit eum esse Petrum,non autem Paulum, Iacobum, &c. tunc format conceptum Petri vt Petri, qui conceptus est singularis, distinctus,& clarus. Verùm contra sic arguo: Primò,falsum est eum qui videt Petrum valde remotum formare conceptum Petri vt corporis; siquidem non format conceptum repræsentantem confusè quodlibet corpus; licet enim per ejusmodi conceptum,non valeat discernere an sit homo, vel equus, vel lapis &c. facilè tamen discernit non esse Solem, lunam,cœlum, mare &c. Item falsum est eum qui videt Petrum adhuc remotum sese mouentem & incedentem, formare conceptum Petri vt animalis; siquidem non format conceptum repræsentantem confusè quodlibet animal; licet enim per ejusmodi conceptum non valeat discernere an sit homo vel equus &c. facilè tamen discernit non esse muscam, formicam, pulicem &c. Rursus falsum est eum qui videt Petrum paulò remotum, & audit eum loquentem & ratiocinantem, formare conceptum Petri vt hominis,siquidem non format conceptum repræsentantem confusè quemlibet hominem, putà infantem bimestrem: Denique falsum est eum qui videt Petrum jam proximum formare conceptum Petri vt Petri: siquidem indiuiduum vt indiuiduum non potest cognosci, vt suprà. Secundò, quando aliquis format conceptum corporis, vel animalis, vel hominis, quæro quid sibi repræsentet; & sic semper redit argumentum suprà allatum.

2. Respondetur primò,omnia esse cognoscibilia à Deo,licet nihil esset cognoscibile ab alijs.Respondetur secundò à quibusdam,intellectum nostrum formantem conceptum alicujus rei; nec formare conceptum rei singularis vt singularis seu indiuidui vt indiuidui, vt probatum est in objectione; nec formare conceptum rei vniuersalis seu naturæ communis, qui repræsentet confusè omnia ejus inferiora siue simul,siue seorsim; sed tantùm formare conceptum qui repræsentet confusè plura singularia similia inter se, & ipsi conceptui. Cæterùm, conceptus distinctus dicitur ille vi cujus vnum distinguitur ab alio; confusus verò est ille vi cujus vnum non distinguitur ab alio, sed quasi confunditur in vnum cum ipso: Conceptus rei omninò distinctus, qui est tantùm distinctus,& nullo modo confusus,dicitur ille vi cujus vnum distinguitur ab omni alio, & talis est conceptus indiuidui vt indiuidui, putà Petri vt Petri: Conceptus rei omnino confusus,qui est tantùm confusus,& nullo modo distinctus, dicitur ille vi cujus vnum à nullo alio potest distingui, vt conceptus entis: Denique conceptus cujuslibet rei, præterquam entis aut transcendentis, & indiuidui vt indiuidui, est conceptus confusus & distinctus respectu diuersorum; verbi gratiâ conceptus hominis est confusus respectu omnium hominum,quia vi conceptus hominis intellectus noster non distinguit vnum hominem ab alio, sed quasi confundit omnes in vnum; est verò distinctus respectu brutorum, quia vi conceptus hominis intellectus

noster distinguit hominem à brutis. Respondetur tertiò ab alijs, Intellectum nostrum formantem conceptum hominis, formare conceptũ compositum ex re & accidente aliquo ipsi quodammodo proprio, putà ex re affecta statura & lineamentis humanis; qui conceptus, licet compositus, est tamen simplex, idest sine affirmatione & negatione; vel simplex, idest non multiplex, idemq; dicendum de qualibet specie, & de quolibet genere. Respondetur quartò, & quidem meliùs, Intellectum formantem conceptum hominis, formare conceptum repræsentantem confusè & sine distinctione omnes homines seorsim; qui conceptus nec est conceptus animalis rationalis, nec conceptus rationalis, nec conceptus ratiocinantis, nec conceptus figurati figurâ humanâ; sic enim homo cum ejusmodi attributis faceret propositiones identicas formaliter; sed est conceptus confusus hominis duntaxat: Nec quærendum est, quomodo intellectus sibi repræsentet hominem: nam hoc est quærere conceptum distinctum hominis, cum hîc sit tantùm quæstio de confuso.

3. Objectio 2. *Objectum scientiæ est ens reale*, cum de figmentis non detur scientia: *Sed objectum scientiæ est vniuersale*; cum singularium non detur scientia, eò quòd ignorentur eorum proprietates, & multo magis causæ ejusmodi proprietatum. *Ergo vniuersale est ens reale.*

4. Respõdetur 1° dari scientiam de singulari increato, sc. de Deo; probatur enim in Theologia naturali Deũ esse ęternũ, quia est immutabilis, & existentia ejus varijs rationib naturalib. demonstratur. Resp. 2°, objectum sciẽtię esse vniuersale sumptũ pro simili in pluribus, nõ autẽ esse vniuersale sumptũ pro vno & eodẽ in pluribus diuisim: quare cùm dicitur, singularium non dari scientiam, sic distinguendum est; singularium creatorum vt singularium, id est vt dissimilium non datur scientia concedo; quia ignorantur proprietates eorum vt sic consideratorum; singularium autem creatorum vt similium non datur scientia, nego, quia non ignorantur proprietates eorũ vt similium, cum similium sit idẽ judiciũ & eadem scientia.

5. Instantia. *Vniuersale sumptum pro vno & eodem in pluribus diuisim est ens reale, & objectum scientiæ est tale vniuersale*: Ergo nulla solutio. Antecedens sic probatur: Humanitas est ens reale, & objectum scientiæ: Sed humanitas est vniuersale sumptum pro vno & eodem in pluribus diuisim: Ergo &c. Minor sic probatur: Humanitas est vna & eadem realiter in Petro & Paulo: Ergo est vna & eadem realiter in pluribus. Antecedens sic probatur: Petrus & Paulus habent vnam & eandem realiter humanitatem: Ergo humanitas est vna & eadem realiter in illis. Antecedens sic probatur. Quæ habent vnam & eandem realiter essentiam humanam, habent vnã & eandẽ realiter humanitatẽ: Sed Petrus & Paulus habẽt vnã & eandem realiter essentiã humanã: Ergo habẽt vnã & eandẽ realiter humanitatẽ. Minor sic probatur: Vniuoca vniuocata habẽt nomẽ cõmune, & secundum illud nomen habent vnam & eandem essentiam, juxta illam descriptionem vniuocorum, quæ traditur in Anteprædicamentis, vniuoca sunt quorum nomen est commune, & secundum illud nomen rati-

essentiæ est vna & eadem: Sed Petrus & Paulus sunt vniuoca vniuocata in homine: Ergo habent non tantùm nomen hominis commune, sed etiam essentiam hominis vnam & eandem.

6. Respondetur, vniuoca vniuocata, putà Petrum & Paulum, habere essentiam humanam vnam vnitate similitudinis, non autem vnam vnitate identitatis; habere etiam essentiam humanam eandem specie, idest apparenter, ob similitudinem, quæ nihil aliud est quàm apparentia identitatis; non autem eandem propriè realiter; denique habere vnam & eandem essentiam humanam secundum conceptum, non autem secundum se, vt dictum est suprà.

7. Instantia. *Petrus & Paulus habent eandem realiter essentiam humanam: Ergo non tantùm apparenter.* Antecedens sic probatur: Quæ habent eandem realiter definitionem hominis, habent eandem realiter essentiam humanam; cum definitio explicet essentiam rei: Sed Petrus & Paulus habent eandem realiter definitionem hominis; cum definitio hominis, scilicet animal rationale, vtrique realiter conueniat; eò quòd vterque sit animal rationale.

8. Respondetur, Petrum & Paulum habere eandem realiter definitionem hominis formalem, non tamen objectiuam: definitio formalis hominis est conceptus animalis rationalis; objectiua verò est ipsum animal rationale: conceptus autem repræsentantes animal rationale quod est in Petro, repræsentant etiam animal rationale quod est in Paulo; & ideo ijdem conceptus repræsentant vtrumque animal rationale seorsim, non simul; at animal rationale non est idem realiter in Petro & Paulo, cum Petrus & Paulus sint duo animalia rationalia realiter distincta.

9. Instantia. *Petrus & Paulus sunt idem realiter animal rationale:* Ergo nulla solutio. Antecedens sic probatur: Petrus & Paulus sunt vnum & idem realiter in aliquo: Ergo potissimùm sunt vnum & idem realiter in homine & animali rationali. Antecedens sic probatur: Si datur aliquid in quo Petrus & Paulus non differant realiter, sequitur Petrum & Paulum esse vnum & idem realiter in aliquo: Sed datur aliquid in quo Petrus & Paulus non differunt realiter: Ergo Petrus & Paulus sunt vnum & idem realiter in aliquo. Minor sic probatur: Si non detur aliquid in quo Petrus & Paulus non differant realiter, sequitur Petrum & Paulum differre realiter in omnibus: Sed Petrus & Paulus non differunt realiter in omnibus: Ergo datur aliquid in quo Petrus & Paulus non differunt realiter. Minor sic probatur: Si Petrus & Paulus differrent realiter in omnibus, non posset dari major differentia realis quàm ea quæ est inter Petrum & Paulum; cum non possit dari major differentia quàm differentia in omnibus: Sed potest dari major differentia realis, quàm ea quæ est inter Petrum & Paulum: Ergo Petrus & Paulus non differunt realiter in omnibus. Minor sic probatur: Petrus & Bucephalus magis differũt realiter quàm Petrus & Paulus: Ergo datur major differentia realis quàm ea quæ est inter Petrum

&

& Paulum. Antecedens sic probatur. Quæ differunt specie & numero, magis differunt, quàm quæ differunt solo numero: Sed Petrus & Bucephalus differunt specie & numero; Petrus verò & Paulus differunt solo numero: Ergo Petrus & Bucephalus magis differunt quàm Petrus & Paulus.

10. Respondetur, Petrum & Paulum distingui realiter in omnibus; quia nihil est in Petro quod non distinguatur ab eo quod est in Paulo: Vnde Petrus & Bucephalus non magis distinguuntur realiter quàm Petrus & Paulus; nam æquè Petrus non potest esse realiter Paulus, ac Petrus non potest esse realiter Bucephalus; impossibilia enim sunt æquè impossibilia: Et cum differre seu distingui sit vnum non esse aliud, & Petrus æquè non sit Paulus, ac Petrus non est Bucephalus; clarum est Petrum & Paulum æquè realiter differre aut distingui, ac Petrum & Bucephalum; vbi autem est æqualis differentia aut distinctio, ibi nec major nec minor esse potest: Petrus tamen & Bucephalus magis aliquo modo differre dicuntur quàm Petrus & Paulus, scilicet specie seu apparenter, quatenus magis apparent differre, ob majorem eorum dissimilitudinem: Ideo magis differunt realiter, idest magis sunt dissimiles realiter, non tamen magis differunt realiter, idest non magis distinguuntur realiter: firmum igitur manet hoc axioma, quæcunque differunt æqualiter differunt, & quæ identificantur æqualiter identificantur.

11. Instantia. *Petrus & Bucephalus magis differunt & distinguuntur realiter, quàm Petrus & Paulus, & distinctio specifica & realiter major numericâ solâ:* Ergo nulla solutio: Antecedens sic probatur: Quæ differunt realiter secundum essentiam & existentiam, magis differunt realiter quàm ea quæ differunt tantùm realiter secundum existentiam. Sed Petrus & Bucephalus differunt realiter secundum essentiam & existentiam; Petrus verò & Paulus differunt realiter secundum existentiam tantùm: Ergo Petrus & Bucephalus magis differunt realiter quàm Petrus & Paulus. Nec dicas essentiam & existentiam esse idem realiter: nam in Metaphysicis probatur realiter distingui. Respondetur essentiam & existentiam non distingui realiter, vt probabitur in Metaphysicis; & objectiones in contrarium ibidem soluemus.

12. Objectio 3. *Species malè definitur prædicabile de pluribus solo numero differentibus : quia omnia bona definitio debet esse adæquata definito : Sed talis definitio speciei non est ipsi adæquata*, quod sic probatur : Definitio adæquata soli speciei conuenit: Sed talis definitio speciei, non conuenit soli speciei : Ergo non est adæquata. Minor sic probatur : Quod conuenit Indiuiduo non conuenit soli speciei : Sed talis definitio speciei conuenit Indiuiduo : Ergo non conuenit soli speciei. Minor sic probatur : Quod conuenit Deo, conuenit Indiuiduo cùm Deus sit maximè Indiuiduum & singulare : Sed talis definitio speciei conuenit Deo: Ergo conuenit Indiuiduo. Minor sic probatur, Deus prædicatur de pluribus solo numero differentibus : Ergo talis definitio

G 2

ſpecie conuenit Deo. Antecedens ſic probatur: Quod prædicatur de Patre, Filio & Spiritu Sancto, prædicatur de pluribus ſolo numero differentibus: Sed Deus prædicatur de Patre, Filio; & Spiritu Sancto: ergo Deus prædicatur de pluribus ſolo numero differentibus.

13. Reſponſio. Deus prædicatur de Patra, Filio & Spiritu Sancto; ſed non prædicatur de ipſis diuiſim, ideſt non diuiditur & non multiplicatur in ipſis, quod tamen requiritur ad rationem vniuerſalis, atque adeo ſpeciei: quòd autem Deus non multiplicetur in tribus perſonis, patet ex eo quòd tres perſonæ diuinæ differant quidem realiter & numero in ratione perſonæ diuinæ, cum ſint tres perſonæ diuinæ realiter diſtinctæ; non tamen differunt realiter & numero in ratione Dei aut eſſentiæ diuinæ, cùm non ſint tres Dei, ſed vnus numero duntaxat; vno verbo Deus non prædicatur de pluribus in ratione Dei licet prædicetur de pluribus in ratione perſonæ diuinæ.

14. Inſtantia *Perſonæ diuinæ conuenit definitio ſpeciei*, quia prædicatur de pluribus ſolo numero differentibus in quid ſcilicet de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, & in illis multiplicatur, cum ſint tres perſonæ diuinæ realiter diſtinctæ: *Sed perſona diuina non eſt ſpecies: ergo talis definitio ſpeciei non conuenit illi ſoli.* Minor ſic probatur: Omnis ſpecies habet genus: Sed perſona diuina non habet genus: ergo perſona diuina non eſt ſpecies. Minor ſic probatur: Si perſona diuina haberet genus, tale genus eſſet perſona: ſed perſona non eſt genus perſonæ diuinæ: ergo perſona diuina non habet genus. Minor ſic probatur: perſona non eſt genus perſonæ increatæ & creatæ: ergo non eſt genus perſonæ diuinæ. Antecedens ſic probatur: ſi perſona eſſet genus perſonæ creatæ & increatæ; vel eſſet genus vniuocum, vel analogum: Sed neutrum dici poteſt; Non quidem vniuocum; quia perſona creata participat tantùm rationem perſonæ, ſcilicet eſſe ſuppoſitum intellectuale, dependenter à perſona increata: Non etiam analogum, quia inter finitum & infinitum, atque adeo inter perſonam creatam & increatam nulla eſt analogia ſeu proportio.

15. Reſponſio, Perſona diuina eſt ſpecies, & perſona in communi eſt genus, ſaltem analogum reſpectu perſonæ creatæ & increatæ, definitio enim perſonæ, ſcilicet eſſe ſuppoſitum intellectuale vtrique conuenit: licet autem inter finitum & infinitum; atque adeo inter creatum & increatum, nulla ſit analogia ſeu proportio mathematica, cum dici non poſſit quatùm infinitum ſuperet finitum: attamen eſt aliqua porportio, conuenientia, & ſimilitudo metaphyſica, putà in ente, in ſuppoſito, & in perſona.

16. Objectio 4. *Species infima prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in quid: ergo ſpecies infima ſeu ſpecialiſſima eſt genus.* Antecedens ſic probatur: quod prædicatur de homine, aſino, albedine &c. prædicatur de pluribus ſpecie differentibus: ſed ſpecies infima prædica-

tur

tur de homine, asino, albedine &c. Cum homo sit species infima, asinus sit species infima, albedo sit species infima &c. Ergo species infima prædicatur de pluribus specie differentibus. Item, Indiuiduum prædicatur de pluribus solo numero differentibus in quid, scilicet de Petro, Paulo &c. Ergo est species: prædicatur etiam de pluribus specie differentibus, scilicet de Petro & Bucephalo: ergo est genus. Hinc sequitur, quamlibet speciem infimam seu specialissimam habere duo genera non subalterna, sed collateralia & diuersa, putà hominem habere duo genera diuersa, scilicet animal & speciem infimam: albedinem habere etiam duo genera diuersa, scilicet colorem & speciem infimam; species enim infima nec est animal, nec color; & animal aut color non est species infima. Hinc etiam sequitur prædicabile de pluribus solo numero differentibus, non esse prædicabile de pluribus solo numero differentibus, cum prædicetur etiam de pluribus specie differentibus.

17. Respondent nonnulli primò, hominem & asinum differre quidem specie secundum se, scilicet in ratione hominis & asini; sed non differre specie in ratione speciei infimæ, quia conueniunt in ratione speciei infimæ, eò quòd vterque sit species infima; & ideo speciem infimam non esse genus hominis & asini. Verùm contra sic arguo: si ideo species infima non est genus hominis & asini, & homo & asinus non differant specie in ratione speciei infimæ, quia conueniunt in ratione speciei infimæ, & vterque est species infima: etiam animal non erit genus hominis & asini, & homo & asinus non different specie in ratione animalis, quia ambo conueniunt in ratione animalis, & vterque est animal; alioquin assignetur disparitas: cum igitur animal sit genus hominis & asini, etiam species infima erit genus eorundem.

18. Respondent nonnulli secundò, distinguendo inter speciem infimam in actu signato, & speciem infimam in actu exercito: *res in actu signato* est res designata & expressa nomine proprio, & considerata vt talis, putà animal in actu signato est animal designatum & expressum nomine animalis, & consideratum vt animal, vt cùm dicitur, animal est genus, animal est sensitiuum: *res verò in actu exercito* est res quæ est realiter talis, sed non concipitur vt talis, vt homo est animal in actu exercito, quia est realiter animal, sed non concipitur vt animal. Igitur species infima in actu signato, est species infima, expressa nomine speciei infimæ, & considerata vt species infima, vt cùm dicitur species infima definitur prædicabile de pluribus solo numero differentibus in quid; species verò infima in actu exercito est res quæ est species infima, sed non consideratur vt species infima; & sic homo est species infima in actu exercito, quia est realiter species infima, sed non consideratur vt species infima. Iam vna species infima in actu signato non prædicatur de homine & asino, quia homo & asinus non sunt vna species in actu signato, sed duæ species in actu exercito: species verò infima in actu exercito est vna certa species infima, putà homo, prædicabilis tantùm de pluribus

numero differentibus: & sic species infima, siue in actu signato, siue in actu exercito, non erit prædicabilis de pluribus specie differentibus, atque adeo non erit genus; Verùm contra, idem dici potest de animali: Nam vnum animal in actu signato non prædicatur de homine & asino, cum homo & asinus non sint animalia in actu signato, sed tantùm in exercito: & animal in actu exercito fit vnum certum animal, purà homo, prædicabile tantùm de pluribus numero differentibus; & sic animal, siue in actu signato, siue in actu exercito, non erit prædicabile de pluribus specie differentibus, atque adeo non erit genus. Dices animal in communi, sumptum adæquatè pro omnibus animalibus simul, prædicari de homine, asino, & cæteris animalibus simul. Sed contra, idem dici potest de specie infima; Nam species infima in communi sumpta adæquatè pro omnibus speciebus infimis simul, prædicatur de homine, asino & cæteris speciebus simul: vno verbo eodem modo philosophandum est de specie infima respectu hominis & asini, ac de animali respectu eorumdem.

19. Respondent alij tertiò, hanc esse differentiam inter animal respectu hominis & asini, & speciem infimam respectu eorumdem; quòd animal primo intentionaliter sumptum, prædicetur de homine & asino, atque adeo sit genus; at species infima primo intentionaliter sumpta, non prædicetur de homine & asino, atque adeo non sit genus: *prima intentio objectiua*, est res in particulari, id est in certo prædicamento contenta, vel pertinens ad objecta scientiarum à Logica distinctarum, vt homo, quantitas, ens &c. *Secunda intentio objectiua*, est res in communi, idest in certo prædicamento non contenta, & pertinens tantùm ad objectum Logicæ, vt genus, species &c. Prima & secunda intentio seu notio formalis, sunt conceptus primæ & secundæ intentionis objectiuæ. Contra hanc responsionem, dico solam speciem infimam primo intentionaliter sumptam, prædicari de homine & asino, non autem speciem infimam secundo intentionaliter sumptam; eò quòd homo & asinus sint primæ intentiones objectiuæ tantùm, de quibus secundæ non possunt prædicari, nisi fortè inadæquatè.

20. Meliùs fortè respondetur, speciem infimam nihil aliud esse quàm similia in omnibus actu vel potentia; actu, vt omnes guttæ aquæ elementaris; potentiâ vt omnes homines; quòd si sumantur omnia similia ejusdẽ nominis, putà omnes homines, constituitur species infima inadæquatè sumpta pro vna determinatè, idest constituitur vna numero species infima determinata, scilicet homo in communi complectens omnes homines simul, vt cum dicitur homo in communi est species infima: si sumantur similia omnia multarum rerum diuersi nominis, putà omnes homines, omnes asini, omnes equi constituitur species infima inadæquatè sumpta pro pluribus, idest constituitur multiplex species infima: si vero sumantur omnia similia omnium rerum diuersi nominis constituitur species infima in communi complectens omnes species infimas: Cum autem ejusmodi similia sint adjectiua necessaria, secundaria, rebus conuenientia, dicuntur propria,

propria; & quidem dicuntur proprium specificum, si sit quæstio de vna numero specie infima; proprium verò genericum, si sit quæstio de specie infima multiplici, aut de specie infima in communi: In definitione autem speciei infimæ, nullo trium horum modorum sumitur species infima, sed sumitur pro vna specie infima indeterminatè, idest pro qualibet specie infima, & ideo species infima definita à nobis, nec potest esse genus, nec proprium genericum; sed tantùm species infima in communi, aut multiplex potest esse genus aut proprium genericum. Hîc tamen notandum est definitionem speciei posse exprimi duobus modis: primò hoc modo, species definitur prædicabile de pluribus solo numero differentibus in quid; & tunc species sumitur pro vna specie infima indeterminatè, considerata vt specie infimâ, idest pro qualibet specie infima considerata vt specie infimâ, seu pro qualibet specie infima in actu signato: non autem pro vna specie infima determinatè, putà pro homine, homo enim non definitur prædicabile de pluribus solo numero differentibus in quid, sed definitur animal rationale: secundò exprimitur hoc modo, species est prædicabile de pluribus solo numero differentibus in quid; & tunc species sumitur pro vna specie infima siue determinatè, siue indeterminatè, siue in actu exercito, siue in actu signato; homo enim verbi gratia est tale prædicabile, licet non definiatur seu explicetur per tale prædicabile, sed per animal rationale.

21. Instantia. *Vna numero species infima determinatè, prædicatur de pluribus specie differentibus, atque adeo est genus:* Ergo nulla solutio. Antecedens sic probatur: homo prædicatur de pluribus specie differentibus: homo est vna numero species infima determinatè: Ergo vna species infima determinatè prædicatur de pluribus specie differentibus. Major sic probatur: Album & nigrum differunt specie, cum sint duæ diuersæ species colorati: Sed homo prædicatur de albo & nigro, scilicet de Angelo & Æthiope: Ergo species prædicatur de pluribus specie differentibus.

22. Responsio Album & nigrum differunt specie formaliter & in abstracto, scilicet albedo & nigredo, quæ sunt duæ diuersæ species coloris; non tamen materialiter & in concreto, saltem in homine respectu cujus sunt accidentalia.

23. Instantia. *Homo prædicatur de pluribus specie essentiali, & proprietate incommunicabili distinctis:* Ergo nulla solutio. Antecedens sic probatur: Animal prædicatur de pluribus specie essentiali & proprietate incommunicabili distinctis, & ideo est genus: Sed homo est animal: Ergo homo prædicatur de pluribus specie essentiali, & proprietate incommunicabili distinctis, & ideo est genus. Eodem argumento probatur Indiuiduum, putà Petrum, esse speciem hoc pacto: homo est species: Sed Petrus est homo: Ergo Petrus est species.

24. Responsio. In Syllogismis allatis sunt duo media, atque adeo quatuor termini, & per consequens Syllogismi sunt vitiosi: Nam in priori Syllogismo, animal in majori sumitur pro animali in communi compre-

hendente omnia animalia tam rationalia quàm irrationalia; in minori verò sumitur pro animali in particulari comprehendente tantùm animalia rationalia: Pariter in posteriori Syllogismo, homo sumitur in majori pro homine in communi, in minori verò pro homine in particulari.

25. Objectio 5. *Genus non potest definiri*: Ergo malè est definitum in thesi. Antecedens sic probatur: Quod definitur debet esse species ex Aristotele 7. Metaph. Nam quod definitur componitur ex genere & differentia; sola autem species sic componitur: At genus non est species, sed est distinctum vniuersale seu prædicabile ab ipsa. Néc dicas genus esse speciem vniuersalis seu prædicabilis, & hoc modo posse definiri: Nam definitio generis debet conuenire generi prout est genus, sicut definitio hominis debet conuenire homini prout est homo: At genus vt genus non est species.

26. Responsio. Primò, major est falsa, scilicet quod definitur debet esse species; Nam ens definitur & explicatur per non repugnans, vel per positiuum, cum tamen non sit species, sed genus summum. Secundò, confirmatio majoris est falsa, scilicet quod definitur est compositum ex genere & differentia; nam definitionem debere tantùm constare differentiâ probabitur in quarta parte Logicæ, dum de Definitione. Tertiò, Res quæ est speciès non definitur, sed tantùm pars ejus; putà homo qui est species, non definitur animal rationale; nam homo qui est species, est homo in communi comprehendens omnes homines; at homo in communi non definitur animal rationale; quia definitio & definitum conuertuntur & reciprocantur, idest definitio debet conuenire omni soli & semper definito, & definitum debet conuenire omni soli & semper definitioni; homo verò in communi & animal rationale non conuertuntur, cum omne animal rationale non sit homo in communi, & solus homo in communi non sit animal rationale, siquidem Petrus est animal rationale, & tamen non est homo in cõmuni: homo igitur qui definitur animal rationale, est homo vt homo, idest quilibet homo consideratus vt homo indeterminatè; homo verò qui est animal rationale, est quilibet homo siue determinatè siue indeterminatè. Quartò, genus afficiens naturam aliquam determinatam, putà genus animalis, quod nihil aliud est quàm animal in communi, est vnum numero genus, cum non sint plura genera animalis, nec plura animalia in communi; non tamen est propriè indiuiduum; quia Indiuiduum propriè est vnum numero ens, genus verò animalis seu animal in communi est collectio multorum entium, scilicet omnium animalium; Indiuiduum propriè prædicatur tantùm de vno ente, at animal in communi prædicatur de omnibus animalibus simul sumptis. Quintò, genus nullam naturam determinatam afficiens, idest genus vt genus, idest quodlibet genus consideratum vt genus indeterminate, est illud quod definitur prędicabile de pluribus specie differentibus in quid; quodlibet autem genus siue determinatè siue indeterminatè est prædicabile de pluribus specie diffe-

differentibus in quid: Tale autem genus vt genus est vnum numero genus indeterminatè, id est quodlibet genus seorsim indeterminatè; non tamen est propriè indiuiduum, quia non est vnum numero ens, vt suprà. Sextò, genus in communi sumptum adæquatè pro omnibus generibus simul, non definitur prædicabile de pluribus specie differentibus in quid; quia tale prædicabile & genus in communi, non conuertuntur aut reciprocantur, cum solum genus in communi non sit tale prædicabile, & omne tale prædicabile non sit genus in communi; animal enim in communi est tale prædicabile, & tamen non est genus in communi. Septimò, genus in communi est prædicabile de pluribus specie differentibus in quid, quorum aliqua differunt specie adæquatè, vt animal in communi & color in communi, alia verò differunt tantùm specie inadæquatè seu partialiter, vt animal in communi & auis in communi, quæ se habent vt totum & pars, vt includens & inclusum, Octauò, genus siue in communi siue in particulari, siue genus vt genus, siue alio modo, siue determinatè siue indeterminatè, non est species vniuersalis; & vniuersale non est genus generis, speciei &c. Quia veræ & propriè dictæ species sunt oppositæ, & realiter intrinsecè ac adæquatè distinctæ, adeo vt vna non sit alia, nec vna sit pars alterius, vt patet in homine & bruto, in albedine & nigredine: Sed genus in communi, species in communi &c. non sunt opposita, & realiter intrinsecè ac adæquatè non sunt distincta; quia sicut totum continet suas partes, sic genus continet suas species; atque adeo sicut totum non distinguitur à partibus simul sumptis, sic genus non distinguitur à suis speciebus simul sumptis; verbi gratiâ color, qui dicitur genus, & nigredo, quæ dicitur species ejus, non distinguuntur realiter in eodem, putà in atramento: idemque dicendum de colore & albedine in lacte, &c. quia sunt gradus essentiales Metaphysici, qui non distinguuntur, quia non negantur de se inuicem, vt suprà; & sic color in communi, qui est vnum genus, non distinguitur à nigredine, albedine, & cæteris coloribus simul sumptis, qui sunt species ejus: quòd si vnum genus non distinguatur à suis speciebus simul sumptis, etiam reliqua genera non distinguentur à suis speciebus simul sumptis ob eandē rationem, & sic omnia genera identificabūtur cum omnibus speciebus: cum autem genus in communi nihil aliud sit quàm omnia genera; & species in communi nihil aliud sit quàm omnes species, manifestum est genus in communi & speciem in communi realiter non distingui, atque adeo non esse species oppositas: quòd spectat ad differentiam genericam & specificam, ad proprium genericum & specificum, certum est non distingui à suis subjectis, scilicet à genere & specie, vt suprà probatum est: Denique, accidens materialiter & in concreto sumptum identificatur cum suo subjecto. 9. Vniuersale in communi nihil aliud est quàm omnia vniuersalia, sicut animal in communi nihil aliud est quàm omnia animalia: Et quia omnia vniuersalia nihil aliud sunt quàm omnia genera quæ sunt genus in communi, omnes species quæ sunt species in communi &c. Clarum est vniuersale in communi nihil aliud esse quàm

genus in communi, ſpeciem in communi &c. atque adeo vniuerſale in communi non diſtingui realiter intrinſecè à genere in communi, ſpecie in communi &c. 10. Ex eo quòd genus in communi, & ſpecies in communi, non diſtinguantur realiter intrinſecè inter ſe, & genus in communi, ſpecies in communi &c. ſimul non diſtinguantur realiter intrinſecè ab vniuerſali in communi; ſequitur neceſſario genus in communi & ſpeciem in communi ſeorſim, non diſtingui realiter intrinſecè ab vniuerſali in communi; & ideo has propoſitiones eſſe veras, genus in communi eſt vniuerſale in communi, & ſpecies in communi eſt vniuerſale in communi, ratio eſt quia quæ ſunt idem inter ſe, & ſunt idem cum vno tertio, tertium illud eſt idem cum illis, ſiue ſimul ſiue ſeorſim ſumptis, verbi gratia rationale & riſibile ſunt idem inter ſe, & ſunt idem cum homine, homo igitur eſt idem cum rationali & riſibili ſiue ſimul ſiue ſeorſim ſumptis. 11. Licet genus in communi, & ſpecies in communi, ſint idem realiter intrinſecè, attamen diſtinguuntur realiter extrinſecè, ideſt habent connotata extrinſeca diuerſa quibus ſolent explicari; & diſtinguuntur realiter extrinſecè adæquatè, quia connotata extrinſeca vtriuſque ſe totis diſtinguuntur: vniuerſale verò in communi, quod dicit genus in communi & ſpeciem in communi, non differt realiter extrinſecè ab illis ſimul; ſed differt realiter extrinſecè inadæquatè ab illis ſeorſim; à genere quidem in communi per connotata extrinſeca ſpeciei in communi, & à ſpecie in communi per connotata extrinſeca generis in communi: vnde fit vt vniuerſale in communi ſit idem realiter intrinſecè & extrinſecè adæquatè cum genere in communi & ſpecie in communi ſimul, atque adeo prædicetur de illis ſimul identicè realiter & formaliter; ſed non eſt idem extrinſecè adæquatè cum illis ſeorſim; atque adeo vniuerſale hoc modo ſe habet ad genus, tanquam totum, nunquam tamen tanquam genus ad ſpeciem; & ſic vniuerſale in communi non eſt genus generis in communi, & genus in communi non eſt ſpecies vniuerſalis in communi. 12. Vniuerſale vt vniuerſale, ideſt conſideratum vt vniuerſale, genus vt genus, ideſt conſideratum vt genus; & ſpecies vt ſpecies, ideſt conſiderata vt ſpecies, differunt ſecundum conceptum; qui enim cognoſcit aliquid eſſe vniuerſale, non ſtatim cognoſcit eſſe genus, nec ſtatim cognoſcit eſſe ſpeciem; vnde non valet conſequentia, eſt vniuerſale, ergo eſt genus; eſt vniuerſale, ergo eſt ſpecies: Conceptus igitur vniuerſalis eſt conceptus rerum ſimilium ſimpliciter & præcisè: conceptus generis eſt conceptus rerum ſimilium in quibuſdam & diſſimilium in alijs: conceptus verò ſpeciei eſt conceptus rerum ſimilium in omnibus. Per ſupradicta facilè ſoluuntur objectiones ſequentes.

27. Objectio 6. *Si genus ſit vniuerſale, & ſpecies ejus*; cum vniuerſale ſit etiam genus quinque vniuerſalium, *ſequetur genus eſſe ſuperius reſpectu vniuerſalis*, cum genus prædicetur de vniuerſali; *& eſſe inferius reſpectu ejuſdem*, cum vniuerſale prædicetur de genere; & ſic

vnum

vnum & idem erit superius & inferius respectu ejusdem, scilicet genus respectu vniuersalis; & vlteriùs sequetur eandem rem esse seipsâ superiorem; quod enim est superius superioris est etiam superius inferioris.

28. Responsio. Genus est vniuersale in particulari & identificatum cum genere, atque adeo non est species ejus: & vniuersale non est genus quinque vniuersalium, vt probatum est in responsione ad præcedentem objectionem.

29. Instantia. *Vniuersale prædicatur de genere, tanquam genus de specie*: ergo nulla solutio. Antecedens sic probatur: quicquid prædicatur de aliquo, vel prædicatur vt genus, vel vt species, vel vt differentia, vel vt proprium, vel vt accidens; cum hæc quinque duntaxat sint prædicabilia: sed vniuersale prædicatur de genere, cum genus sit vniuersale: ergo prædicatur de ipso, vel tanquam genus, vel tanquam species, vel tanquam differentia, vel tanquam proprium, vel tanquam accidens: sed vniuersale non prædicatur de genere tanquam species, nec tanquam differentia, nec tanquam proprium, nec tanquam accidens: ergo vniuersale prædicatur de genere, tanquam genus de specie, & reuera vniuersale se habet ad genus, sicut animal ad hominem, alioquin assignetur disparitas: sed animal est genus hominis: ergo vniuersale est genus generis.

30. Responsio. Hæc assignari potest disparitas & differentia inter animal respectu hominis, & vniuersale respectu generis; quòd homo in communi & animal in communi non sint idem realiter intrinsecè adæquatè, sed tantùm inadæquatè; quia homo in communi est tantùm pars animalis in communi; vnde fit vt animal in communi non prædicetur de homine in communi; & hæc præposito sit falsa, homo in communi est animal in communi, quia omnes homines qui constituunt hominem in communi, non sunt omnia animalia quæ constituunt animal in communi: At vniuersale in communi & genus in communi sunt idem realiter intrinsecè adæquatè, vt suprà probatum est. Deinde, animal in communi, prædicatur de pluribus intrinsecè realiter adæquatè & specie distinctis, scilicet de homine & bruto; & ideo est verum genus: At vniuersale in communi quod prædicatur de genere in communi & specie in communi prædicatur de pluribus intrinsecè realiter non distinctis, & ideo non est verum genus. Quare, cùm vniuersale prædicatur de genere, de eo prædicatur tanquam pars vniuersalis in communi de parte generis in communi, quæ duæ partes realiter intrinsecè adæquatè identificantur: & cum vniuersale in communi prædicatur de genere in communi, de eo prædicatur tanquam totum vniuersale de toto genere, quæ duo tota sunt idem realiter intrinsecè adæquatè, vt suprà probatum est.

31. Objectio 7. *Animal est vnum numero genus*, cum non sint plura

genera animalis, sed tantùm plures species: Color enim est vnum numero genus, cum non sint plura genera coloris, sed tantùm plures species ejus; & sic de cæteris generibus; atque adeo omne genus est vnum numero genus: inde autem formatur hoc argumentum; vnum numero est indiuiduum, cum indiuiduum describatur id quod est vnum numero; sed omne genus est vnum numero, cum sit vnum numero genus sicut omnis homo seu quilibet homo est vnus numero, cum sit vnus numero homo: ergo omne genus est indiuiduum, quod est absurdum.

32. Responsio. Indiuiduum propriè est indiuisum in se, id est nihil habet in se quod sit diuisum, & ideo est vnum numero ens: animal autem in communi non est indiuiduum; cum enim animal in communi sit collectio omnium animalium, non est indiuisum in se, sed habet in se animalia diuisa: & licet animal in communi sit vnum numero genus, & vna numero multitudo & collectio omnium animalium; non tamen est vnum numero ens, sed multa entia; & ideo non est indiuiduum, quilibet autem homo est indiuiduum, quia est vnus numero homo, qui est vnum numero ens.

33. Objectio 8. *Si genus sit species vniuersalis, erit vera species*, sicut homo qui est species animalis est vera species; *& si genus sit vera species, sequetur vnam speciem prædicari de altera*, scilicet speciem de genere, cum species sit alia species vniuersalis, & vniuersale sit genus quinque vniuersalium, quorum vnum est species. Objectio 9. *Species non est genus*, cum definitio generis ei non conueniat: *sed genus est species*, cum sit species vniuersalis: *ergo genus non est genus*, quod est contradictorium. Objectio 10. *Genus est species*, cum sit species vniuersalis: *sed species non est genus*, cum definitio generis ei non conueniat: *ergo species latiùs patet genere*, sicut animal latiùs patet homine, quia homo est animal, & animal non est homo. Objectio 11. *Species est species vniuersalis* eodem modo quo genus: ergo sicut hæc propositio, genus est species, non est identica; etiam hæc propositio species est species non erit identica, cum tamen æquè videatur identica ac ista homo est homo. Objectio 12. *Vniuersale latiùs patet genere*, cum sint quinque species vniuersalis, quarum genus est vna duntaxat, & genus est vniuersale, sed non est omne vniuersale: *genus verò latiùs patet vniuersali*; quia vniuersale est tantùm vnum numero genus, & non est omne genus; genus verò continet omne genus, atque adeo latiùs patet vno genere, scilicet vniuersali: *vnde sequitur vniuersale latiùs patere genere, & genus latiùs patere vniuersali*, quæ videntur contradictoria; quòd si vniuersale latiùs pateat genere, & genus latiùs pateat vniuersali, sequetur genus latiùs patere seipso, & distingui à seipso, quod est ridiculum. Objectio 13. *Species*, quæ est secundum vniuersale; *prædicatur de aliis vniuersalibus*; istæ enim propositiones sunt veræ,

veræ, genus est species vniuersalis, differentia est species vniuersalis, &c. *Ergo sub specie comprehenduntur omnia vniuersalia*, atque adeo datur tantùm vnum vniuersale, scilicet species. Objectio decima quarta. *Si genus esset species vniuersalis, etiam species generis esset species ejus*, juxta illud, quod est pars partis est etiam pars totius: *Sed vna species generis, scilicet genus summum, non est species vniuersalis*, cum non habeat supra se genus: *Ergo nec genus in communi erit species vniuersalis.*

34. Responsio. Hæ omnes objectiones soluuntur dicendo genus non esse speciem vniuersalis; speciem non esse speciem vniuersalis, & vniuersale non esse genus generis & speciei, quod suprà probatum est.

35. Objectio decima quinta. *Genus prædicatur de Ente*, cum ens sit genus substantiæ & accidentis: Genus autem quod prædicatur de Ente, vel est superius vel æquale ipsi, cum inferius non prædicetur de superiori: *At Ens latiùs patet genere in communi*, cum omne genus in communi sit ens, alioqui nihil esset, & omne ens non sit genus in communi: *Ergo genus entis*, quod prædicatur de Ente, & est superius aut æquale ipsi, & est genus in particulari seu vnum numero genus, *latiùs patet genere in communi*, quod est absurdum.

36. Responsio. Vniuersale in communi, Genus in communi, Species in communi, Indiuiduum in communi, Ens in communi, & vnum numero genus determinatum ad ens in communi, sunt idem realiter intrinsecè adæquatè: De vniuersali in communi, specie in communi, & genere in communi suprà probatum est: De Indiuiduo in communi patet, quia Indiuiduum in communi nihil aliud est quàm omnia Indiuidua; & cum omnia indiuidua vnius speciei simul identificentur cum illa, clarum est omnia Indiuidua omnium Indiuiduorum simul esse idem cum omnibus speciebus, atque adeo cum specie in communi, & per consequens cum genere in communi & vniuersali in communi; quod enim identificatur cum aliquo, identificatur cum iis omnibus quæ identificantur cum ipso: De ente in communi manifestum est; nam ens in communi nihil aliud est quàm omnes entitates simul; quæ sunt omnia Indiuidua simul; atque adeo sunt Indiuiduum in communi, & per consequens sunt species in communi, genus in communi & vniuersale in communi: Denique vnum numero genus determinatum ad ens in communi, nihil aliud est quàm Ens in communi. Dixi ea omnia esse idem realiter intrinsecè adæquatè; eò quòd secundum conceptum nostrum distinguantur hoc pacto: Ens in communi dicit omnes entitates sub ratione seu conceptu non repugnantis: vnum numero genus determinatum ad ens in communi dicit omnes entitates sub ratione similium in entitate, & identificatarum cum substantia & accidente specie distinctis: Vniuersale in communi dicit omnia vniuersalia sub ratione similium in aliquo, & identificatorum cum pluribus reali-

ter diſtinctis præciſè,non conſiderando diſtinctionem ſpecificam aut numericam, ſed abſtrahendo ab vtraque; Genus in communi dicit omnia genera ſub ratione ſimilium in aliquo, & identificatorum cum pluribus ſpecie diſtinctis: Species in communi dicit omnes ſpecies ſub ratione ſimilium, & identificatorum cum pluribus ſolo numero diſtinctis. Et Indiuiduum in communi dicit omnia Indiuidua ſub ratione vnius Entis, ſed diſſimilis omnibus aliis; & ab iis numero ſolo diſtincti.

37. Objectio 16. *Differentia inferior includit formaliter ſuperiorem*, quod ſic probatur. Rugibile includit formaliter ſenſitiuum: Sed rugibile eſt differentia inferior, & ſenſitiuum eſt differentia ſuperior: Ergo differentia inferior includit formaliter ſuperiorem. Major ſic probatur: omne rugibile eſt ſenſitiuum: Ergo rugibile includit formaliter ſenſitiuũ. Dices, rugibile eſſe realiter ſenſitiuum, non tamen formaliter; quia vtriuſque conceptus eſt diuerſus. Verùm contra ſic arguo: Rugibile eſt formaliter ſenſitiuum: Ergo nulla ſolutio. Antecedens ſic probatur: Principium rugitus eſt formaliter principium ſenſationis: Sed rugibile eſt principium rugitus, & ſenſitiuum eſt principium ſenſationis: Ergo rugibile eſt formaliter ſenſitiuum. Major ſic probatur: Rugitus eſt formaliter ſenſatio: Ergo principium rugitus eſt formaliter principium ſenſationis. Antecedens ſic probatur: Sine ſenſatione non poteſt concipi rugitus: Ergo rugitus eſt formaliter ſenſatio. Antecedens ſic probatur: Sine genere non poteſt concipi ſpecies, putà homo ſine animali: Sed ſenſatio eſt genus, & rugitus eſt ſpecies ſenſationis: Ergo ſine ſenſatione non poteſt concipi rugitus.

38. Reſponſio. Rugitus eſt formaliter ſenſatio, ſi rugitus conſideretur ſecundum totam ſuam rationem formalem, ſcilicet vt ſpecies & totum eſſentiale Metaphyſicum compoſitum ex ſenſatione tanquam ex genere, & ex differentia contrahente ſenſationem ad rugitum, concedo: Rugitus in eſſe rugitus, & ſecundum partialem rationem formalem, quatenus ſcilicet eſt differentia contrahens ſenſationem ad rugitum, eſt formaliter ſenſatio, Nego. Rugibile autem eſt formaliter principium rugitus, non quatenus rugitus ſumitur ſecundum totam ſuam rationem formalem, ſed tantùm quatenus ſumitur ſecundum partialem.

39. Objectio 17. *Proprietates diſtinguuntur realiter à ſuis ſubjectis*, quod ſic probatur: Accidens diſtinguitur realiter à ſubſtantia: Sed ſubjectum eſt ſubſtentia, & proprietates ſunt accidentia: Ergo proprietates diſtinguuntur realiter à ſuis ſubjectis. Minor ſic probatur: Qualitates ſunt accidentia, cum qualitas conſtituat diuerſum prædicamentum à ſubſtantia, & prædicamenta ſunt inſtituta ad res diſtinguendas: Sed proprietates ſunt qualitates: Ergo proprietates ſunt accidentia. Minor ſic probatur: Potentiæ naturales ſunt qualitates, cùm ponantur in ſecunda ſpecie qualitatis; Sed proprietates ſunt ordinariè potentiæ naturales, vt calor ignis, humiditas aquæ, &c. Ergo proprietates ſunt qualitates.

40. Reſponſio. Qualitates ſunt accidentia, diſtinguo; qualitates modales, quales ſunt figuræ & habitus, concedo; qualitates fundamentales, quales

quales ſunt potentiæ naturales & proprietates ſubſtantiarum, nego : Illæ diſtinguuntur realiter à ſubjectis aut ſubſtantijs ; hæ verò non diſtinguuntur ab ipſis.

41. Inſtantia. *Qualitates fundamentales* , quales ſunt proprietates & potentiæ naturales, *ſunt qualitates accidentales ſeu accidentia* : Ergo nulla ſolutio. Antecedens ſic probatur : Qualitates quæ ſunt ſeparabiles à ſuis ſubjectis, ſunt accidentales & accidentia realiter diſtincta à ſubjectis, cum nihil poſſit eſſe ſine ſeipſo, & res non poſſit eſſe ſine eo quod identificatur cum ipſa: Sed qualitates fundamentales , quales ſunt proprietates & potentiæ naturales, ſunt ſeparabiles à ſuis ſubjectis : Ergo ſunt qualitates accidentales & accidentia. Minor ſic probatur : Calor ſeparatus eſt ab igne fornace Babylonica , cùm non potuerit comburere Iuuenes in eum conjectos : Frigus ſeparatur ab aqua dum feruet : Grauitas ſeparata eſt à Chriſto ſupra aquas incedente : Potentia generatiua ſeparatur ab anima in Eunuchis : potentia viſiua ſeparatur ab anima in cæcis & ſenſus qui ſunt materiales , non poſſunt identificari cum anima humana quæ eſt immaterialis : Sed calor ignis , frigus aquæ , grauitas corporis Chriſti , potentia generatiua , potentia viſiua , & ſenſus, ſunt proprietates , & potentiæ naturales : Ergo proprietates & potentiæ naturales ſunt ſeparabiles à ſuis ſubjectis.

42. Reſponſio 1. In fornace Babylonica ignis fuit quidem ſine actu ſecundo , ſcilicet ſine combuſtione ; reſpectu Iuuenum in eum conjectorum , cum eos nec combuſſerit , nec læſerit : at non fuit ſine actu primo , ſcilicet ſine calore ſeu virtute calefaciendi aut comburendi, cum Babylonios proximos combuſſerit : Ratio autem cur non combuſſerit Iuuenes , petenda eſt potiſſimùm ex eo quòd Deus impediuerit ne partes igneæ corpora eorum ſubingrederentur : Alij rationem petunt ex eo quòd Deus noluerit concurrere cum igne reſpectu Iuuenum ; Ignis autem & reliquæ Creaturæ nihil poſſint agere ſine concurſu Dei.

43. Reſponſio 2. Aqua feruens eſt quidem ſine frigefactione , non tamen ſine frigiditate ſeu virtute frigefaciendi ; & aqua dicitur feruens, calefaciens & comburens non per ſe , ſed per accidens aut per aliud, ſcilicet per partes igneas quæ ſeſe inſinuarunt in aquam , aut potiùs inter partes aquæ, quæ partes igneæ ſi exhalentur , aqua ſentitur frigida vt antea.

44. Reſponſio 3. Corpus CHRISTI ſupra aquas incedentis virtute diuina ſuſtentatum fuit , ne aquis ſubmergeretur ; & inde non poteſt inferri Corpus CHRISTI fuiſſe ſine grauitate , ſicut ex eo quòd lapis ſuſtentetur in aëre à manu , non licet inferre lapidem eſſe ſine grauitate : Corpus etiam CHRISTI non fuit ſine viſibilitate , quando ſe ſubtraxit oculis adſtantium ; Sed DEVS impediuit duntaxat, ne lumen reflexum à Corpore CHRISTI feriret oculos adſtantium.

ratio verò cur non cognitus fuerit à discipulis petenda est ex impedimento posito in oculis eorum.

45. Responsio 4. Tria distinguenda sunt genera accidentium in homine; alia enim sunt purè materialia, quæ sequuntur materiam aut corpus tantùm, vt figuræ; alia sunt purè immaterialia, quæ sequuntur formam aut animam rationalem tantùm, vt intellectio & volitio; alia verò quæ sequuntur materiam & formam simul, idest corpus & animam simul, seu compositum ex illis, vt generatio, visio &c. Et hinc fit vt etiam tria sint proprietatum aut potentiarum seu facultatum genera; aliæ enim sunt purè materiales, vt quantitas & grauitas; aliæ purè materiales, vt Intellectus & voluntas; aliæ verò mixtæ, vt potentia generatiua, visiua &c. Hoc posito dici potest, proprietates seu potentias purè materiales non distingui realiter à materia; immateriales non distingui ab anima rationali; & mixtas non distingui ab organis animalis, id est ab anima & organo simul: Et ideo potentia generatiua, aut visiua, non est ens simplex, sed compositum; non est potentia simplex, sed mixta aut composita ex potentia animæ, quæ dicitur potentia primaria & principalis, & ex potentia organi, quæ dicitur potentia secundaria & instrumentalis; vtraque enim potentia concurrit ad actum generandi aut videndi; & potentia animæ non distinguitur ab anima, sicut potentia organi non distinguitur ab organo; adeo vt homo qui fit Eunuchus aut cæcus, perdat quidem potentiam generandi aut videndi organicam, non tamen principalem.

46. Instantia. *Proprietates aut potentiæ naturales, non tantùm in actu secundo, & extrinsecè, sed etiam in actu primo & intrinsecè sunt separabiles à suis subjectis*: Ergo nulla solutio. Antecedens sic probatur: Si proprietates aut potentiæ in actu primo & intrinsecè non essent separabiles à suis subjectis, sequeretur subjecta ibidem esse vbi sunt proprietates: Sed subjecta non sunt semper vbi sunt proprietates, putà elementa non sunt actu in mixto, cum tamen proprietates eorum, scilicet calor, frigus, siccitas & humiditas actu sint in mixto. Respondetur qualitates elementorum, & elementa ipsa, esse actu in mixto; & si elementa non essent actu in mixto, etiam qualitates eorum non essent actu in mixto, sed aliæ aliquo modo similes.

47. Objectio 18. Probat *proprietates vnius speciei esse communicabiles alteri speciei*; his argumentis. Primum tale est: Verbum diuinum & humanitas Christi sunt substantiæ singulares specie diuersæ, cum tamen Verbum diuinum communicauerit humanitati suam hypostasim seu subsistentiã, quæ est proprietas ejus; humanitas enim Christi subsistit tantùm per subsistentiam Verbi; si enim subsisteret per propriam subsistentiam esset proprium suppositum humanum, & propria persona humana; & sic essent duæ personæ in Christo, quod est hæreticum. Secundum est ejusmodi: Ignis & ferrum sunt species diuersæ corporis: Sed vis comburendi quæ est proprietas ignis communicatur ferro, & ferrum candens hâc vi communicatâ vrit, ergo proprietas vnius speciei communicatur alteri: Idemque

demque esto judicium de aqua feruente. Tertium sic formatur: corpus & spiritus sunt diuersæ species substantiæ: sed proprietates spiritus communicatæ sunt corpori Christi, quando scilicet ingressus est ad discipulos januis clausis, quando penetrauit vterum virginis, lapidem sepulchri, & cœlos, & quando est in hostia consecrata. Quartum sic se habet: homo & brutum sunt duæ diuersæ species animalis; sed proprietas hominis, scilicet facultas loquendi, communicata est serpenti, & asinæ Balaami; brutalitas verò communicata est Regi Nebucadnetzari; ergo proprietates vnius speciei sunt communicabiles alteri. Quintum denique tale est: magnes & ferrum sunt duæ diuersæ species mixti: sed virtus attrahendi ferrum, quæ est proprietas magnetis, communicatur ipsi ferro, purà acui, cùm acus virtute hâc communicatâ attrahat aliam acum: ergo proprietates vnius speciei sunt communicabiles alteri speciei.

48. Hæc objectio sic dissoluitur. Ad primum argumentum respondetur, humanitatem Christi esse vnitam subsistentiæ Verbi, non tamen ipsi esse communicatam subsistentiam Verbi: & licet humanitas Christi habeat subsistentiam independentiæ à subjecto inhæsionis, quâ sc. constituitur in esse substantiæ, cùm non sit accidens; non tamen habet subsistentiam incommunicationis, cum neque habeat suppositalitatem propriam, neque alienam, eò quòd non sit suppositum, & licet dici possit aliquo modo subsistere per subsistentiam Verbi, quatenus sustentatur à Verbo tanquam adjunctum substantiale à subjecto; & sic possit dici suppositata & personata: attamen non subsistit per subsistentiam Verbi formaliter, adeo vt talis subsistentia sit ipsi communicata, & quasi in eam transfusa, cum neque sit suppositum neque persona: sed de his fusiùs in Metaphysicis dum de supposito.

49. Ad secundum argumentum respondetur, ignem non communicare ferro aut aquæ vim comburendi, & ferrum aut aquam non posse accipere vim comburendi ab igne; atque adeo tota vis comburendi quæ est in ferro candente, aut in aqua feruente est à partibus ignis innumeris, in poris aut inter partes ferri aut aquæ conclusis, sicque ferrum candens, & aqua feruens, non comburunt per se aut per vim comburendi sibi communicatam; sed comburunt tantùm per aliud, scilicet per partes igneas inter partes ferri & aquæ conclusas, quibus exhalatis ferrum & aqua sunt frigida vt anteà.

50. Ad tertium argumentum respondetur, negando quod simpliciter affirmatur: Nam Christus non est ingressus ad discipulos per januas clausas, sed τῶν θυρῶν κεκλεισμένων idest januis clausis, idest cùm januæ essent clausæ; quæ verba denotant tempus introitus duntaxat, non autem modum introitus; & licet excludant aperturam januæ factam ab homine; non tamen excludunt aperturam virtute Diuina factam. Christus etiam non penetrauit virginis vterum, cum de Christo etiam dicatur Luc. 2.23. *omnis masculus aperiens vterum sanctus erit Domino*; nec tamen Maria desijt esse virgo, quatenus virgo sumitur pro ea quæ non coïuit cum viro.

Rurſus Chriſtus non penetrauit lapidem in reſurrectione ſua, cum Angelus deuoluerit ipſum ab oſtio. Matth. 28. 2. Denique, cùm Chriſtus dicitur penetraſſe cœlos, id intelligendum eſt de penetratione impropriè dictâ, quæ fit per trajectionem vnius corporis & ceſſionem alterius; non autem de penetratione propriè dictâ, qua plura corpora ponuntur in eodem loco. Quæ adduntur de exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia falſiſſima ſunt.

51. Ad quartum argumentum reſpondetur, facultatem naturalem loquendi non fuiſſe communicatam ſerpenti aut aſinæ Balaami, imò nec locutionem propriè dictam, quæ ſemper dirigitur à ratione; ſed Diabolũ in ſerpente, & Angelum in aſina formaſſe voces tanquam cauſas principales, quarum ſerpens & aſina fuerunt ad ſummum cauſæ inſtrumentales: Brutalitatem autem communicatam fuiſſe Regi Nebucadnetſari pernegamus: Et licet ejectus de regno cum belluis conuerſatus fuerit, & herbam inſtar bouis comederit quia forte in dementiam inciderat, nunquam tamen habuit formam eſſentialem aut proprietates bruti.

52. Ad quintum argumentum reſpondetur magnetem non communicare ferro aut acui vim attrahendi aliam acum; nam tota vis attractrix quæ cernitur in acu, eſt à ſpiritibus magneticis qui ſeſe inſinuarunt inter partes ferri aut acus; atque adeo ferrum aut acus, non attrahit per ſe, aut per vim attrahendi ſibi communicatam, ſed per aliud, ſcilicet per ſpiritus magneticos in poris aut inter partes ferri aut acus concluſos.

TERTIA

TERTIA PARS LOGICÆ.

DE DEFINITIONE ET DIVISIONE.

DE DEFINITIONE.

1 DEFINITIO ſic appellatur per metaphoram ab agrorum finibus deſumptam; ſicut enim fines agrorum limitant poſſeſſiones, eaſque à vicinis agris ſeparant; ita definitiones rerum naturas conſtituunt, circunſcribunt & ab aliis diſtinguunt.

2. *Definitio* vel formalis, vel objectiua: *Objectiua* eſt res definiens aut explicans, vt animal rationale quod explicat hominem: *Formalis* eſt conceptus objectiuæ, putà conceptus animalis rationalis.

3. *Definitio* etiam eſt vel *complexa*, quæ comprehendit definiens & definitum, ſi ſit objectiua, vt homo eſt animal rationale; vel comprehendit conceptus vtriuſque ſi ſit formalis, vt conceptus hominis & animalis rationalis. Vel *incomplexa*, quæ non comprehendit definitum, vt animal rationale.

4. Rurſus, definitio vel eſt nominis, vel rei: *definitio nominis* eſt explicatio vocis, quod fit potiſſimum per etymologiam, quæ vocem ex origine declarat; eſtque vel vera, vel falſa, vel alluſiua ſeu apparens: *Vera*, modò explicat rem, vt cùm Arithmetica deriuatur à Græco ἀριθμὸς, id eſt numerus, quia agit de numero; modò non explicat rem, vt cum Philoſophia deriuatur à φιλία & σοφία, vt ſuprà: *Falſa* eſt ficta ad libitum, vt cùm presbyter dicitur præ aliis bibens ter: *Alluſiua* ſeu *apparens* eſt probabiliter vera, vt cum teſtamentum dicitur teſtatio

mentis, licet secundum nomen non magis videatur esse testatio mentis, quàm calceamentum calceatio mentis. Non sunt autem semper quærendæ etymologiæ, cum sint multæ voces primitiuæ.

5 *Definitio rei* est oratio explicans rem: Estque vel essentialis, vel descriptiua: *essentialis* explicat rem per ea quæ ipsam constituunt: Estque vel Physica, vel Metaphysica: *Physica* traditur per materiam & formam, vt cum homo definitur compositum ex corpore humano & anima rationali: *Metaphysica* verò traditur vulgò per genus & differentiam, vt cùm homo definitur animal rationale. *Descriptio* communiter triplex est, scilicet causalis, accidentalis, & per oppositum: *causalis* traditur per causas externas, putà per efficientem finalem & exemplarem, vt cùm homo definitur animal conditum à Deo propter gloriam ejus, & ad imaginem ejus. *Accidentalis* traditur per accidentia aut inessentialia, vt cum homo definitur animal bipes implume. *Per oppositum*, vt cùm vnum oppositum explicatur per aliud, vt cùm dicitur virtus est vitium fugere.

6. *Genus non debet poni in definitione essentiali*; quia nihil debet poni in definitione quod non explicet rem vt talem; at genus non explicat rem vt talem, puta animal non explicat hominem vt hominem, cum non magis explicet hominem quàm brutum; excipe, si genus teneat locum partialis differentiæ. Nec dicas genus poni in definitione rei, quia est ei essentiale; nam inde sequeretur ponenda esse in definitione rei omnia genera remota, & omnes differentias tam specificas quàm genericas.

7. *Quæ ponuntur in definitione non sunt semper essentialia*: & ideo distinguendum inter intrinsecum essentialiter tantùm, intrinsecum definitiuè tantùm, & intrinsecum essentialiter & definitiuè simul: *Intrinsecum essentialiter tantùm* est de essentia rei, sed non ponitur in ejus definitione, vt substantia respectu hominis: *Intrinsecum definitiuè tantùm* ponitur in definitione rei, sed non est de essentia ejus, vt corpus naturale respectu Physicæ: *Intrinsecum* verò *essentialiter & definitiuè simul*, & est de essentia rei, & ponitur in definitione ejus, vt rationale respectu hominis.

8. *Definitio non semper traditur per intrinseca tantùm, sed res omnis debet explicari per ordinem ad connotata extrinseca*, quia definitio debet explicare rem, res autem explicatur per ea quæ nos ducunt in cognitionem rei; connotata verò extrinseca nos ducunt in cognitionem rei, & per solum ordinem aut relationem ad connotata extrinseca explicatur & cognoscitur differentia essentialis rei, vt patet inductione.

9. *Definitio per conjugatum rejicienda est*: putà cùm qualitas definitur accidens secundum quod res dicuntur quales; quia conjugata sunt æquè clara aut obscura; definitio verò debeat esse clarior definito, eò quòd ipsum explicare debeat.

10. *Definitio debet esse adæquata definito*, idest nec latiùs nec angustius ipso patere, sed conuerti & reciprocari cum ipso, vt animal rationale respectu hominis.

11. De-

11. *Definitio debet esse clara imò clarior definito*; quia debet ipsum explicare; ideo definitiones non debent constare terminis inusitatis aut ambiguis; imò nec figuratis, nisi vox sit vsitatior in impropria quàm in propria significatione.

12. *Definitio debet esse breuis, & nihil superfluum continere*; cauendum tamen ne breuitas obscuritatem pariat, claritas enim breuitati præferenda.

13. *Definitio debet esse affirmata*, idest non debet constare negationibus, quæ explicant tantùm quid res non sit; definitio autem debeat explicare quid res sit; cum quidditas & essentia sint idem: Sæpe tamen cogimur vti negationibus ob rerum perfectionem aut imperfectionem, quæ ob imbecillitatem ingenij nostri aliter à nobis definiri non possunt, sic Deus definitur ens infinitum, brutum definitur animal irrationale &c.

14. *Sola species non est definibilis, sed etiam genera, imò & ipsum genus summum*, scilicet ens, quod definitur aptum ad existendum, definitio enim debet tradi per solam differentiam; at res quælibet habet suam differentiam.

15. *Definitio & definitum quoad intrinseca nec distinguuntur realiter nec formaliter seu ratione*, distinguuntur verò quoad extrinseca connotata quibus solent explicari, vt suprà.

16. *Definitio essentialis non distinguitur à diuisione essentiali rei*; distinguitur tamen à diuisione vniuersali seu Logica, quæ identificatur tantùm cum speciebus rei definitæ.

17. *Definitum est semper res sumpta inadæquatè indeterminatè.*

18. *Non datur progressus in infinitum in definitionibus*, sed sistendum in definitione rei, quæ per aliud clarius explicari non potest; & ideo omnia non sunt definibilia.

19. *Definitio vtilis est ad cognoscendas res distinctè*, necnon ad demonstrationes formandas, cum definitio sit medium demonstrationis perfectæ.

DE DIVISIONE.

1. CVm diuisio sit explicatio rei per partes, vel totius in partes distributio, priùs agendum de toto & parte, posteà de diuisione.

2. *Totum* est quod habet omnes suas partes; *Pars* verò dicitur illud quod cum aliis constituit totum; malè igitur totum dicitur de Deo, de Angelo, de anima rationali, & de puncto, quia non habent partes.

3. Totum vel per se, vel per accidens. *Totum per se* dicitur illud quod constat iis quæ sunt veræ partes, idest quæ constituunt totum, vt homo respectu corporis & animæ: *Totum vero per accidens* aut *per aliud* dici-

tur illud quod constat iis quæ non sunt veræ partes, sed tantùm subjecta, adjuncta, aut alia extrinseca, vt homo respectu diuitis & pauperis; hoc totum abusiuè tantùm dicitur totum, quia non constat partibus.

4. *Totum per se non semper est ens per se*, vt totum collectiuum, & totum artefactum: *ens* verò *per se non semper est totum per se*, vt Deus, Angelus &c. *Ens per accidens est sæpe totum per se*, vt totum collectiuum & artefactum.

5. *Totum per se*, est vel *conjunctum*, quod habet partes vnitas, vt homo; vel *disiunctum*, quod habet partes separatas, vt exercitus. *Totum conjunctum* interdum est totum essentiale tantùm, interdum verò est totum essentiale & integrale simul. *Totum essentiale* est id à quo si tollatur aliqua pars res perit, vt homo respectu corporis & animæ. *Totum integrale* est id à quo si tollatur aliqua pars, res non est integra, sed mutila, vt homo habens omnia sua membra; at si ei amputetur brachium, non est ampliùs totum integrale, licet remaneat totum essentiale.

6. *Totum disiunctum*, quod ab aliis vocatur discretum, aggregatiuum & collectiuum, vel colligitur ex omnibus similibus tam actualibus quàm possibilibus ejusdem nominis, & dicitur totum *vniuersale*, vt homo in communi seu adæquatè; vel colligitur ex pluribus seu similibus seu dissimilibus, non tamen ex omnibus, vt grex ouium, & tunc vocatur simpliciter *collectiuum* seu *aggregatiuum*, retento nomine generis, defectu nominis specialis.

7. Totum per se non rectè diuiditur in vniuersale, essentiale, integrale, & collectiuum; quia talis diuisio non fit in membra opposita, quod tamen requiritur in omni bona diuisione; nam omne totum vniuersale est collectiuum.

8. Totum per se essentiale non rectè diuiditur in Physicum, quod constat materia & forma; & Metaphysicum, quod constat genere & differentia: quia totum per se constat iis quæ sunt veræ partes, at totum Metaphysicum non constat veris partibus; siquidem veræ partes debent realiter distingui, genus autem & differentia non distinguuntur realiter intrinsecè, vt suprà, connotata autem extrinseca vtriusque non sunt veræ partes, cum sint accidentia, adjuncta, aut subjecta &c. Totum etiam Metaphysicum constans existentia & essentia, naturâ & supposito, est rejiciendum ob eandem rationem; essentia enim & existentia non differunt realiter intrinsecè, vt suprà; & suppositum creatum nihil reale positiuum superaddit naturæ.

9. Tot modis diuiditur diuisio quot totum; & ideo *diuisio* est vel *per se*, quâ diuiditur totum per se; vel *per accidens*, quâ diuiditur totum per accidens; vel *vniuersalis*, quâ diuiditur totum vniuersale; vel *essentialis* quâ diuiditur totum essentiale &c. *Diuisio totius per accidens* aut *per aliud*, vel est *diuisio adjuncti in adjuncta*, vt diuiuo hominis in doctum & ignarum, vel *diuisio adjuncti in subjecta*, vt diuisio morbi in morbum capitis, pectoris &c. Vel *diuisio adjuncti in adjuncta*, vt diuisio mercatoris in diuitem & pauperem,

pauperem, alij addunt diuiſionem cauſæ in effectus, effectus in cauſas, rei in objecta &c.

10. Regulæ bonæ diuiſionis hæ ſunt 1. *Diuiſio debet eſſe adæquata diuiſo*, ideſt partes ſimul ſumptæ nec plus nec minùs debent continere quam totum: ſingulæ tamen partes debent minùs continere quàm totum, cùm totum ſit majus ſua parte. 2. *Diuiſio debet fieri in membra oppoſita*, ideſt in partes diſtinctas. 3. *Partes debent conſentire cum toto.*

QVARTA PARS LOGICÆ.

DE ENVNCIATIONE.

ENVNCIATIO, diſtinguitur in objectiuam & formalem: *Objectiua* ſunt duæ res de quibus judicium fertur: *Formalis* verò eſt judicium de ejuſmodi rebus; ſi enim judicium non feratur de illis, dicitur tantùm apprehenſiua.

2 In Enunciatione tria ſunt diſtinguenda, materia, forma, & quantitas: *Materia* ſunt duo extrema, ſcilicet ſubjectum & prædicatum aut negatum: *Forma* eſt identitas aut connexio eorum in enunciationibus affirmatis; vel negatio talis identitatis aut connexionis in enunciationibus negatis: *Quantitas* verò eſt extenſio ſubjecti. Subjectum eſt quaſi recipiens, & prædicatum eſt quaſi receptum.

3. *Prædicatum & attributum non ſunt ſemper vnum & idem*: licet enim omne prædicatum ſit attributum, non tamen omne attributum eſt prædicatum, putà doctrina attribuitur homini, non tamen prędicatur de ipſo, cùm non ſit doctrina.

4. *In qualibet enunciatione non reperitur prædicatum*; licet enim in enunciatione affirmata reperiatur prædicatum, eò quòd in ea vnum extremum prædicetur de altero, putà in hac enunciatione homo eſt rationalis: vbi rationalis affirmatur & prædicatur de homine: Attamen in enunciatione negata nunquam reperitur prædicatum, cum in ea vnum ex-

propositione, *hoc est corpus meum*, *hoc* significaret *corpus*, non esset tamen identica formaliter; quia *hoc* & *corpus* diuerso modo conciperentur, *hoc* quidem sub ratione rei monstratæ, *corpus* verò sub ratione substantiæ materialis & impenetrabilis.

9. Diuiditur quartò, in vnam & multiplicem: *Vna* dicitur ea quæ constat vnico subjecto & vnico prædicato aut negato, vt homo est animal, homo non est lapis: *Multiplex* verò dicitur ea quæ constat multis subjectis, vt Petrus & Paulus rident; vel multis prædicatis, vt Petrus ridet & ambulat; vel vtrisque simul, vt Petrus & Paulus rident & ambulant. *Enunciatio vna* subdiuiditur in simplicem & compositam; *Simplex* est ea quæ constat extremis simplicibus, idest vnum conceptum in mente parientibus, vt homo est animal: *composita* verò est ea quæ constat extremo aut extremis multiplicem conceptum in mente parientibus: quæ compositio quatuor modis potissimùm fieri potest: primò ex partibus essentialibus Physicis, vt homo est corpus, anima rationalis & vnio vtriusq; simul: secundò, ex partibus integralibus, vt domus est tectum parietes & fundamentum simul: tertiò ex substantiuo & adjectiuo, vt homo est animal rationale, Petrus est homo doctus: quartò ex pluribus conjunctione aliqua affectis, quæ vt sic constituunt enunciationem conjunctam, cui opponitur categorica: *Conjuncta* autem *enunciatio* triplex est potissimum, scilicet hypothetica seu conditionalis, disjunctiua, & copulatiua: *hypothetica* dicitur ea quæ constat pluribus enunciationibus conjunctione conditionali affectis, vt si sol lucet dies est: *Disjunctiua* dicitur ea quæ constat pluribus enunciationibus conjunctione disjunctiua affectis, vt aut est dies aut nox: *Copulatiua* dicitur ea quæ constat pluribus enunciationibus conjunctione copulatiua vnitis, vt Petrus non stat & sedet: Alij addunt *discretam* seu *aduersatiuam*, quæ constat pluribus conjunctione aduersatiuâ affectis, vt diues est, sed auarus.

10. Hic notandum primò, *Illas enunciationes hypotheticas esse affirmatas aut negatas, non quarum partes sunt affirmatæ aut negatæ, sed quarum conjunctio conditionalis si affirmatur aut negatur*; vnde hæc est affirmata, si sol lucet non est nox; hæc verò negata, nō si pallet amat; quia *si* est copula seu forma enunciationis hypotheticæ. Idem dicito de alijs cōjunctis.

11. Notandum secundò, *Veritatem propositionis affirmatæ desumendam esse ex connexione consequentis cum antecedente*; vnde fit vt interdum antecedens & consequens sint vera, & tamen propositio sit falsa, vt si homo est animal est rationalis; & è contra antecedens & consequens sint falsa, & tamen propositio sit vera, vt si homo est equus est hinnibilis: Item veritatem propositionis hypotheticæ negatæ desumendam esse ex non connexione consequentis cum antecedente, vt non si homo est animal est rationalis; vnde fit vt antecedens & consequens interdum sint falsa, & tamen propositio sit vera, vt non si homo est equus est asinus, & interdum antecedens & consequens sint vera, & tamen propositio sit falsa, vt non si ignis vrit est calidus.

12. Notandum tertiò, *In propositionibus hypotheticis conditionem nihil ponere sed supponere*, idest non affirmari aut negari antecedens tanquam verum aut falsum, sed supponi tanquam verum, vt ex eo inferatur consequens, putà si homo est asinus est brutum; ejusmodi tamen propositiones dicunt aliquid implicitè; putà si homo est asinus est brutum, dicit implicitè omnem asinum esse brutum: & propositiones conditionales impossibiles quæ æquipollent simplici negatæ, ponunt implicitè simplicem negatam, vt si solem digito tetigeris tibi dabo nummum, dicit implicitè, non tibi dabo nummum.

13. Notandum quartò, *In propositionibus hypotheticis conditionem si denotare tantùm amplificationem aut exaggerationem rei:* vt si quis stoliditatem & tarditatem ingenij alicujus amplificare volens dicat, si parietes me audirent hoc caperent quod dico, & tamen tu non capis: & hoc loquendi modo vsus esse dicitur Christus Dominus cùm dixit, si in Tyro & Sidone facta fuissent hæc miracula jamdudum conuersi fuissent cum sacco & cinere.

14. Notandum quintò, *In propositionibus hypotheticis*, *conditionem si interdum denotare causam*, vt si sol lucet dies est, *interdum verò rationem aliunde petitam quàm à causa*, vt si ignis vrit est calidus: Eodémque modo philosophandum est de his conjunctionibus, *quia*, *nam* &c. putà ignis vrit nam est calidus, denotatur causa; venite benedicti, nam esuriui & cibastis me; talis enim cibatio commemorabitur in die judicij vt signum & testimonium boni affectus, non autem vt causa meritoria vitæ æternæ.

15. Notandum sextò, *Ad veritatem propositionis disjunctiua sufficere vt vnum membrum sit verum*; imò vt sit propriè disjunctiua vera, requiritur vt vna pars sit vera, & altera falsa, nullam tamen partem determinatè veram significat, saltem respectu nostri.

16. Diuiditur quintò *enunciatio* in mentalem, vocalem, scriptam & objectiuam: *mentalis* est quæ formatur in mente; *vocalis* quæ ore profertur; *scripta* quæ pingitur; *objectiua* de qua judicium fertur: objectiua est prior mentali, quia priùs res sunt tales quàm mens concipiat eas esse tales: mentalis est prior vocali, quia priùs concipimus rem esse talem quàm pronunciemus eam esse talem, voces enim sunt imagines conceptuum, sicut conceptus sunt imagines rerum: quare antequam Christus ore proferret hæc verba, *hoc est corpus meum*, conceperat hoc quod habebat prę manibus esse corpus suum, atq; adeo non vi verborum prolatorum factum est corpus, idest sacramentum corporis; sed vi benedictionis præcedentis.

17. Diuiditur sextò *enunciatio vocalis*, in claram & obscuram; *clara* non eget interpretatione; *obscura* verò eget: Propositionis autem obscuritas tolletur seruatis sequentibus regulis. Primò consideranda est natura rei de qua agitur; verbi gratiâ si quis personam Regis indicans diceret *hoc est rex*, id intelligeretur de persona regis, & enũciatio esset propria, non figurata, quia agitur de personis: at si quis imaginem regis ostendens diceret *hoc est Rex*,

Rex, id intelligeretur de imagine Regis, & enunciatio esset figurata, quæ sic explicanda esset, *hoc est imago Regis*, quia agitur de imaginibus: Id applicandum huic propositioni, *hoc est corpus meum.* Secundò, inspicienda sunt antecedentia, putà in hac propositione Christi *hoc est corpus meum*, antecedentia sunt ista, *Iesus accepit panem & gratiis actis fregit & dedit*; vnde istud argumentum formatur, de eo quod Christus accepit fregit & dedit, Christus dixit hoc est corpus meum: sed Christus accepit, fregit & dedit panem: ergo Christus de pane dixit hoc est corpus meum, & ideo hoc est corpus, idem est ac hic panis est corpus meum; quod cum verum esse non possit de esse reali, eò quòd panis & corpus Christi sint distincta & disparata, necessario id intelligendum est de esse sacramentali & significatiuo. Item, in hac propositione, *nam hoc est sanguis meus*, antecedentia sunt ista, *bibite ex hoc omnes*, scilicet ex hoc calice Matth. 26. vnde istud argumentum formatur: Cùm Christus dixit discipulis *bibite ex hoc omnes*, id est ex hoc calice, vel iussit eos bibere ex calice vini, vel ex calice sanguinis; si ex calice vini, sequitur eos bibisse vinum non sanguinem, cum Christi mandatis obtemperauerint, si verò ex calice sanguinis, sequitur vinum tunc fuisse conuersum in Sanguinem Christi, cum non sit verisimile Christum jussisse vt biberent ex calice sanguinis, qui tamen non fuisset calix sanguinis: At cùm Christus dixit, *bibite ex hoc omnes*, nondum vinum conuersum fuerat in sanguinem Christi iuxta doctrinam Aduersariorum, cum secundum eos fuerit tantùm conuersum post prolationem horum verborum, *nam hoc est sanguis meus.* Christus autem pronunciauit hæc verba, bibite ex hoc omnes, antequàm pronunciaret ista, nam hoc est sanguis meus, cum proferatur propositio antequam reddatur ratio illius. Tertio, inspicienda sunt consequentia putà in his propositionibus Christi, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, consequentia sunt ista, *hoc facite in memoriam mei, non ampliùs bibam de hoc fructu vitis*; si autem Sacramentum Eucharistiæ sit memoria Christi, aut celebratio Eucharistiæ sit in memoriam Christi, sequitur non esse realiter ipsum Christum; & si quod bibit Christus fuerit fructus vitis, non fuit vinum conuersum in sanguinem: Adde quòd Christus dixit *hoc est corpus meum fractum, hoc est sanguis meus effusus*, at non fuit corpus realiter fractum, nec sanguis effusus realiter in sacramento. Quartò conferenda est propositio obscura cum similibus, similium enim est idem judicium, putà conferenda est hæc propositio *hoc est corpus meum*, cum ista *hic calix est nouum Testamentum*, & formare hoc argumentum: sicut sumitur vocabulum *est* in hac propositione *hic calix est nouum Testamentum*, sic debet sumi in hac propositione *hoc est corpus meum*, cum similium sit idem judicium, & vtraque propositio pronunciata sit ab eodem, coram iisdem, de eadem materia, eadem formula, eodem tempore & loco: sed in hac propositione; *hic calix est nouum testamentum*, verbum *est* non sumitur pro esse reali & transsubstantiatiuo, vt patet; ergo nec in hac propositione, *hoc est corpus meum*,

Quintò, considerãda potiùs intentio loquentis aut scribentis quàm verba, putà in hac propositione Christi, *destruite hoc templum & triduo ipsum reædificabo,* si verba duntaxat spectentur, de templo Hierosolymitano intelligentur, ac si intentio Christi spectetur, de templo corporis sui intelligentur, sicuti agnouerunt Apostoli post ejus resurrectionem. Sextò, vsus vocabulorum & modi loquendi vsitati eo tempore quo prolata aut scripta est propositio inspiciendi sunt, verbi gratiâ tempore Christi phrasis erat valde familiaris & vsitata inter Iudæos tribuere signo nomen rei significatæ; sic Apostoli dicebant Christo, *vbi parabimus Pascha,* idest agnum qui erat signum paschatis; sic paterfamilias die paschatis distribuendo panem domesticis suis, vti solebat his verbis, *hoc est panis miseriæ quem patres vestri manducarunt in deserto,* cum tamen ejusmodi panis esset tantùm commemoratio aut signum commemoratiuum talis panis miseriæ; quid mirum igitur si Christus eodem tempore & loco, cum iisdem & de eadem materia scilicet sacramentali loquens in celebranda Eucharistia, modum loquendi inter Iudæos vsitatum sequutus fuerit dicendo *hoc est corpus meum fractum,* idest hoc est sacramentum & signum commemoratiuum corporis mei fracti seu mortui pro vobis. Septimò, omnes circunstantiæ loci temporis & personarum sunt diligenter perpendendæ, verbi gratiâ, dici potest Christum Ioan. 6. figuratè loquutum habitâ ratione personarum scilicet Iudæorum cum quibus non loquebatur nisi in parabolis: Rursus, habita ratione temporis dici potest Deum alio modo loquutum fuisse sub Veteri Testamento, & alio modo sub Nouo; nam sub Veteri Testamento loquutus est obscurè & in ænigmate, sub Nouo verò loquutus est clarè. Octauò, omnia verba propositionis perpendenda, & figurata, obscura & ambigua explicanda sunt per propria, clara & distincta putà hæc propositio, *Herodes est vulpes* hoc pacto est explicanda, Herodes est astutus, vulpes enim ibi sumitur pro astuto, metonymia subjecti pro adjuncto. Nonò propositio ita explicanda vt non repugnet aliis propositionibus ejusdem Authoris: quare hæc propositio Christi, *hoc est corpus meum,* non debet explicari de præsentia reali corporis Christi in hostia, quia repugnat variis scripturæ, putà istis, *Christus ascendit in cælum & cælum debet ipsum capere vsque ad restaurationem omnium; me non semper habebitis* &c. Decimò, in interpretanda propositione ad originalia potiùs quàm ad exemplaria aut versiones est confugiendum, saltem si fieri possit, eò quòd in exemplaribus aut versionibus inertiâ aut malitiâ hominum graues errores interdum reperiantur. Tandem cæteris paribus doctiorum virorum interpretatio præferenda.

18. Denique Enuntiatio diuiditur in propriam & figuratam, in rectam & obliquam &c. Vno verbo tot modis ferè potest diuidi, quot sunt termini simplices, qui sunt materia propositionis.

DE

DE DIVISIONE ENVNCIATIONIS RATIONE FORMÆ.

19. *ENunciatio ratione formæ* diuiditur primò, in *identificantem* quâ vnum est aliud, & *distinguentē* quâ vnum non est aliud; ex cujus diuisione oritur diuisio in *affirmatam* & *negatam:* vbi hæc sunt notanda. Primò, *omnes Enunciationes affirmatæ veræ, sunt realiter intrinsecè identicæ,* quia in iis subjectum & prædicatum sunt idem realiter intrinsecè, quæ enim non sunt idem debent negari de se inuicem, non autem affirmari. Hinc fit vt in hac propositione Christi, *hoc est corpus meum, corpus,* non sit propriè prædicatum; quia *hoc,* idest hic panis, & *corpus meum,* idest corpus Christi distinguuntur realiter atque adeo vnum non potest affirmari de altero, ideo verum prædicatum continetur in verbo *Est*, quod ibi sumitur pro *significat*, atque adeo *hoc est corpus meum*, idem est ac *hoc significat corpus meum,* seu *hoc est significans corpus meum,* & per consequens *significans corpus meum* est verum prędicatum identificatum realiter intrinsecè cum *hoc pane.*

20. Secundò, *in Enunciationibus affirmatis, verbum sum es est, interdum denotat existentiam subjecti*, vt homo est; *Interdum denotat connexionem aut identitatem prædicati cum subjecto*, vt homo est rationalis: *interdum sumitur pro alio verbo quod continet verum prædicatum aut partem ejus principalem*, vt hoc est corpus meum, idest hoc significat corpus meum, mors est extinctio calidi & humidi, idest efficitur à tali extinctione, Christus est salus nostra id est causa salutis nostræ, generatio vnius, est corruptio alterius, idest comitatur eam.

21. Tertiò, *Enunciatio affirmata potest explicari per negatam, & negata per affirmatam;* putà hæc affirmata homo est rationalis, explicatur per has negatas, homo non est non rationalis, homo non est irrationalis, homo non differt & non distinguitur à rationali, homo non est aliud à rationali: & hæc negata homo non est lapis, explicatur per has affirmatas, homo est non lapis, homo differt aut distinguitur à lapide, homo est aliud à lapide: *Imò sæpe affirmata quoad verba, est negata quoad sensum,* vt patet in propositionibus Ironicis, necnon in exclusiuis.

22. Quartò, *Illa propositio est propriè negata, in qua negatio vel præponitur toti Enunciationi vniuersaliter*, vt nullus homo est asinus; *vel verbo sum, es, est*, vt homo non est lapis; *vel Verbo adjectiuo*, vt homo non currit.

13. Quintò, *duobus modis aliquid negatur*, scilicet *absolutè*, vt Deus non est mendax; & *comparatè*, vt cum Petrus dixit Ananiæ, non est mentitus hominibus sed Deo, idest non tam es mentitus hominibus quàm Deo; item cum terra dicitur punctum comparata ad cœlum.

24. *Enunciatio ratione formæ* diuiditur secundò, in eam quæ est *secundi adjecti*, & eam quæ est *tertij*; *Illa* est in qua verbum sum, es, est, denotat tantùm existentiam subjecti, vt homo est; *hæc* verò in qua denotat connexionem aut identitatem prædicati cum subjecto, vt homo est rationalis: vtraque comprehendit etiam eas in quibus denotatur negatio existentiæ aut identitatis.

25. Diuiditur tertiò in *veram* in qua vnum est realiter aliud, vt homo est rationalis; & *falsam* in qua vnum dicitur esse aliud, sed non est realiter tale vt Rex Hispaniæ est in America: Et hinc oritur diuisio Enunciationis formalis, vocalis & scriptæ, in veram quæ est conformis rei, & falsam quę est difformis rei: vbi hæc sunt notanda.

26. Primò, *Veritas* est vel objectiua, vel formalis: *objectiua*, est quando res non tantùm apparet talis, sed etiam reuera est talis, vt aurum verum, aliterque dicitur *veritas rei*, entitatiua & transcendentalis; cui opponitur *falsitas rei* quando scilicet res apparet talis, sed non est realiter talis, vt aurum chymicum: *veritas formalis*, mentalis, vocalis & scripta est conformitas conceptus vocis aut scripturæ cum re; *falsitas* verò *formalis* est difformitas ejusdem cum re.

27. Secundò, *hæc vocabula* verus, vera, verum, verè, *rectè conjunguntur cum vocabulis tropicis*, sic de Christo dicitur erat lux vera, est vitis vera, caro Christi est verè cibus, populus meus est verè fœnum &c. quæ intelligenda sunt de veritate similitudinis, non rei.

28. Tertiò, *Veritas* vel est *specularina*, quæ est conformitas cum re, vt si quis judicet hominem esse rationalem; vel *practica* quæ est conformitas cum judicio recto, vt mater amat liberos; *falsitas speculatiua* & *practica* è contrà.

29. Quartò, *Enunciatio* est *vera* aut *falsa*, vel in actu signato, vel in actu exercito: *In actu signato* generatim dicitur illud quod expresse denominatur tale, & quasi digito indicatur & designatur: *In actu verò exercito* dicitur illud quod reuera est tale, licet expresse non designetur esse tale; putà hæc propositio, hominem esse rationalem est verum, dicitur propositio vera in actu signato; hæc verò homo est rationalis est vera in actu exercito.

30. Quintò, *Verum formaliter* opponitur τῷ realiter, materialiter, virtualiter, eminenter, accidentaliter, identicè, consecutiuè, efficienter & implicitè. *Formaliter prout opponitur τῷ realiter* idem est ac ratione seu conceptu aut definitione formali, sic justitia Dei est misericordia Dei realiter non formaliter; è cōtra natura vniuersalis in inferioribus est eadē formaliter non realiter. *Formaliter prout opponitur τῷ materialiter* idem est ac ratione formæ & in abstracto, sicut materialiter idem est ac ratione materię seu subjecti & in cōcreto, sic doctus ambulat est vera materialiter, & albū disgregat visum est vera formaliter. *Formaliter prout opponitur τῷ virtualiter* idē est ac actu, & ideo habere formaliter aliquid est habere actu formā à qua denominatur, & sic nix dicitur formaliter alba; virtualiter verò habere

bere aliquid est habere virtutem producendi ipsum, sic cos dicitur acuta virtualiter, & Deus dicitur continere omnia virtualiter; virtualiter etiam sumitur pro æquiualenter, sic Petrus æquè robustus ac Paulus & Ioannes dicitur habere duplex robur virtualiter seu æquiualenter. *Formaliter habere prout opponitur τῷ eminenter*, idem est ac habere actu formam cum omnibus perfectionibus & imperfectionibus ipsam comitantibus; habere verò eminenter formam est eam habere nobiliori modo, scil. sublatis imperfectionibus, sic homo dicitur formaliter rationalis, Deus verò eminenter tantùm: quia in ratiocinatione sunt perfectiones quas Deus & homo habent, scilicet quòd sit actio & cognitio; in ea etiam sunt imperfectiones quas homo habet, non Deus, putà quòd sit accidens & cognitio rei antea ignotæ. *Formaliter prout opponitur τῷ accidentaliter*, idem est ac essentialiter, sic homo est formaliter, idest essentialiter rationalis, & accidentaliter doctus. *Formaliter prout opponitur τῷ identicè*, dicit conceptum prædicati diuersum à conceptu subjecti; identicè verò dicit identitatem vtriusque conceptus vt suprà. *Formaliter prout opponitur τῷ consecutiuè* idem est ac directè, sic generatio est formaliter productio rei, consecutiuè verò aut concomitanter generatio vnius est corruptio alterius. *Formaliter prout opponitur τῷ efficienter*, idem est ac denominatiuè, sic albedo facit parietem formaliter album, quia est forma denominans parietem album: at homo dealbans parietem facit album efficienter, scilicet efficiendo albedinem in pariete. Denique *formaliter prout opponitur τῷ implicitè*, idem est ac expressè.

31. Sextò, *Propositio* vel *Enunciatio* dicitur *vera* vel *falsa* duobus modis, scilicet *in sensu composito* & *in sensu diuiso*: *sensus compositus* est in quo res quæ est talis consideratur vt manens talis: *sensus diuisus* è contrà; sic hæc propositio *impossibile est diuitem*, idest qui posuit affectum totum in diuitijs, *ingredi regnum cœlorum*, est vera in sensu composito, idest si maneat in tali affectu, falsa verò in sensu diuiso, nimirùm si deponat ejusmodi affectum: hæc autem propositio, *cæci vident*, est vera in sensu diuiso, idest qui fuerunt cæci jam vident, falsa verò in sensu composito, cum cæci, manentes cæci non videant.

32. Septimò; *Propositio*, potest dici *vera* vel *falsa* quatuor modis, scilicet in sensu copulatiuo; in sensu copulato, in sensu disjunctiuo, & in sensu disjuncto, idque secundum ascensum vel descensum: *Ascensus* est progressus à particularibus ad vniuersale, vt homines & bruta sentiunt, ergo omnia animalia sentiunt: *Descensus* verò est processus ab vniuersali ad particularia, vt omnis homo est rationalis, ergo Petrus est rationalis. *In descensu sensus copulatiuus* est progressus ab vniuersali ad particularia sigillatim sumpta, quæ distributio est in singula generum; dicitúrque sensus copulatiuus, quia descensus explicatur per conjunctionem copulatiuam in omnibus particularibus seorsim & sigillatim sumptis, putà omnis homo est animal est vera in sensu

copulatiuo, quia & Petrus eſt animal, & Paulus eſt animal, & cæteri homines ſigillatim ſumpti ſunt animalia. *Senſus copulatus* eſt progreſſus ab vniuerſali ad particularia ſimul & collectiuè ſumpta, vt omnes Apoſtoli ſunt duodecim, id eſt & Petrus & Andreas & Iacobus, & cæteri Apoſtoli ſimul ſumpti ſunt duodecim. *Senſus disjunctiuus* eſt progreſſus ab vniuerſali ad particularia disjunctiuè ſumpta, ideſt cujus veritas reperitur in vno particulari determinatè in ſe & indeterminatè reſpectu noſtri, vt aliquis homo loquitur, cujus veritas reperitur in Petro loquente. *Senſus disjunctus* eſt progreſſus ab vniuerſali ad particularia disjunctim ſumpta, cujus veritas reperitur in alterutro indeterminatè in ſe, vt aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum, explicatur enim hoc pacto, vel dexter, vel ſiniſter oculus eſt neceſſarius ad videndum, neuter tamen determinatè, alteruter indeterminatè. *In aſcenſu* contrario modo philoſophandum eſt.

33. Octauò, *Propoſitio* poteſt eſſe *vera* vel *falſa*, vel in ſuppoſitione materiali, vel in ſuppoſitione formali, vel in ſimplici, vel in perſonali, vel in abſoluta: *Suppoſitio materialis* eſt acceptio vocis pro ſeipſa, vt homo conſtat duabus ſyllabis: *Suppoſitio formalis* eſt acceptio vocis pro re ſignificata, vt homo eſt rationalis. *Suppoſitio ſimplex* eſt acceptio vocis pro re in communi, vt homo eſt ſpecies. *Suppoſitio perſonalis* eſt acceptio vocis pro re in particulari, vt per hominem mors intrauit in mundum, ideſt per adamum. *Suppoſitio abſoluta* eſt acceptio vocis pro re in communi & in particulari ſimul, vt cùm corpus naturale dicitur objectum Phyſicæ.

34. Nonò, *Omnis propoſitio poteſt eſſe vera:* nam omnis propoſitio vel eſt in materia neceſſaria, vt omnis homo eſt rationalis, & hæc eſt ſemper vera; vel in materia contingenti vt Petrus eſt doctus, & hæc ſicut poteſt eſſe falſa, ita etiam poteſt eſſe vera; vel in materia impoſſibili, vt homo eſt lapis, & hæc abuſiuè dicitur propoſitio; nam hominem eſſe lapidem eſt impoſſibile, impoſſibile autem eſt purum nihil, & purum nihil non eſt propoſitio.

35. Decimò, *Propoſitio formalis ſemel vera non poteſt mutari in falſam;* quia propoſitio importat ſemper tempus quo profertur propoſitio, at implicat vt objectum quod ſemel pro aliquo determinato tempore exiſtit aut exiſtet, pro illo tempore non exiſtat, alioqui ſimul exiſteret & non exiſteret pro eodem tempore.

36. Vndecimò, *Vna propoſitio non eſt verior altera*; quia propoſitionem eſſe veram, dicit objectum ejus eſſe ſicut per eam enunciatur; ſed vnum objectum non poteſt eſſe magis ſicut per propoſitionem affirmatur quàm aliud; ergo nec veritas propoſitionis: Adde quòd veritas propoſitionis conſiſtit in conformitate, at vna propoſitio non ſuperat aliam in conformitate, vna falſitas etiam non eſt major altera circa vnum objectum, ſed tantùm circa plura, idque extenſiuè tantùm.

37. Duodecimò, *Omnis propoſitio formalis, vel vera, vel falſa eſt; nunquam*

quam tamen potest esse simul vera & falsa; ideo propositiones falsificantes sunt reiiciendæ, & sunt tantùm abusiuè propositiones; putà cum dico, ego mentior.

38. *Enunciatio ratione formæ* diuiditur quartò, in necessariam & contingentem; *Necessaria* est quæ aliter se habere non potest, vt Deus est æternus; *contingens* verò quæ aliter se habere potest, vt Petrus ambulat: quòd si res vt plurimùm contingat, dicitur etiam *probabilis*, vt mater amat liberos: vbi hæc notanda sunt.

39. Primò, *propositio necessaria non est confundenda cum scientifica & demonstratiua*: licet enim omnis scientifica sit necessaria, non tamen omnis necessaria est scientifica; quia vt propositio sit necessaria, sufficit connexio necessaria prædicati cum subiecto, quæ necessitas vocatur complexa; sed vt propositio sit scientifica requiritur præterea vt subiectum propositionis sit necessarium saltem quoad causam, quæ necessitas vocatur incomplexa, de quibus suprà.

40. Secundò, *Necessitas propositionis* vel est antecedens, vel consequens: *Antecedens* seu *absoluta* dicitur ea quæ antecedit omnem actum voluntatis, & nulla suppositione factâ est necessariò vera, vt homo est rationalis: *consequens* seu *hypothetica* est cuius veritas pendet à nobis & sequitur actum voluntatis nostræ, vel supponit aliquid vt Petrus sedet supposito quòd eum videam sedentem: & hæc est tantùm impropriè necessitas: *Necessitas* rursus, vel *Physica*, vel *Metaphysica*: *propositio necessaria necessitate Physica* dicitur ea quæ aliter se habere non potest virtute naturali aut secundum ordinem naturæ, vt Sol illuminat: *Propositio* verò *necessaria necessitate Metaphysica* dicitur ea quæ nulla virtute vel supernaturali aliter esse potest, vt homo est rationalis: Alii addunt *necessitatem ethicam* seu *moralem*, cùm scilicet iudicamus secundum regulas prudentiæ rem aliter se habere non posse, quæ tamen aliter se habere potest, vt mater amat liberos.

41. Tertiò, *Propositio contingens vel est de præterito*, vt Petrus disputauit; *vel de præsenti*, vt Petrus disputat; *vel de futuro*, vt Petrus disputabit. Quæstio autem hîc solet agitari *An duarum contradictoriarum singularium de futuro contingenti vna sit determinatè vera, altera verò determinatè falsa*, putà Petrus cras disputabit, Petrus cras non disputabit.

42. Antequam respondeatur, sciendum est primò, distinguendum esse inter propositionem necessariam & determinatè veram: vt enim aliqua *propositio* sit *necessaria*, oportet vt prædicatum habeat necessariam connexionem cum subiecto, vt homo est rationalis; vt autem *propositio* sit *determinatè vera*, requiritur tantùm vt obiectum propositionis existat in ea differentia temporis quâ affirmatur existere, vt Alexander magnus vicit Darium; ideo ad veritatem determinatam propositionis non requiritur vt obiectum existat determinatè determinatione orta ex causa determinata ad vnum, adeo vt effectus vel obiectum ita oriatur à causa vt non

p[r]aeterit non oriri, talis enim causa est naturalis & necessaria, sed sufficit vt verbum existat determinatè determinatione orta ex ipso effectu de facto existente, vel ex ipsa causa quæ ita se determinauit ad vnum vt potuisset se determinare ad alterum.

43. Sciendum est secundò, quæstionem non esse An ex duabus propositionibus contradictoriis singularibus de futuro contingenti vna sit determinatè vera & altera determinatè falsa respectu nostri, sed an sit talis in se; nam manifestum est respectu nostri plerumque neutram esse determinatè veram aut determinatè falsam.

44. His præsuppositis, dico *duarum propositionum contradictoriarum de futuro contingenti singulari vnam esse semper determinatè veram in se, alteram verò esse semper determinatè falsam in se.* Probatur primò, quia illud est determinatè verum aut determinatè falsum in se, quod cognoscitur esse tale ab intellectu infallibili scilicet à diuino; Deus enim cognoscit res prout sunt in se: Sed duarum propositionum contradictoriarum de futuro contingenti singulari, vna cognoscitur distinctè & determinatè vera, & altera distinctè & determinatè falsa ab intellectu diuino; ergo vna est determinatè vera & altera determinatè falsa in se. Confirmatur ex eo quòd alioquin sequeretur Prophetias omnes esse incertas & non esse determinatè veras, eò quòd sint de futuris contingentibus singularibus; & sequeretur Christum dicentem Petro *ter me negabis*, non fecisse propositionem determinatè veram, quæ omnia sunt absurda.

45. Probatur secundò, quia illa propositio est determinatè vera cujus objectum erit actu in differentia temporis quâ affirmatur esse, aut non erit in ea differentia temporis quâ negatur esse: Sed hoc accidit in propositionibus contradictoriis singularibus de futuro contingenti, vt patet attendenti: & cum propositiones de contingenti præterito & præsenti, ideo sint determinatè veræ aut determinatè falsæ, quia significant aliquid esse aut non esse, fuisse aut non fuisse, quo tenera est aut non est, fuit aut non fuit; certè à pari propositiones de futuro contingenti erunt determinatè veræ aut determinatè falsæ, quia enunciant futurum id quod futurum est, aut non futurum.

46. Probatur tertio, quia alioquin vtraque propositio erit determinatè falsa, cum vna enunciet determinatè Petrum verbi gratiâ cras disputaturum, altera verò determinatè enunciet Petrum cras non disputaturum.

47. Vt respondeatur obiectionibus, sciendum est primò, necessitatem absolutam & antecedentem tollere contingentiam, non autem necessitatem hypotheticam & consequentem. Sciendum est secundo, suppositionem antecedentem naturâ quæ se tenet ex parte causæ ad vnum determinatæ tollere contingentiam; non autem suppositionem antecedentem tempore, quæ sumitur ex ipsa existentia rei vel præcognitione ejus. Sciendum est tertiò, possibile esse prius futuro & non futuro, ratione aut con-

conceptu, sed non tempore.

48. *Enunciatio ratione formæ* diuiditur quintò in puram & modalem; *pura* caret modo, vt homo est rationalis; *modalis* verò habet modum formalem, qui quadruplex est, scilicet necesse, contingens, possibile, & impossibile: *Necesse* non potest non esse. *Contingens* potest esse & non esse. *Possibile* non est, sed potest non esse. *Impossibile* non potest esse. Cæterùm modalis potest resolui per verba, vel per aduerbia.

49. Ad modales referunt nonnulli *exponibiles*, quæ scilicet egent expositione vt clarè intelligantur; & vulgò diuiduntur in exclusiuas, exceptiuas, & restrictiuas. *Exclusiua* dicitur ea quæ notatur signo exclusionis; signa autem exclusionis sunt solus, vnicus, tantùm, duntaxat &c. *Exceptiua* dicitur ea quæ notatur signo exceptiuo; signa autem exceptiua sunt præter, nisi &c. *Restrictiua* seu *limitativa* dicitur ea quæ notatur signo restrictiuo; signa autem restrictiua sunt quatenus, per se, aut per accidens &c.

50. Enunciatio exclusiua duplex, vna exclusiua subjecti, altera exclusiua prædicati: *Exclusiua subiecti* est quando signum cadit in subjectum, & ideo excludit alia subjecta à participatione prædicati, vt solus Deus est æternus, ideſt Deus est æternus, & nihil aliud est æternum: *Exclusiua prædicati* est quando signum cadit in prædicatum, & ideo excludit alia prædicata à conuenientia cum subjecto, vt Petrus ludit tantùm, ideſt Petrus ludit & nihil aliud agit.

51. Si signum nulla afficiatur negatione, tunc exclusiua exponitur per duas propositiones quarum vna affirmata & altera negata, vt solus homo est rationalis, sic exponitur homo est rationalis & quod non est homo non est rationale, vel nihil aliud est rationale: At si afficiatur negatione, exclusiua exponenda erit per duas affirmatas aut duas negatas, vt non solus homo est animal, ideſt homo est animal & aliquid aliud est animal; item non solus homo non est brutum, ideſt homo non est brutum, & aliquid aliud non est brutum.

52. Enunciatio exclusiua non excludit concomitantia, sed tantùm id quod est oppositum subjecto aut prædicato à quo fit exclusio: vnde Pontificij sunt ridiculi, cùm volunt probare solam fidem non justificare, &c, quia Deus justificat & sacramenta justificant: Nam hæc propositio sola fides justificat, non excludit concomitantia, scilicet Deum justificantem tanquam causam principalem, & sacramenta justificantia tanquam signa, sigilla & instrumenta moralia; sed cum fides justificet per modum instrumenti apprehendentis justitiam Christi, excludit opera ab apprehensione justitiæ Christi, atque adeo à justificatione per modum instrumenti, licet non excludat illa à justificatione per modum signi & effectus; nec excludat eorum præsentiam, quando ipsa apprehendit justitiam Christi.

53. Signum exceptiuum *præter* sumitur variis modis. 1. *Diminutiuè & exceptiuè*, vt omne animal præter hominem est irrationale, idest excepto homine. 2. pro *contra*, vt Rom. 16. *Obseruate eos qui dissidia & offendicula præter doctrinam quàm didicistis gignunt*, vbi τὸ *præter doctrinam* sumitur pro *contra doctrinam*. 3. Pro *vltra*, sic Paulus ad Galatas. *Nemo præsumat præterquam quod scriptum est*, idest *vltra id quod scriptum est*. Aliquando signum exceptiuum *nisi*, reddit propositionem exclusiuam, non autem exceptiuam, vt Apoc. 21. *non intrabit in eam aliquid inquinatum nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni*: Et Gal. 2. *Scientes quòd homo non iustificatur operibus nisi fide Iesu Christi*.

54. Signum limitatiuum *quatenus*, interdum denotat *conditionem* tantùm, vt ignis quatenus approximatus calefacit; interdum *causam* aut rationem formalem, vt homo quatenus animal sentit, homo quatenus homo est rationalis. Interdum *considerationem* seu abstractionem.

55. Enunciatio ratione formæ diuiditur sextò, in speculatiuam & practicam: *speculatiua* est quâ dicitur aut cognoscitur vnum connenire vel non conuenire alteri, vt cum quis dicit, aut cognoscit hominem esse rationalem, hominem non esse asinum &c. *Practica* est qua fit id quod dicitur vel cognoscitur, vt cum Deus dixit fiat lux: practica exprimitur imperatiuo modo, speculatiua verò non; ideo hæc propositio Christi, hoc est corpus meum, est speculatiua, non practica.

DE DIVISIONE ENVNCIATIONIS
Ratione Quantitatis.

56. ENunciatio ratione quantitatis diuiditur in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem. *Vniuersalis* est quæ constat subiecto vniuersali vniuersaliter accepto; tunc autem sumitur vniuersaliter quando notatur signo vniuersali; signa autem vniuersalitatis sunt omnis, nullus, quicúmque, &c. vt omnis homo est rationalis, nullus homo est equus. *Particularis* est quæ constat subiecto vniuersali particulariter accepto; tunc autem sumitur particulariter; quando notatur signo particularitatis; signa autem particularitatis sunt quidam, non omnis, nonnullus &c. vt aliquod animal est rationale. *Indefinita* est quæ constat subiecto vniuersali, sed nullo notatur signo, vt Hispani sunt superbi. *Singularis* est quæ constat subiecto singulari seu indiuiduo determinato, vt Petrus est doctus: Indefinita & infinita differunt.

57. Enunciatio vniuersalis diuiditur in absolutam & limitatam: *Absoluta* dicitur ea in qua attributum conuenit subiectum sine vlla limitatione aut exceptione, vt omnis homo est rationalis: *Limitata* verò dicitur ea in qua attributum conuenit subiecto cum limitatione aut exceptione siue expressa siue subintellecta.

58. Rursus

58. Rursus *Enunciatio vniuersalis* vel collectiua, vel distributiua: *Collectiua* est ea in qua subjectum sumitur in sensu copulato, idest collectiuè pro omnibus simul sumptis duntaxat, vt omnes Apostoli sunt duodecim: *Distributiua* vero est ea in qua subjectum sumitur in sensu copulatiuo: Estque vel distributiua in singula generum, vel in genera singulorum: *Distributiua in singula generum* est ea in qua attributum prædicatur de omnibus & singulis sub subjecto contentis, vt omnis homo est rationalis: *Distributiua* vero *in genera singulorum* est ea in qua attributum prædicatur de quibusdam ex omni genere statu & ordine, idest de quibuslibet, non autem de singulis indiuiduis, vt omnis morbus curabatur à Christo, idest omne genus.

DE PROPRIETATIBVS RELATIVIS Enunciationis.

59. Tres communiter dicuntur esse proprietates aut affectiones relatiuæ Enunciationis, scilicet oppositio, æquipollentia & conuersio. Æquipollentia est duarum enunciationum verbis discrepantium conuenientia in sensu, quæ æquipollentia satis cognoscitur ex Grammatica, ideo in ea explicanda non immorabimur.

60. *Oppositio* Enunciationum est repugnantia duarum propositionum iisdem extremis constantium, idque vel secundum qualitatem, idest secundum affirmationem & negationem; vel secundum quantitatem: estque quadruplex vulgò, scilicet contraria, subcontraria, subalterna & contradictoria.

61. *Oppositio contraria* est inter duas propositiones vniuersales quarum vna est affirmata, altera negata, vt omnis homo est doctus, nullus homo est doctus *Oppositio subcontraria* est inter duas propositiones particulares quarum vna est affirmata & altera negata, vt aliquis homo est doctus, aliquis homo non est doctus. *Oppositio subalterna* est inter duas propositiones vel affirmatas vel negatas, quarum vna est vniuersalis altera particularis, vt omnis homo est doctus, aliquis homo est doctus. *Oppositio contradictoria* est inter duas propositiones quarum vna est vniuersalis altera particularis, vna affirmata & altera negata, vt omnis homo est doctus, aliquis homo non est doctus.

62. *In vera oppositione debet esse idem, de eodem, secundum idem, ad idem, & eodem tempore*, idest debet esse idem prædicatum, de eodem subjecto, secundum eandem partem subjecti, comparatè ad idem non ad diuersa, & pro eodem tempore.

63. Rursus, *oppositio subalterna non est vera oppositio*: cùm in ea vna propositio sit pars alterius, & ex vna, scilicet ex vniuersali, inferatur altera, scilicet particularis.

64. Præterea, *Oppositio subcontraria non est vera oppositio*, quia si propositiones sint veræ, non sunt de eodem subiecto; si verò sint falsæ, sunt potiùs contradictoriæ.

65. Denique, *Omnis vera oppositio ad contradictoriam reuocanda*, quia omnis vera oppositio est propter duas propositiones singulares mutuò sibi contradicentes quæ continentur in oppositis, vt patet inductione.

66. *Conuersio* est mutatio vnius Enunciationis in aliam seruata qualitate essentiali & accidentali; qualitas essentialis est affirmatio & negatio; accidentalis verò est veritas & falsitas; Conversio etiam dici potest transpositio subiecti in prædicatum, prædicati in subiectum salua veritate; Estque triplex scilicet simplex, per accidens, & per contrapositionem.

67. *Conuersio simplex* fit mutatione extremorum seruata eadem qualitate; & sic conuertuntur vniuersales negatæ & particulares affirmatæ. *Conuersio per accidens* fit mutatione extremorum seruata eadem qualitate, sed non quantitate, adeo vt vniuersalis mutetur in particularem, vt omnis homo est animal, aliquod animal est homo. *Conuersio per contrapositionem* fit mutatione extremorum finitorum in infinita, seruata eadem quantitate & qualitate, & sic conuertuntur vniuersales affirmatæ & particulares negatæ, vt omnis homo est animal, omne non animal est non homo, aliquis homo non est doctus, aliquis non doctus non est non homo.

Oppositio Enunciationum modalium, nec non Conuersio & Æquipollentia earum sunt inutiles; de quibus consule magnam Logicam.

QVINTA

QVINTA PARS LOGICÆ.

DE ARGVMENTATIONE.

Hæc pars diuiditur in ſex capita, 1. agitur de Argumentatione in communi, 2. de Syllogiſmo in genere, 3. de Diuiſione Syllogiſmi, 4. de Demonſtratione, 5. de Syllogiſmo Topico & Sophiſtico, 6. de Locis Argumentorum.

CAPVT PRIMVM.

De Argumentatione in communi.

ARGVMENTATIO in communi diſtinguitur in objectiuam & formalem. *Argumentatio objectiua* eſt complexio rei probantis & rei probatæ, vt ſi quis probet diem eſſe, quia ſol lucet hoc pacto ſol lucet, ergo dies eſt; ſol lucet eſt res probans, & dies eſt, eſt res probata. Argumentatio objectiua dicitur etiam complexio antecedentis, conſequentis & conſequentiæ, *antecedens* eſt res probans, *conſequens* eſt res probata, & *conſequentia* eſt habitudo vnius ad aliud, vi cujus vnum probatur per aliud, vel eſt connexio aut identitas antecedentis & conſequentis: Antecedens eſt id ex

quo aliud infertur : consequens est id quod infertur & consequentia est connexio aut identitas vtriusque, vel est vis illatiua, hoc est id vi cujus vnum infertur ex alio : *Argumentatio* vero *formalis* est complexio judiciorum rei probantis & rei probatæ, vel complexio judiciorum antecedentis, consequentis & consequentiæ.

2. *Argumentatio objectiua, seu discursus objectivus, malè confunditur à quibusdam cum consequentia :* Licet enim omnis argumentatio objectiua includat consequentiam, non tamen omnis consequentia includit argumentationum objectiuam : Nam duplex est genus consequentiæ; vnum quidem, cum nihil est in antecedente quod non sit in consequente, atque adeo est tantùm inter duos terminos, putà cùm conuertens infertur ex conuersa, vt nullus homo est asinus, ergo nullus asinus est homo; omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo; vel cum subalternata infertur ex subalternante vt omnis homo est animal, ergo aliquis homo est animal; vel cum aliqua propositio infertur ex synonima aut æquipollente, vt Petrus gestat ensem, ergo Petrus gestat gladium. Alterum verò genus consequentiæ, est cùm continetur aliquid in antecedente, quod non est in consequente, atque adeo est semper inter tres terminos, & hoc genus consequentiæ est semper conjunctum cum argumentatione objectiua, vt Petrus est homo, ergo Petrus est rationalis: Deinde consequentia reperitur in enunciatione hypothetica objectiua, putà si sol lucet dies est; Argumentatio dicit ad minimum duas propositiones quarum vna sequitur ex altera : Denique supià ostendimus etiam in argumentatione objectiua, consequentiam esse tantùm partem eius, cum argumentatio obiectiua complectatur antecedens, consequens & consequentiam.

3. *Argumentatio formalis, seu discursus formalis, malè confunditur ferè ab omnibus, cum tertia mentis operatione :* quod vt meliùs percipiatur, notandum est in argumentatione seu discursu formali, triplex iudicium distingui posse : primum est iudicium antecedentis, siue vnum sit vt in Enthymemate, siue multiplex vt in syllogismo; secundum est iudicium consequentis, tertium est iudicium consequentiæ, quo scilicet intellectus iudicat consequens rectè sequi ex antecedente. Hoc prænotato, dico argumentationem seu discursum formalem mentalem, complecti actu & formaliter plura iudicia quorum vnum dependet ab altero, scilicet iudicium antecedentis & iudicium consequentis, quod dependet à iudicio antecedentis; idque patet ex ipso vocabulo *discursus* quod est metaphoricum & desumptum à motu animalis celeriter progredientis; sicut enim animal ab vno loco in alium currit aut celeriter progreditur; sic intellectus humanus ex cognitione vnius deuenit & quasi currit aut progreditur ad cognitionem alterius scilicet ex iudicio antecedentis ad iudicium consequentis : at tertia mentis opeīatio est solum iudicium consequentis, provt illatum tamen ex iudicio antecedentis à quo dependet tanquam à motiuo & à quo determinatur intellectus ad eliciendum consequens, atque adeo tertia men-

mentis operatio est actu formaliter & entitatiuè simplex actus, & pars discursus aut argumentationis formalis.

4. *Iudicium consequentiæ non est necessariò judicium consequentis aut tertia mentis operatio, sed potest esse secunda:* quia judicium consequentis dicitur illud quo intellectus judicat consequens rectè sequi ex antecedente: At ejusmodi judicium potest esse secunda mentis operatio, putà si quis judicium ferat de hac propositione hypothetica, si sol lucet dies est: Adde quòd judicium consequentis seu tertia mentis operatio, necessariò conjungatur cum discursu formali, non autem judicium consequentiæ, quod reperitur in Deo, qui cognoscens res vt sunt, videt aliquas sequi ex alijs, nec tamen discurrit formaliter, cum ex cognitione vnius non deueniat in cognitionem alterius, sed cognoscat omnia simul, quod est cognoscere per intuitum, non per discursum. Non tamen negandum est judicium consequentis prout illatum & dependens à judicio antecedentis, esse virtuale judicium consequentiæ, licet non formale, quia intellectus, vi judicij antecedentis, non potest ferre judicium de consequente, quin virtualiter aut æquiualenter judicet istud ex illo rectè sequi. Denique consequens & consequentia non sunt idem, cum consequens sit propositio objectiua illata ex altera, consequentia verò sit connexio aut identitas antecedentis & consequentis.

5. *Iudicium consequentis sequitur necessariò ex judicio antecedentis quoad specificationem semper, quoad exercitium verò, modò adsit attentio intellectus:* quoad specificationem quidem, quia *necessitas specificationis* est ea qua intellectus non omninò determinatur ad agendum, sed ita manet indifferens ad agendum & non agendum, vt tamen si agat certæ cujusdam speciei actum producere debeat: Intellectus igitur cognitâ veritate præmissarum rectè dispositarum, si judicium ferat de conclusione, nòn potest aut non debet cujuscunque speciei, sed certæ alicujus speciei judicium ferre, putà affirmatiuum non negatiuum, vel negatiuum non affirmatiuum pro qualitate præmissarum, tum quia conclusio continetur virtualiter in præmissis euidenter veris, tum quia ex præmissis euidenter veris, si appareat bonitas consequentiæ, infertur necessariò conclusio euidenter vera: quoad exercitium verò modo adsit attentio intellectus, & aliò non auocetur, quia *necessitas exercitij* est ea quæ nihil relinquit arbitrio hominis, quando scilicet vnus actus tam necessariò sequitur alios, vt ejus exercitium impediri nequeat; at cum intellectus saltem in euidenter veris, sit causa necessaria, non libera, proculdubio si adsint omnia necessaria vt intellectus præmissis assentiatur, & tollantur impedimenta, intellectus necessariò feret judicium de conclusione: Dixi si adsint omnia necessaria, quorum præcipuum est attentio intellectus, quę impediri potest occupando intellectum in alia re, vel si homo post latum judicium de antecedente syncopen patiatur.

6. *Iudicium antecedentis est aliquo modo causa judicij consequentis,* cum hoc necessariò sequatur ex illo, non tamen est vera causa Physica,

ideſt per verum & realem influxum,ſed eſt tantùm cauſa moralis ſcil. per motionem & determinationem: Non eſſe cauſam Phyſicam patet, quia nullus actus facultatis vitalis producit Phyſicè alium actum ejuſdem aut alterius facultatis, verbi gratiâ vna viſio non producit aliam viſionem aut auditionem. Ergo vnus actus intellectus non producit Phyſicè alterum, atque adeo judicium antecedentis nunquam eſt cauſa Phyſica judicij conſequentis: Adde quòd judicium antecedentis non ſit ampliùs quando exercetur judicium conſequentis, atque adeo ipſius cauſa Phyſica eſſe non poſſit, cùm non entis nullæ effectiones: Eſſe verò cauſam moralem probatur, quia judicium antecedentis mouet, impellit, & determinat intellectum ad eliciendum judicium conſequentis: Licet autem judicium antecedentis non ſit cauſa Phyſica judicij conſequentis, attamen certum eſt antecedens objectiuum eſſe cauſam conſequentis objectiui, vel formalem ſeu realem, vel virtualem, vel rei, vel cognitionis, vel abſolutè, vel ex hypotheſi, vt probabitur infrà dum de Demonſtratione.

7. Cauſæ Argumentationis commodiùs tradentur dum de cauſis ſyllogiſmi, eædem enim ſunt vtriuſq; cauſæ, cùm omnes Argumentationes reuocentur ad Syllogiſmum, vt probabitur infrà: Species vero argumentationis ſeu potiùs modi argumentandi ſex communiter ponuntur, ſc. ſyllogiſmus, enthymema, inductio, exemplum, ſorites, & dilemma.

8. *Syllogiſmus* eſt argumentatio in qua ex duabus propoſitionibus tres terminos complectentibus recta infertur concluſio, vt omne animal eſt ſenſitiuum, ſed omnis homo eſt animal, Ergo omnis homo eſt ſenſitiuus. Dixi *tres terminos complectentibus*, quia ſi duos tantùm terminos complectatur, non erit ſyllogiſmus, imò nec erit propriè argumentatio, ſed tantum conſequentia, purà ſi omnis homo eſt animal, aliquod animal eſt homo, ſed omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo, de quo vide quæ dicta ſunt ſupra, num. 2.

9. *Enthymema* eſt argumentatio in qua ex vna propoſitione infertur altera, vel eſt complexio duarum propoſitionum quarum vna ſequitur ex altera, vt ſol lucet, ergo dies eſt, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt rationalis; prior propoſitio vocatur antecedens, poſterior verò vocatur conſequens; In enthymemate autem debent eſſe tres termini, cum reuocari poſſit ad ſyllogiſmũ qui tres exigit. Ab alijs enthymema dicitur argumentatio in qua ex vna propoſitione expreſſa & altera ſubintellecta recta infertur concluſio, deriuatur enim à Græco ἐνθυμέομαι, ideſt cogito & in animo retineo, quia propoſitionem quam non exprimit, ſubintelligit & in animo retinet, reuocatur autem ad ſyllogiſmum expreſſione propoſitionis ſubintellectæ; vnde fit vt enthymema & ſyllogiſmus propriè loquendo non ſint duæ diuerſæ ſpecies argumentationis, eò quòd enthymema reuocetur ad ſyllogiſmum, vna autem ſpecies non reuocatur ad alteram, & ideo omnia ferè quæ dicentur capite ſequenti de ſyllogiſmo, poterunt applicari enthymemati. Cæterùm ſi in antecedente non ponatur majus extremum, quod eſt prædicatum concluſionis, ſignum eſt majorem propoſitionem

tionem deesse, si verò in antecedente non ponatur minus extremum, quod est subjectum conclusionis, signum est minorem propositionem deesse, quod tamen intelligendum quando medium identificatur realiter cum extremis, non autem si distinguatur realiter.

10. *Inductio* est argumentatio in qua ex omnibus particularibus infertur vniuersale, vel ex partibus totum. Fit autem vel quando enumeratione omnium indiuiduorum concludimus idem dici de specie quod de omnibus indiuiduis, vt Petrus, Paulus, Iacobus &c. Sunt rationales, ergo omnis homo est rationalis: vel cum enumeratione omnium specierum concludimus idem dici de genere quod de omnibus speciebus, vt homo, asinus, equus, bos &c. sunt sensitiui, ergo omne animal est sensitiuum; vel cum enumeratione omnium partium, concludimus idem dici de toto quod de omnibus partibus, vt caput, pectus, stomachus, manus, pedes, &c. ægrotant, ergo totum animal ægrotat. Inductio autem reuocatur ad syllogismum assumendo omnia particularia, vel omnes partes pro medio hoc pacto. Ignis, aër, aqua, & terra sunt corpora, sed ignis, aër, aqua, & terra sunt omne elementum, ergo omne elementum est corpus: Item caput, pectus, pedes &c. ægrotant, sed caput, pectus, pedes &c. sunt totum animal, ergo totum animal ægrotat. Cæterùm per inductionem scientiæ & aliæ disciplinæ sunt inuentæ, nam ex similitudine quam intellectus percipit in singularibus aut particularibus ratio colligit omnes conclusiones vniuersales scientificas, necnon omnia principia vniuersalia demonstratiua.

11. *Exemplum* est argumentatio in qua ex vno singulari infertur aliud singulare vel vniuersale, singulare quidem vt Petrus impetrauit veniam à rege, Ergo Paulus eam impetrabit: Vniuersale verò, vt Abrahamus iustificatus est fide, ergo & nos justificabimur fide. Exemplum non probat necessario, sed probabiliter tantùm, nisi eadem ratio quæ reperitur in vno, reperiatur in altero, vel in omnibus, sic rectè concluditur. Abrahamus justificatus est fide, ergo & nos, quia idem est modus justificandi homines, scilicet per fidem. Cæterùm exemplum est prius inductione, & inductio est prior syllogismo, quia priùs cognoscimus vnum quam omnia, & prius cognoscimus omnia saltem confusè, quam inferatur vniuersale, at exemplum procedit à particulari, inductio ab omnibus particularibus, syllogysmus verò ab vniuersali, nisi sit expositorius: Exemplum refertur ad syllogysmum hypotheticum, vt patet attendenti.

12. *Sorites*, idest coaceruator, est argumentatio in qua ex multis propositionibus coaceruatis, in quibus prædicatum prioris est subjectum posterioris, tandé concluditur attributũ vltimæ de subjecto primæ, vt homo est animal, animal est viuens, viuens est corpus, corpus est substantia, ergo homo est substantia. Hic notandũ primò, in Sorite totũ prædicatũ prioris propositionis debere esse subjectũ posterioris, vnde non valet hic Sorites, *vnus clauus ferreus seruat equum, vnus equus seruat ducem, vnus dux seruat exercitum, ergo vnus clauus ferreus seruat exercitum*, nam totum prædicatum

M 2

prioris propositionis non est subjectum posterioris, cum totum prædicatum primæ propositionis sit *seruans equum*, non autem *equus* &c. Notandum est secundò, in Sorite tot esse syllogismos, quot sunt termini inter subjectum primæ propositionis & prædicatum vltimæ. Ideo hic Sorites Pauli *Rom.*8. Quos Deus præcognouit, prædestinauit, quos prædestinauit, vocauit, quos vocauit, justificauit, & quos justificauit, glorificauit, continet tres syllogismos hoc pacto. 1. Quos Deus prædestinauit eos vocauit, sed quod Deus præcognouit eos prædestinauit, Ergo quos Deus præcognouit eos vocauit. 2. Quos Deus vocauit eos justificauit, sed quos Deus prædestinauit eos vocauit, Ergo quos Deus prædestinauit eos justificauit. 3. Quos Deus justificauit eos glorificauit, sed quos Deus vocauit eos justificauit, Ergo quos Deus vocauit eos glorificauit.

13. *Dilemma* est argumentatio in qua ex pluribus aduersario propositis, quolibet concesso, aduersarius capitur, & dicitur quasi δὶς λελημμένον, idest bis sumptum, vel vtrinque capiens. Dicitur etiam argumentum cornutum, quasi vtroque cornu aut vtrinque feriens, vt aut ducenda est vxor pulchra, aut deformis, si pulchra erit κοινή, si deformis erit ποινή, Ergo vxor non est ducenda. Reducitur autem ad syllogysmum, quia continet vnum syllogismum hypotheticum & duos categoricos: hypotheticum quidem hoc pacto. Si vxor est ducenda vel pulchra vel deformis est ducenda, sed neque pulchra neque deformis est ducenda, Ergo vxor non est ducenda. Continet autem duos categoricos hoc pacto: quæ est κοινή, non est ducenda, sed pulchra est κοινή, Ergo pulchra non est ducenda; Item quæ est ποινή, non est ducenda, sed deformis est ποινή, Ergo deformis non est ducenda. Cæterùm non valet dilemma ratione materiæ, si major non sit ex oppositis & immediatis, vt in dilemmate allato, cum detur medium inter pulchram & deformem. 2. Si non rectè probetur vtraque pars, vt in dilemmate allato, cum non sit necessarium mulierem pulchram esse κοινήν.

CAPVT SECVNDVM.

De Syllogismo in genere.

1. SYllogismus dicitur à συλλογίζεσθαι, id est colligere, quod est vocabulum metaphoricum desumptum ab Arithmeticis plurium numerorum summam colligentibus: Deinde translatum est à Logicis ad declarandum argumentationis seu ratiocinationis modum: Logicis enim συλλογίζεσθαι est concludere, idest ex quibusdam propositionibus summam probationis efficere & colligere.

2. *Syllogismus* est argumentatio in qua ex duabus propositionibus tres terminos complectentibus recta infertur conclusio, quæ definitio syllo-

syllogismi suprà explicata est. Ab Aristotele lib. 1. priorum analyt. Syllogismus definitur *oratio, in qua quibusdam positis, aliud necessario sequitur ex eo quòd hæc sunt.* Per *orationem,* intellige orationem complexam, quia syllogismus continet tres orationes perfectas, seu tres enunciationes, scilicet majorem, minorem, & conclusionem: Per hæc verba, *in qua quibusdam positis;* intellige propositiones rectè dispositas, & concessas, scilicet majorem & minorem: Per hęc verba, *aliud sequitur* intellige conclusionem, quę alia est à præmissis, vel realiter & objectiuè intrinsecè, cum scilicet medium distinguitur ab extremis, putà quando est causa vel effectus, vel formaliter seu objectiuè extrinsecè, cum medium non distinguitur ab extremis. Per hoc vocabulum *necessariò* intellige semper necessitatem formæ, non semper materiæ; & per rectam conclusionem intellige rectitudinem formæ, non semper materiæ. Necessitas autem & rectitudo formæ nihil aliud est quàm conformitas cum præceptis Logicis, sicut rectitudo materiæ, nihil aliud est quam veritas propositionis: Intellige etiam semper necessitatem consequentiæ, non semper consequentis, & semper necessitatem specificationis aut exercitij eò modo quo suprà explicatum est, si sit quæstio de syllogismo formali. Denique per hæc verba; *ex eo quòd hæc sunt,* intellige ex eo quòd propositiones fuerint rectè dispositæ aut concessæ, seu vi præmissarum.

3. *Conclusio dicitur pars syllogismi*, si syllogismus sumatur pro toto discursu conflato ex judicio antecedentis & judicio consequentis, si sit syllogismus formalis, conflato verò ex antecedente & consequente objectiuo si sit syllogismus objectiuus. At si syllogismus sumatur pro judicio solo antecedentis, aut pro solo antecedente objectiuo consequens probante; tunc *conclusio non est pars syllogismi*, sed est effectus aut quasi effectus.

DE CAVSIS SYLLOGISMI.

4. *Causa efficiens syllogismi formalis* est homo aut intellectus humanus, quia Deus & angeli non discurrunt formaliter; atque adeo non faciunt syllogismos formales, cum res cognoscant per intuitum; non per discursum, vt probabitur suo loco: *Causa efficiens syllogismi objectiui necessarij*, nulla est, vt patet in hoc syllogismo necessario; omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis, nihil enim est quod faciat vt rationale sit risibile, nihil est quod faciat vt homo sit rationalis, nihil est quod faciat vt homo sit risibilis, & nihil est quod faciat vt conclusio habeat connexionem aut identitatem cum propositionibus, siquidem omnes hæ propositiones objectiuæ quæ constituunt syllogismum suprà allatum, sunt propositiones æter-

næ veritatis denotantes identitatem hominis, rationalis & risibilis, independenter ab omni causa efficiente saltem creata ; at variæ possunt esse causæ efficientes syllogysmi contingentis objectiui. *Finis syllogismi formalis*, est cognitio veritatis.

5. *Materia proxima syllogismi* sunt tres enunciationes, idest duæ propositiones & conclusio, *materia* verò *remota* sunt tres termini simplices: quia syllogismus constat proximè tribus enunciationibus, scilicet majori, minori & conclusione, quæ enunciationes constant tribus terminis simplicibus.

6. *Terminus simplex* est extremum propositionis aut enunciationis, & in syllogismo tres sunt, scilicet minus extremum, majus extremum & medium: *Minus extremum* est subjectum conclusionis, *majus extremum* est prædicatum conclusionis, *medium* est quod assumitur ad probandam conclusionem, majus extremum debet poni in majori cum medio, & ob id dicitur *Major*, quæ est propositio constans majori extremo & medio, aut medio & majori extremo: *Minus* extremum debet poni in minori cum medio, & ob id dicitur *Minor*, quæ est propositio constans minori extremo & medio, aut medio & minori extremo. Medium debet poni semel in majori cum majori extremo, semel in minori cum minori extremo, nunquam verò in conclusione, quæ constat tantùm minori & majori extremo. Hæc omnia patent in hoc syllogismo, *omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis, Ergo omnis homo est risibilis*, In quo, *omne rationale est risibile* est *major*, quæ aliis dicitur *propositio, sed omnis homo est rationalis*, est *minor*, quæ ab aliis dicitur *assumptio*, Et *ergo omnis homo est risibilis*, est *conclusio, minus extremum* est *homo: majus extremum* est *risibile: medium* est *rationale*.

7. *Forma syllogismi*, quæ est recta dispositio materiæ syllogisticæ duplex est, scilicet *remota*, quæ dicitur figura, & *proxima* quæ dicitur modus. *Figura* est recta dispositio terminorum, idest recta dispositio medij cum extremis; *Modus* est recta dispositio propositionum & conclusionis secundum quantitatem & qualitatem.

8. *Tres sunt figuræ syllogismorum, Prima*, est in qua medium subjicitur in majori & prædicatur in minori, vt omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis. *Secunda figura*, est in qua medium prædicatur in vtraq; propositione, vt nullus lapis est animal, sed omnis homo est animal, Ergo nullus homo est lapis. *Tertia figura*, est in qua medium subjicitur in vtraque propositione, vt omnis homo est rationalis; sed omnis homo est animal, Ergo aliquod animal est rationale.

9. Alij addunt *quartam figuram*, quæ vulgo dicitur figura Galeni, quia ab eo creditur inuenta & est ea in qua mediũ prædicatur in majori & subjicitur in minori, vt omnis homo est animal, sed omne animal est substãtia, Ergo omnis homo est substãtia. Cęterũ hęc quarta figura refertur ad primã sola transpositione propositionũ, vt patet: imò propriè loquendo non differt à primâ, quia in vtraq; figura reperitur eadem connexio medij cum extre-

tremis eodem modò, ideſt mediū & extrema eodem munere defunguntur ſiue ſubjecti ſiue prædicati, adeo vt ſi medium prædicetur de vno extremo, aut ipſi ſubjiciatur in vna figura, etiam prędicetur de ipſo aut ipſi ſubjiciatur in altera & ſi vnum extremū ſubjiciatur medio aut prędicetur de ipſo in vna figura, ipſi ſubjiciatur aut prædicetur de ipſo in altera, vt patet in exemplis allatis. Adde quod ibi eſt eadem connexio medii cū extremis, & eadem figura, vbi eſt eadem concluſio; quæ ex vtraque connexione aut diſpoſitione medii cum extremis ſequitur ſine vlla conuerſione concluſionis aut præmiſſæ. Sed in prima & quarta figura ſequitur eadem concluſio, ſine vlla conuerſione; Ergo eſt eadem connexio & diſpoſitio medij cum extremis, & per conſequens prima & quarta figura ſunt eadem figura; quòd autem vna propoſitio priùs proferatur aut concipiatur quàm altera, non arguit realem diſtinctionem in figuris & in ſyllogiſmis. Quare in quarta figura prima propoſitio eſt minor, ſecunda verò propoſitio eſt major, quia vt ſuprà dictum eſt, major conſtat majori extremo & medio, minor verò conſtat minori extremo & medio. Vnde patet malè definitam eſſe à Philoſophis quartam figuram hoc pacto, quarta figura eſt ea in qua medium prædicatur in majori & ſubjicitur in minori; Nam licet in quarta figura medium prædicetur in prima propoſitione, & ſubjiciatur in ſecunda; attamen quia prima propoſitio eſt minor, & ſecunda propoſitio eſt major, vt probatum eſt, clarum eſt medium in quarta figura ſubjici in majori & prædicari in minori.

10. *Modi ſyllogiſmorum directi & vtiles* ſunt quatuordecim, quorum quatuor ſunt primæ figuræ, ſcilicet *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*; quatuor ſecundæ, ſcilicet *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco*: Et ſex tertiæ, ſcilicet *Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon*: Alij addunt quatuor quartæ, ſcilicet *Barmaba, Calemer, Dimari, Firemo*. Reliqui omnes modi quaruncunque figurarum ſunt *indirecti & inutiles*. In his autem omnibus modis quatuor vocales ſunt conſiderandæ, ſcilicet *A. E. I. O.* Quarum *A.* denotat vniuerſalem affirmatam, *E.* vniuerſalem negatam, *I.* particularem affirmatam, *O.* particularem negatam. Et in quolibet modo trium figurarum prima vocális denotat majorem, ſecunda minorem, tertia concluſionem. Quare *Barbara* eſt primus modus primæ figuræ, in quo ex duabus propoſitionibus vniuerſalibus affirmatis, infertur concluſio vniuerſalis affirmata: *Celarent* eſt ſecundus modus primæ figuræ in quo ex majori vniuerſali negata, & minori vniuerſali affirmata, infertur concluſio vniuerſalis negata &c.

11. Cæterùm, ſupradicta intelligenda ſunt de ſyllogiſmo objectiuo, non autem de formali; nam extrema identificari cum medio & inter ſe, medium eſſe ſubjectum aut prædicatum & majus extremum prędicari de minori extremo &c. conueniunt tantùm rebus ſyllogiſmum objectiuum conſtituentibus non autem conceptibus aut judiciis ſyllogiſmum formalem conſtituentibus, cum vnus conceptus, aut vnum judicium nec prædicetur de altero, nec identificetur cum ipſo.

DE REGVLIS GENERALIBVS Syllogiſmorum.

12. REgulæ *ſyllogiſmorum*, vel ſunt *generales*, quæ ſunt communes omnibus figuris; vel *ſpeciales*, quæ ſunt propriæ cujuſque figuræ. Priùs autem agemus de generalibus, deinde de ſpecialibus.

13. Prima regula generalis hæc eſt: *In ſyllogiſmo debent eſſe duæ propoſitiones, nec plures nec pauciores, cum concluſione ex illis illata*, vt patet ex definitione Syllogiſmi: vnde Enthymema quod conſtat tantùm vnâ propoſitione; & Inductio, Sorites & Dilemma quæ pluribus quàm duabus conſtant, non ſunt Syllogiſmi formaliter & explicitè, ſed tantùm virtualiter & implicitè. Item Proſyllogiſmus eſt multiplex, nō ſimplex Syllogiſmus, vt patet hoc exemplo. Corpus eſt ſubſtantia, Sed animal eſt corpus Ergo animal eſt ſubſtantia, At homo eſt animal, Ergo homo eſt ſubſtantia.

14. Secunda regula generalis talis eſt. *In Syllogiſmo debent eſſe tres termini non æquiuoci, nec plures, nec pauciores*, ſcilicet *minus extremum, majus extremum & medium*. Quare hic ſyllogiſmus non valet, *nulla muſca eſt major lepore, ſed omnis bos eſt major muſca, Ergo nullus bos eſt major lepore*: nam in hoc ſyllogiſmo ſunt duo media, atque adeo quatuor termini; in majori enim medium eſt *muſca*, in minori verò medium eſt *major muſca*. Item ſyllogiſmus non valet, quando terminus aliquis eſt æquiuocus aut ambiguus, ideſt quando aliter ſumitur in vna propoſitione quàm in altera, aut in concluſione; vt *Rex eſt monoſyllabum, ſed Alexander eſt Rex, Ergo Alexander eſt monoſyllabum*: nam in majori, *rex* ſumitur in ſuppoſitione materiali pro vocabulo, in minori verò ſumitur in ſuppoſitione formali pro perſona regis.

15. Tertia Regula generalis eſt ejuſmodi: *Ex negantibus nihil concluditur*, ideſt ex propoſitionibus negantibus non infertur recta concluſio, & ideò ſi vtraque propoſitio, ſcilicet major & minor, ſit negans, ſyllogiſmus eſt vitioſus. Vnde hic ſyllogiſmus non valet. *Nullus aſinus eſt rationalis, ſed nullus homo eſt aſinus, Ergo nullus homo eſt rationalis*. Item hic ſyllogiſmus non valet; *Impoſſibile eſt hominem eſſe brutum, ſed impoſſibile eſt aſinum eſſe hominem, ergo impoſſibile eſt aſinum eſſe brutum*, nam impoſſibile eſt, non eſt poſſibile, & non poteſt eſſe, coincidunt.

16. Ratio hujus regulæ eſt, quòd diſtinctio duorum ab vno tertio non facit diſtinctionem eorum inter ſe, putà diſtinctio hominis & rationalis ab aſino, non facit diſtinctionem inter hominem & rationalem, atq; adeo negatio identitatis extremorum cum medio, non ponit negationem identitatis extremorum inter ſe; & licet iſtud axioma ſit verum, quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe: attamen iſtud non eſt verum, quæ

non

non ſunt eadem vni tertio, non ſunt eadem inter ſe, putà homo & rationale non ſunt idem cum aſino, & tamen ſunt idem inter ſe.

17. Verùm ego exiſtimo primò, *ex negantibus non rectè concludi quando quatuor ſunt termini aut vnus ex tribus terminis eſt æquiuocus*, vnus enim terminus æquiuocus æquiualet duobus; at in ſyllogiſmis ſuprà allatis in hac tertia regula ſunt quatuor termini, cum ſint in ijs duo media, ſcilicet in priori *aſinus* in majori, & *non aſinus* in minori, in poſteriori verò, *homo* in majori, & *non homo* in minori, quòd clarè patebit ſi propoſitiones negatiuæ reſoluantur in infinitas hoc pacto, *aſinus eſt non rationalis, ſed homo eſt non aſinus, Ergo homo eſt non rationalis*; Vbi medium in majori eſt *aſinus*, medium verò in minori eſt *non aſinus*. Item *homo eſt non potens eſſe brutum, ſed aſinus eſt non potens eſſe homo: ergo aſinus eſt non potens eſſe brutum*; Vbi medium in majori eſt *homo*, in minori verò eſt *non potens eſſe homo*, negans autem & affirmans infinita ex parte prædicati æquipollent.

18. Ego exiſtimo ſecundò *ex negatis ſemper rectè concludi, quando medium eſt negatiuum aut infinitum*, quia tunc ſunt tantùm tres termini non æquiuoci, vt patet in his ſyllogiſmis, *quod non eſt animal non eſt homo, ſed lapis non eſt animal, ergo lapis non eſt homo*, vbi vnicum eſt medium in vtraque propoſitione, ſc. *non animal*. Item *quòd non eſt homo non eſt rationale, ſed aſinus non eſt homo, ergo aſinus non eſt rationalis*, vbi etiam vnicum eſt medium, ſcilicet *non homo*, vt clariùs patet, ſi medium fiat infinitum hoc pacto, *non animal non eſt homo, ſed lapis eſt non animal, ergo lapis non eſt homo*: Item *non homo non eſt rationale, ſed aſinus eſt non homo, ergo aſinus non eſt rationalis*.

19. Dices, *ejuſmodi ſyllogiſmos concludere tantùm vi materiæ, non autem vi formæ*. Verùm contra dico, omnem formam ſyllogiſticam, atque adeo omnes regulas ſyllogiſmorum, nec non reliqua præcepta logica, niti experientiâ reflexâ; verbi gratiâ quia obſeruatum eſt ſyllogiſmos omnes in quibus non ſunt tantùm tres termini non æquiuoci eſſe vitioſos, ideo factum eſt hoc præceptum, in ſyllogiſmo debent eſſe tantùm tres termini non æquiuoci; & ſic de cæteris præceptis: ergo cum obſeruatum ſit omnes ſyllogiſmos conſtantes propoſitionibus negatis aut infinitis, in quibus medium eſt negatiuum aut infinitum, eſſe rectos, & in ijs ſemper veram concluſionem inferri, ſi propoſitiones ſint veræ; clarum eſt hanc regulam ex negatis nihil concluditur, non eſſe ſimpliciter & vniuerſaliter veram, ſcilicet quando medium eſt negatiuum aut infinitum, atque adeo quando ſunt tres termini non æquiuoci. Et reuerà omnes philoſophi agnoſcunt à genere ad ſpeciem valere conſequentiam negatiuè, vt patet in ſyllogiſmo allato, quod non eſt animal non eſt homo, ſed lapis non eſt animal, ergo lapis non eſt homo: Item omnes philoſophi agnoſcunt ab vno reciproco ad aliud, & ab antecedente neceſſario ad conſequens neceſſarium valere conſequentiam, non tantùm affirmatiuè, ſed etiam negatiuè, vt patet in his ſyllogiſmis, quod non eſt homo non eſt ratio-

nale, sed asinus non est homo; Ergo asinus non est rationalis: Item qui non credit in Deum non saluabitur, sed probi non credunt in Deum, ergo reprobi non saluabuntur.

20. Existimo tertiò, *Syllogismos negatiuos, habentes medium negatiuum aut infinitum, non esse merè negatiuos*; quia minor quæ videtur esse negata, & quæ extra syllogysmum diceretur negata est verè & realiter affirmata: Nam illa propositio syllogistica est affirmata in qua medium affirmatur de altero extremorum, aut alterum extremorum de medio; & è contra, illa propositio est negata, in qua medium negatur de altero extremorum, aut alterum extremornm de medio; sed in minori syllogismorum habentium medium negatiuum aut infinitum, medium non negatur, sed affirmatur de minori extremo, verbi gratià quòd non est animal non est homo, sed lapis non est animal, ergo lapis non est homo; vbi medium, scilicet *non animal*, affirmatur & prædicatur de minori extremo, scilicet de lapide in minori; quod clariùs patet si propositiones negatæ resoluantur in affirmatas infinitas hoc pacto, quòd est non animal est non homo, sed lapis est non animal, ergo lapis est non homo.

21. Existimo quartò, quòd *quando medium est negatiuum aut infinitum, major contineat implicitè suam conuersam per contrapositionem*, putà hæc major quod non est animal non est homo, continet implicitè suam conuersam per contrapositionem, scilicet omnis homo est animal, vel quod est homo est animal, vnde ex syllogismo negatiuo supià allato potest fieri hic prosyllogysmus in secunda figura, quod non est animal non est homo, ergo omnis homo est animal, sed lapis non est animal, ergo lapis non est homo.

22. Existimo quintò, *Ex negatis etiam semper rectè concludi, quando medium positiuum & finitum signo exclusiuo notatur, modo signum exclusiuum nulla afficiatur negatione*, vt patet in his syllogismis; solus homo est rationalis, sed asinus non est homo, ergo asinus non est rationalis: Item solus Deus est adorandus, sed imagines Dei non sunt Deus, ergo imagines Dei non sunt adorandæ: Item solus ille in quem creditur est inuocandus, *quomodo enim* inquit Apostolus *inuocabunt eum in quem non crediderunt*, sed in sanctos defunctos non creditur, ergo Sancti defuncti non sunt inuocandi. Nec quis existimet majorem horum syllogismorum esse realiter affirmatiuam, licet videatur esse talis, nam *solus, vnicus* & alia similia signa exclusiua, implicitè dicunt & important negationem, putà solus homo est rationalis, æquiualet isti: Nihil est rationale præter hominem, vel isti, quod non est homo non est rationale, vel istis duabus, homo est rationale, & nihil aliud est rationale: Plura de his Exclusiuis vide in sequentibus dum de enunciatione.

23. Concludendum igitur ex negatis *interdum rectè concludi*, inter-

interdum verò non rectè concludi; atque adeo quærendam esse rationem hujus diuersitatis, quæ certè nulla alia esse potest, nisi quòd ex negatis rectè concluditur quando sunt tantùm tres termini non æquiuoci, non rectè verò concluditur quando sunt quatuor termini. Vnde patet hanc regulam esse superfluam.

24. Quarta regula generalis talis est. *Ex particularibus nihil concluditur*, secundum communem Philosophorum sententiam, idest ex propositionibus particularibus, non potest inferri recta conclusio, & ideo si vtraque propositio: scilicet major & minor, sit particularis syllogismus erit vitiosus, vnde hic syllogismus non valet, *aliquod animal est brutum, sed aliquod animal est homo, ergo aliquis homo est brutum.* Dicitur *ex particularibus*, nam ex singularibus rectè concluditur vt Alexander vicit Darium, sed Alexander est Rex, ergo aliquis Rex vicit Darium; & talis syllogismus dicitur expositorius. Singulare autem & particulare differunt hoc loco, quòd *singulare* sit indiuiduum signatum, *particulare* verò sit indiuiduum vagum. Ratio autem cur ex singularibus rectè concludatur, non autem ex particularibus est, quòd terminus singularis non sit æquiuocus, sed sumatur eodem modo in vtraque propositione, terminus verò particularis sit æquiuocus, & aliter sumatur in majori quàm in minori, atque adeo sint quatuor termini, vt patet exemplo allato, vbi animal sumitur in majori provt identificatur cum bruto, in minori verò provt identificatur cum homine: quòd si terminus particularis pro eodem sumatur in vtraque propositione erunt tantùm tres termini, & syllogismus erit bonus, vt aliquod animal est rationale, sed aliquod animal est homo, Ergo aliquis homo est rationalis: Et si terminus singularis non sumatur pro eodem in vtraque propositione erunt quatuor termini, & syllogismus erit vitiosus, vt *Ioannes fuit præcursor* CHRISTI, *sed Ioannes fuit Apostolus, Ergo aliquis Apostolus fuit præcursor* CHRISTI, vbi *Ioannes* non sumitur pro eodem in vtraque propositione, sed in majori sumitur pro *Ioanne Baptista*, in minori verò pro *Ioanne Euangelista:* Concludendum igitur ex particularibus & singularibus interdum rectè concludi, interdum verò non rectè concludi; & ratio hujus diuersitatis nulla alia assignari potest, nisi quò ex particularibus & singularibus semper rectè concluditur, quando sunt tantùm tres termini non æquiuoci, non rectè verò concluditur quando sunt quatuor termini, aut vnus ex tribus terminis est æquiuocus; atque adeo hæc regula videtur superflua. Nec dicas *ejusmodi syllogismos constantes propositionibus particularibus tres terminos duntaxat non æquiuocos complectentibus, concludere tantùm vi materiæ, non autem vi formæ:* nam omnis forma syllogistica, atque adeo omnes regulæ syllogismorum, necnon reliqua præcepta Logica, nituntur experientiâ

reflexâ, vt supra dictum; cum igitur obseruatum sit omnes syllogismos constantes propositionibus particularibus tres tantùm terminos non æquiuocos complectentibus, semper rectè concludere & rectitudine materiæ & rectitudine formæ; clarum est hanc regulam non esse simpliciter & vniuersaliter veram, scilicet *ex particularibus nihil concluditur*, cum semper vera inferatur conclusio, si sint tantùm in iis tres termini non æquiuoci.

25. Quinta regula generalis concipitur his verbis, *Conclusio semper sequitur deteriorem partem*, id est ignobiliorem propositionem: propositio autem particularis est ignobilior vniuersali, cum *aliquis* sit minùs quàm omnes, & propositio negans est ignobilior affirmante, cum nobilius sit *esse* quod dicitur ab affirmante, quam *non esse* quod dicitur à negante: Si igitur propositiones sint particulares, vel altera tantùm, conclusio erit particularis: Si verò propositiones sint negatiuæ, aut altera tantùm, conclusio erit negatiua. Ratio hujus regulæ communiter hæc afferri solet, scilicet quod causa non potest esse deterior suo effectu, cum quidquid habet effectus, id habeat à suis causis; at propositiones seu præmissæ sunt causa conclusionis, atque adeo si aliqua debilitas reperiatur in præmissis, debet etiam esse in conclusione & transire in eam, veluti morbus hæreditarius transit ad posteros. Quidam existimant regulam esse tantùm veram de quantitate & qualitate propositionum, idest de vniuersalitate & particularitate, de affirmatione & negatione earum, non autem de veritate & falsitate, de necessitate & contingentia, licet enim (inquiunt) falsitas sit ignobilior veritate, & contingentia sit ignobilior necessitate: Attamen ex falso potest sequi verum & ex contingenti necessarium: at ego existimo regulam esse vniuersaliter veram, nec ex falso sequi verum, nec ex contingenti necessarium, nec ex incerto certum, nec ex ineuidenti euidens, saltem ratione consequentiæ, licet possit fortè sequi ratione consequentis, quod probandum est hoc pacto.

26. Sexta regula generalis hæc esto. *Ex vero nonnisi verum concluditur, modò syllogismus sit in forma*, idest ex veris propositionibus secundum formam syllogisticam dispositis concludi tantùm verum & non posse concludi falsum. Dixi modò syllogismus sit in forma, si enim non sit in forma, & violetur dispositio recta propositionum, adeo vt syllogismus peccet contra regulas syllogismorum, potest ex veris falsum concludi: verbi gratiâ *homo est animal, sed asinus non est homo, Ergo asinus non est animal*, vbi minor est negans in prima figura contra regulas, vel potiùs vbi sunt duo media atque adeo quatuor termini contra regulas, scilicet *homo* in majori & *non homo* in minori, nam asinus non est homo & asinus est non homo sunt idem. Ad hanc regulam refertur ista, *ex necessario nonnisi necessarium concluditur*, quia propositiones necessariæ sunt veræ, contingentes verò sicut possunt esse veræ, possunt etiam esse falsæ; Si ergo ex necessario sequeretur contingens, posset ex necessario tanquam vero sequi contingens tanquam falsum, at ex veris nonnisi verum

rum concluditur vt suprà. Ideo falsum non rectè infertur nisi ex falso, si ex vero nonnisi verum colligi possit.

27. Objiciet aliquis *ex necessario sequi contingens, atque adeo ex vero posse sequi falsum*, vt probatur his tribus argumentis: Primò omnis homo est animal, Ergo aliquod animal est homo: secundò omne album est coloratum, sed omne album est corpus, Ergo aliquod corpus est coloratum. Tertiò omne currens mouetur, sed omne currens est corpus, Ergo aliquod corpus mouetur. In his autem argumentis antecedens est necessarium, & consequens aut conclusio est contingens.

27. Respondetur, quòd si prædicata, scilicet *animal* & *corpus*, sumantur eodem modo in conclusione quo in antecedente aut in minori, conclusiones erunt necessariæ; Nam *animal* in antecedente sumitur pro animali identificato cum homine, scilicet pro animali rationali, aliquod autem animal, scilicet animal rationale est necessariò homo. Item, *corpus* in minori secundi argumenti sumitur pro corpore identificato cum albo, at aliquod corpus scilicet corpus identificatum cum albo, est necessariò coloratum: Denique *corpus* in minori tertij syllogismi sumitur pro corpore identificato cum currente, si enim non esset idem cum eo deberet negari de ipso; At aliquod corpus, scilicet corpus identificatum cum currente, necessariò mouetur: Quod si prædicata, scilicet animal & corpus, diuerso modo sumantur, erunt quatuor termini, & argumenta erunt vitiosa.

29. Septima regula generalis talis est, *Ex falso potest sequi verum, tàm in repugnantibus, quàm in contingentibus ratione consequentis:* Tribus autem modis ex falso verum sequitur in repugnantibus: Primò, cùm ex antecedente falso affirmatiuo, sequitur consequens affirmatiuum verum; vt homo est asinus: Ergo homo est animal. Secundò, cùm ex antecedente falso negatiuo, sequitur consequens negatiuum verum, vt homo non est animal, Ergo homo non est asinus. Tertiò, cùm ex antecedente affirmatiuo falso, sequitur consequens negatiuum verum, vt homo est asinus, Ergo homo non est equus. Tribus etiam modis ex falso verum sequi potest in contingentibus, primò cum ex antecedente affirmatiuo falso, sequitur consequens affirmatiuum verum, vt Petrus currit, Ergo mouetur, supposito quod tantùm ambulet; Secundò, cum ex antecedente affirmatiuo falso sequitur consequens negatiuum verum, vt Petrus mouetur lentè, Ergo non currit, supposito quod sedeat; Tertiò, cùm ex antecedente negatiuo falso, sequitur consequens negatiuum verum, vt Petrus non mouetur, Ergo non currit, supposito quòd tantùm ambulet aut moueatur lentè.

30. Dixi *ratione consequentis* non autem ratione consequentiæ, id est consequens quod inferri potest ex antecedente falso absolutè sumptum est verum, non tamen vi consequentiæ, quod sic ostenditur in repugnantibus: Primò, quando ex antecedente affirmatiuo falso infertur conse-

quens affirmatiuum verum, putà homo est asinus, Ergo homo est animal, consequens est tantum verùm ratione consequentis, ideſt ratione connexionis aut identitatis animalis cum homine, non autem ratione consequentiæ ſeu vi conſequentię, quia prædicatum conſequentis ſcilicet animal quod ſequitur ex prædicato antecedentis, ſcilicet ex aſino, eſt animal irrationale & aſininum quod non ineſt homini atque adeo conſequens eſt falſum, ſcilicet, Ergo homo eſt animal, intelligendo animal irrationale & aſininum, idque clarè patebit proponendo ſyllogyſmum integrum hoc pacto, aſinus eſt animal, ſed homo eſt aſinus, Ergo homo eſt animal; vbi concluſio eſt falſa ſi animal ſumatur eodem modo in concluſione quo in majori; ſcilicet pro animali identificato cum aſino, ſi verò aliter ſumatur, erunt quatuor termini, & ſic nulla erit conſequentia, & ſyllogiſmus non erit legitimus: Secundò quando ex antecedente negatiuo falſo infertur conſequens negatiuum verum, putà homo non eſt animal, Ergo homo non eſt aſinus; conſequens eſt tantùm verum ratione conſequentis, non autem ratione conſequentiæ, vt clarè patet, proponendo ſyllogiſmum integrum hoc pacto; non animal eſt non aſinus, ſed homo eſt non animal, Ergo homo eſt non aſinus, vbi *non animal* in majori ſumitur prout identificatum cum aſino, in minori verò prout identificatum cum homine, & ſic ſunt quatuor termini, atque adeo conſequentia non eſt bona, & ſyllogiſmus eſt vitioſus; & ſi ſumatur eodem modo in majori & in minori, minor eſt vera cum homo ſit non animal identificatum cum non aſino, ſicque ex falſo non ſequitur verum: Tertiò, quando ex antecedente affirmatiuo falſo, infertur conſequens negatiuum verum, vt homo eſt aſinus, Ergo homo non eſt equus, conſequens eſt tantùm verum ratione conſequentis, ideſt ratione terminorum verè repugnantium, non autem ratione conſequentiæ, ſeu vi conſequentiæ; quia prædicatum conſequentis, ſcilicet non equus, quod ſequitur ex prædicato antecedentis, ſcilicet ex aſino, eſt non equus, non in communi, cum non ſit omne id quod non eſt equus, ſed eſt non equus, intelligendo non equum identificatum cum aſino. Idque clarè patebit proponendo ſyllogiſmum integrum hoc pacto, aſinus eſt non equus, ſed homo eſt aſinus, ergo homo eſt non equus, vbi concluſio eſt falſa, ſi *non equus* ſumatur eodem modo in concluſione quo in majori, ſcilicet pro non equo identificato cum aſino, ſi verò aliter ſumatur, erunt quatuor termini, & ſyllogiſmus non erit legitimus.

31. Confirmatur, ex eo quòd in prædictis argumentis, antecedens eſt impoſſibile, atque adeo purùm nihil, quod autem eſt purum nihil non eſt propoſitio, & per conſequens non eſt antecedens, ex puro autem nihilo nihil ſequi poteſt, atque adeò nec verum, nec falſum, ſaltem vi conſequentiæ. Adde quod in prædictis argumentis terminus aliter ſumitur in antecedente quàm in conſequente, nam in antecedente eſt

ens

ens fictum & chimæricum, putà homo est asinus, homo non est animal, in consequente verò est ens reale, putà homo est animal, homo non est asinus, homo non est equus.

32. Id ipsum probatur in contingentibus, scilicet quod ex antecedente falso sequatur verum ratione consequentis tantùm, non autem ratione consequentiæ hoc pacto. Primò, cum ex antecedente affirmatiuo falso, infertur consequens affirmatiuum verum, putà Petrus currit, Ergo Petrus mouetur, supposito quod tantùm ambulet; quod patebit proponendo syllogismum integrum hoc pacto; qui currit mouetur, sed Petrus currit, Ergo Petrus mouetur, vbi *τὸ mouetur* in maiori sumitur provt identificatur cum *τῷ currit*, si enim non essent idem deberent negari non affirmari de se inuicem, sic autem conclusio est falsa non minùs quam minor; si verò aliter sumatur erunt quatuor termini, & sic nulla erit consequentia, & syllogismus erit vitiosus. Secundò, cum ex antecedente affirmatiuo falso, sequitur consequens negatiuum verum, putà Petrus mouetur lentè, Ergo Petrus non currit, supposito quod sedeat, quod patebit proponendo syllogismum integrum hoc pacto, qui mouetur lentè non currit, sed Petrus mouetur lentè, Ergo Petrus non currit; vbi *τὸ non currit* idest *non currens*, identificatur cum *τῷ* mouetur lentè, si enim non essent idem, deberent negari de se inuicem, & dicendum esset, qui mouetur lentè non est non currens, atque adeò *τὸ non currens* in maiori, non sumitur in communi pro omni non currente sed sumitur in particulari pro non currente, restricto & identificato eo cum qui mouetur lentè, si igitur *τὸ non currit* sumitur eodem modo in conclusione quo in maiori, conclusio erit falsa, & sic ex falso non sequetur verum, si verò aliter sumatur, erunt quatuor termini, nulla erit consequentia, & syllogismus erit vitiosus. Tertiò, cum ex antecedente negatiuo falso, infertur consequens negatiuum verum putà Petrus non mouetur, ergo Petrus non currit, supposito quòd tantùm ambulet, quod patebit proponendo syllogismum integrum hoc pacto, qui non mouetur non currit, sed Petrus non mouetur, Ergo Petrus non currit; vbi *τὸ non mouetur* & *τὸ non currit* in maiori sunt idem, idest quod mouetur est non currens, si igitur *τὸ non mouetur* sumatur eodem modo in minori ac in maiori, minor est vera, & sic ex falso non sequitur verùm, si verò aliter sumatur, sunt quatuor termini, nulla consequentia, & syllogismus vitiosus.

33. Denique, id ipsum probatur, tam in contingentibus quàm in repugnantibus, ex regula quinta generali, conclusio sequitur deteriorem partem idest ignobiliorem propositionem: cum igitur falsa propositio sit ignobilior vera, certè si in antecedente sit aliqua propositio falsa, conclusio debet esse falsa. Non tamen negandum est ex falsis suppositis tanquam veris, sequi posse verum, etiam ratione consequentiæ vt patebit sequenti quæstione.

34. Hic quæri solet, *an liceat aliquando argumentari per impos-*

ſibile, ideſt *ex ſuppoſitione impoſſibili*. Reſpondent nonnulli, ex ſuppoſitione impoſſibili non licere argumentari, quia cum ſuppoſitio impoſſibilis ſit falſa, & ex falſo non poſſit ſequi verum vi conſequentiæ, vt ſuprà; certè ex impoſſibili non licet argumentari, ex quo ſcilicet nihil ſequitur vi conſequentiæ: Verùm licèt ſuppoſitio impoſſibilis ſit falſa, ideſt per eam ſupponatur quod falſum eſt, & licet ex falſo non ſequatur verum vi conſequentiæ, ac denique licet non poſſit quis argumentari ex eo ex quo vi conſequentiæ verum non concluditur: Attamen ſi in diſputando res eò deducta ſit, vt adverſarius non admittat certam aliquam propoſitionem, debet ejus contradictoriam admittere, cum duorum contradictoriorum vnum ſemper ſit verum; ex iſta autem contradictoria tanquam ex principio conceſſo, deducitur aliquid quod manifeſtè falſum eſt, quod cum admitti non poſſit, neque id vnde ſequitur admitti poteſt, igitur ejus contradictorium eſt verum, quod tamen antea negatum fuerat: Quare ex impoſſibili, quod eſt purum nihil, nihil ſequitur, atque adeo neque verum neque falſum ſequitur, ſed illo impoſſibili vtimur ac ſi verum eſſet, cum ab aduerſario affirmetur, & tantùm euincimus illud impoſſibile quod admittitur ab aduerſario tanquam verum aut poſſibile, eſſe impoſſibile, alioquin ex eo ſequeretur abſurdum, quod nos non dicimus ſequi, ſed ſequeretur ſecundum aduerſarium, quod conſequens cum admittere non poſſit, etiam ex eo ſequi negare debet, & dicere antecedens admiſſum ab aduerſario eſſe falſum, & per conſequens contradictorium eſſe verum; quod eſt noſtra aſſertio, verbi gratiâ formo hanc propoſitionem, Chriſtus non eſt ſimul in cœlo & in hoſtia, aduerſarius verò non eam admittit, ſed negat, & ideo debet ejus contradictoriam admittere, ſc. corpus Chriſti eſt ſimul in cœlo & in hoſtia, ex iſta contradictoria conceſſa & admiſſa, infero hoc abſurdum, ſc. corpus Chriſti diſtare à ſeipſo, cum id quod eſt in cœlo diſtet ab eo quod eſt in terra, videlicet in hoſtia, niſi ſit in ſpatio intermedio; hoc abſurdum ſcilicet quòd corpus Chriſti diſtet à ſeipſo, non admittitur ab aduerſario; Ergo nec id vnde ſequitur hoc abſurdum debet admitti ab aduerſario, ſcilicet quod corpus Chriſti ſit ſimul in cœlo & in hoſtia, & per conſequens ejus contradictorium admitti debet, ſc. quòd corpus Chriſti non ſit ſimul in cœlo & in hoſtia, quod eſt mea aſſertio. Concludo igitur nos vti poſſe ſuppoſitione impoſſibili ad illius deſtructionem, dum aliquis ejuſmodi ſuppoſitionem impoſſibilem aſtruit, non verò ipsâ vti vt ex ea aliquid aliud concludamus.

35. Hic etiam quæri ſolet *An liceat argumentari ex poſſibili.* Ad quòd reſpondetur primò, nos poſſe argumentari ex poſſibili affirmatiuo, ad probandum attributum ejuſmodi poſſibile non repugnare eſſentiæ rei, verbi gratiâ poſſibile eſt hominem eſſe philoſophum; Ergo philoſophia aut eſſe philoſophum non repugnat eſſentiæ hominis. Reſpondetur ſecundò ex poſſibili negato nos poſſe argumentari ad probandum tale attributum quod negatur, non conuenire eſſentialiter & neceſſario rei, putà poſſibi-

le

le est hominem non esse philosophum, Ergo philosophia, aut philosophum esse, non conuenit essentialiter & necessariò homini: Respondetur tertiò, ex suppositione possibili nos posse argumentari ad probandum ea non esse absurda, quæ ex tali suppositione sequuntur, juxta illud *posito possibili nihil sequitur absurdi.*

36. Octaua regula generalis talis est, ***Non debet esse plus aut minus in conclusione quàm in præmissis***, quod debet sic explicari extrema in præmissis disposita debent poni in conclusione prout erant posita in præmissis, sine vlla additione aut detractione; si enim in conclusione aliquid extremis addatur, aut ab ijs detrahatur, erunt quatuor termini. Quare non valet hic syllogismus: ***Arma sunt reddenda Domino, sed ensis & hasta sunt arma, ergo ensis & hasta sunt reddenda Domino furioso:*** Nec etiam iste syllogismus valet, ***Arma non sunt reddenda domino furioso, sed ensis & hasta sunt arma, Ergo ensis & hasta non sunt reddenda Domino.*** Nam in priori syllogismo plus, in posteriori verò minùs ponitur in conclusione quàm in præmissis, atque adeo sunt quatuor termini, & ideo hæc regula videtur superflua, & ad secundam reuocanda.

37. Nona regula generalis est ejusmodi: ***Medium bis ponitur ante conclusionem***, scilicet ***semel in majori cum majori extremo, & semel in minori cum minori extremo, nunquam verò ingreditur conclusionem.*** Quod autem medium bis sit ponendum ante conclusionem, probatur ex eo quòd medium sit causa conjungendi aut disjungendi extrema in vtraque præmissa. Quòd verò medium nunquam ingrediatur conclusionem, patet ex eo quòd conclusio sit aliud à præmissis, atque adeo distinguatur ab illis: At si medium ingrederetur conclusionem, conclusio non distingueretur ab altera præmissarum; si enim in conclusione medium jungeretur cum minori extremo non distingueretur à minori propositione, si verò jungeretur cum majori extremo, conclusio non differret à majori; medium igitur non ingreditur conclusionem juxta illud, ***Lex generalis erit medium concludere nescit.***

38. Decima regula generalis sic se habet: ***Medium debet saltem semel distribui, modò prædicatum de medio non sit collectiuum.*** Nam in vniuersali negata subjectum & prædicatum debent distribui, in particulari affirmata neutrum, in vniuersali affirmata subjectum non prædicatum, modò prædicatum non sit collectiuum, in particulari negata prædicatum non subjectum: at in prima & tertia figura medium est subjectum propositionis vniuersalis affirmatæ vel negatæ: In secunda verò medium est prædicatum propositionis negatæ. Dixi nisi prædicatum sit collectiuum, vt omnes Apostoli sunt duodecim, omnes milites sunt exercitus &c.

39. Vndecima regula generalis hæc est, ***conclusio negari non debet, si syllogismus sit in forma, & præmissæ sint veræ:*** Nam ex vero nonnisi verum sequitur, id est ex præmissis veris rectè dispositis non potest sequi conclusio falsa, vt suprà probatum est.

O

40. Duodecima regula generalis sic se habet. *Syllogismus concludens vi formæ, valet in quauis materia, seruata eadem terminorum dispositione*, vnde hic syllogismus non concludit vi formæ, sed tantùm ratione materiæ; Nullus equus est rationalis, sed nullus asinus est equus, Ergo nullus asinus est rationalis: quia similis syllogismus in alia materia, seu in alio subjecto, potest falsò concludere, vt nullus equus est rationalis, sed nullus homo est equus, Ergo nullus homo est rationalis.

41. Decima tertia regula generalis talis est. *A tertio adjecto ad secundum non licet argumentari:* primò, in enunciationibus negatis, non enim sequitur Petrus non est doctus, Ergo Petrus non est. 2. in enunciationibus affirmatis in quibus tertium adjectum est destructiuum secundi, idest quando prædicatum est destructiuum existentiæ subjecti, non enim sequitur Adamus est mortuus, Ergo Adamus est 3. In Enunciationibus affirmatis essentialibus aut necessarijs; non enim sequitur, Homo est rationalis, Ergo homo est; quia enunciationes affirmatæ essentiales & necessariæ, sunt propositiones æternæ veritatis, idest in quibus subjectum & prædicatum ab æterno sunt idem, seu potiùs non differunt, idemque semper significatur per subjectum, vt probatum est dum de vniuersali in communi. 4. In Enunciationibus affirmatis inessentialibus aut contingentibus in quibus prædicatum est extrinsecè denominatiuum denominatione desumpta ab actibus intellectus aut voluntatis, phantasiæ aut appetitus, non enim sequitur Petrus est cognitus aut amatus à Deo, Ergo Petrus est: Quare licet tantùm argumentari à tertio adjecto ad secundum in enunciationibus affirmatis inessentialibus & contingentibus, in quibus prædicatum est intrinsecè denominatiuum vt Petrus est doctus, Ergo Petrus est: Paulus est cæcus, Ergo Paulus est: vel si sit extrinsecè denominatiuum, denominatio desumitur ab actione sensus externi, vt Petrus videtur, Ergo Petrus est, sonus auditur, ergo sonus est.

42. Decima quarta generalis regula est ejusmodi. *Interdum licet argumentari à diuisis ad conjuncta, & à conjunctis ad diuisa, interdùm verò non licet:* non licet argumentari, primò, In enunciatione composita, cujus extrema sunt composita ex partibus essentialibus physicis, non enim sequitur, homo est anima & corpus simul, ergo homo est anima, nec etiam sequitur anima & corpus simul sunt homo, Ergo anima est homo. Secundò, In Enunciatione composita cujus extrema sunt composita ex partibus integralibus, non enim sequitur tectum, parietes & fundamentum simul sunt domus, Ergo tectum est domus: nec etiam sequitur, domus est tectum parietes & fundamentum simul, Ergo domus est tectū. Tertiò, In Enunciatione composita, cujus extrema sunt composita ex partibus collectiuis non enim sequitur, Duces & milites sunt exercitus, Ergo duces sunt exercitus; nec etiā sequitur, exercitus est duces & milites,

Ergo

Ergo exercitus eſt duces. Quartò, quando in ſyllogiſmo ſunt quatuor termini, aut aliquis terminus æquiuocus, qui aliter ſumatur in vna parte ſyllogiſmi quàm in altera, vt patet his exemplis. Duo & tria ſunt & par impar, ſed quinque ſunt duo & tria, Ergo quinque ſunt par & impar: Nam in majori duo & tria ſumuntur diuiſim, in minori verò ſumuntur conjunctim. Item Apelles eſt bonus pictor: Ergo Apelles eſt bonus: Nam in antecedente bonus ſumitur pro perito, in conſequente verò ſumitur pro viro probo: Item hic canis eſt pater, hic canis eſt tuus: Ergo hic canis eſt pater tuus; nam in prima propoſitione *Pater* ſumitur pro patre alterius canis, & in concluſione pro patre hominis, in ſecunda verò propoſitione *tuus* ſumitur pro re poſſeſſa ab homine, & in concluſione pro homine à cane producto. Licet autem argumentari à conjunctis ad diuiſa: Primò, In Enunciatione compoſita, cujus prædicatum eſt compoſitum ex ſubſtantivo & adjectivo, rectè enim ſequitur homo eſt animal rationale, Ergo homo eſt animal, Ergo homo eſt rationalis. Item Petrus eſt homo doctus, Ergo Petrus eſt homo, Ergo Petrus eſt doctus: Imò præcipua intentio enunciantis eſt attribuere adjectiuum ſubjecto, putà qui enunciat hominem eſſe animal rationale, intendit potiſſimùm affirmare hominem eſſe rationalem, & qui enunciat Petrum eſſe hominem doctum, intendit potiſſimùm affirmare Petrum eſſe doctum. Secundò, In Enunciatione compoſita, cujus ſubjectum eſt compoſitum ex ſubſtantivo & adjectivo valet conſequentia à conjunctis ad diuiſa, ſecundum illam partem ſubjecti ratione cujus prædicatum conuenit toti ſubjecto, non autem, ſecundum illam partem ratione cujus prædicatum non conuenit toti ſubjecto; rectè enim ſequitur, Animal riſibile eſt homo, Ergo riſibile eſt homo, non autem rectè ſequitur Animal riſibile eſt homo, Ergo animal eſt homo, quia prædicatum, ſcilicet homo, conuenit toti ſubjecto, ſcilicet animali riſibili, ratione riſibilis, non autem ratione animalis.

43. Decima quinta regula generalis hæc eſt. *Non licet argumentari à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid, nec à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter,* *Dictum ſimpliciter* eſt cujus prædicatum conuenit ſubjecto ſine vlla limitatione, vt homo eſt rationalis. Dictum vero ſecundum quid eſt cujus prædicatum conuenit ſubjecto, cum aliqua limitatione, putà certo reſpectu, ſecundum partem, aliquo tempore &c. Non valent igitur hæc ſophiſmata à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid, vinum eſt bonum, Ergo vinum eſt bonum febricitanti, homo eſt mortalis, Ergo homo eſt mortalis ſecundum animam; arma ſunt reddenda domino, Ergo arma ſunt reddenda domino furioſo; Non valent etiam hæc ſophiſmata à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, Æthiops eſt albus ſecundum dentes, Ergo Æthiops eſt albus; homo eſt immortalis ſecundum animam, Ergo homo eſt immortalis, Vinum eſt noxium febricitanti, Ergo vinum eſt noxium.

44. Decima sexta regula generalis sic se habet. *In propositionibus syllogisticis seruetur idem genus prædicationis*, idest non valet consequentia mutato genere prædicationis, scilicet vsitato in inusitatum, proprio in figuratum, substantiali in accidentale &c. vt patet his exemplis. Corpus Christi pependit in cruce, sed panis Eucharistiæ est corpus Christi, cum de pane Christus dixerit *hoc est corpus meum*, Ergo panis Eucharistiæ pependit in cruce: Nam major est vera de eo quod est realiter & propriè corpus Christi, non autem de eo quod est figuratè tantùm corpus Christi, at panis Eucharistiæ est tantùm figuratè corpus Christi: Item quod emisti comedisti, sed carnem crudam emisti; Ergo carnem crudam comedisti: Major enim intelligitur de substantia carnis tantùm, minor autem de substantia carnis qualitate cruditatis affecta.

45. Decima septima regula generalis hæc est: *Interdum licet argumentari à collectiuo ad distributiuum, & à distributiuo ad collectiuum; interdum verò non.* Tunc licet argumentari à sensu collectiuo ad distributiuum & à distributiuo ad collectiuum, quando prędicatum conuenit omnibus independenter à collectione & distributione, quod potissimùm contingit quando prędicatum conuenit subjecto essentialiter, aut necessariò & inseparabiliter; verbi gratiâ omnes homines collectiuè sunt rationales, ergo omnes homines distributiuè sunt rationales; & omnes homines distributiuè sunt rationales, ergo omnes homines collectiuè sunt rationales, quia rationale conuenit homini necessariò & essentialiter: At quando prædicatum est accidentale aut contingens, distinguendum est; vel enim prædicatum est collectiuum, vel non est collectiuum; item vel dicit aliquam extensionem numeri, loci, aut temporis, vel non dicit: Si nec est collectiuum, nec dicit talem extensionem, tunc licet argumentari à collectiuo ad distributiuum, & à distributiuo ad collectiuum; verbi gratiâ omnes homines distributiuè sunt albi, ergo omnes homines collectiuè sunt albi; at non licet argumentari si prædicatum sit collectiuum, putà non valet hęc consequentia, omnes milites collectiuè sunt exercitus, ergo omnes milites distributiuè sunt exercitus; non etiam licet argumentari quando prædicatum denotat aliquam extensionem numeri, loci aut temporis singulis non conuenientem, verbi gratiâ hæc consequentia non valet, omnes Apostoli collectiuè sunt duodecim, Ergo omnes Apostoli distributiuè sunt duodecim, quia agitur de extensione numeri: Item hæc consequentia non valet, omnes homines collectiuè occupant plusquam decem milliaria, Ergo omnes homines distributiuè, idest singuli homines, occupant plusquàm decem milliaria, quia agitur de extensione loci; denique hæc consequentia non valet, omnes homines collectiuè durarunt plus quam quinque millibus annorum, ergo omnes homines distributiuè sumti durarunt plusquàm quinque millibus annorum, quia agitur de extensione temporis.

46. Decima octaua regula generalis hæc est: *Ex finita negata rectè infertur infinita affirmata, & ex infinita affirmata rectè infertur finita negata.*

gata; verbi gratiâ ex hac propositione finita negata, homo non est lapis, rectè infertur ista propositio affirmata, homo est non lapis,& ex hac infinita affirmata;homo est non lapis,rectè infertur hæc finita negata, homo non est lapis. Verùm hæ limitationes sunt adhibendæ 1. Enunciatio debet esse infinita affirmata ex parte prædicati, non autem ex parte subjecti; quia aliqua infinita affirmata ex parte subjecti est vera, & finita negata falsa,& ideo vna non rectè infertur ex altera;verbi gratia aliquod non animal est corpus; ergo aliquod animal non est corpus; prior vera est in lapide,qui est non animal, & tamen est corpus; posterior est semper falsa, cum omne animal sit corpus.2.Nomine prædicati, intelligendum totum prædicatum, idest vt ex finita negata rectè inferatur infinita affirmata, & vice versa,negatio debet præponi toti prædicato,non autem parti aut adjuncto ejus duntaxat, alioquin vna poterit esse vera & altera falsa,atque adeo vna non rectè infertur ex altera, vt patet in his duabus Enunciationibus, Adamus potuit non peccare, Adamus non potuit peccare; nam prior est vera,& posterior falsa;in his enim propositionibus verum prædicatum est potens, siquidem potuit & fuit potens sunt vnum & idem; at in propositione allata infinita, negatio sequitur verum prædicatum, scilicet potuit aut fuit potens, atque adeo non est propriè infinita; vt autem fiat infinita sic est formanda,Adamus fuit non potens peccare.3. Subjectum propositionis non debet affici particulâ reduplicatiuâ quatenus, per se &c. alioquin finita negata poterit esse vera, & infinita affirmata falsa,putà hæc Enunciatio est vera, homo quatenus homo non est albus; hæc verò est falsa,homo quatenus homo est non albus;nam homo quatenus homo nec est albus, nec est non albus cum homo ex naturâ suâ nec admittat nec respuat albedinem, sed indifferenter ad eam se habeat.

DE REGVLIS SPECIALIBVS SYLLOGISMORVM.

47. Regulæ *speciales syllogismorum* præcipuæ hæ sunt. Prima talis est: *In prima figura major debet esse vniuersalis, non particularis*, saltem juxta communem Philosophorum sententiam; vnde hic syllogismus est vitiosus, *omne animal non est rationale, sed homo est animal; ergo homo non est rationalis*: quia (inquam) major non est vniuersalis, sed particularis cum *omnis non, non omnis* & *aliquis non*, æquipolleant. Verùm cum syllogismi primæ figuræ ex majori particulari interdum sint recti,puta aliquod animal est rationale,sed homo est animal,ergo homo est rationalis, quærenda est ratio, cur interdum syllogismi primæ figuræ ex majori particulari sint recti; Interdum verò sint vitiosi; & ratio non potest alia afferri, nisi quòd in rectis sint tantùm tres termini, in vitiosis

verò sint quatuor termini : Quare in syllogismo vitioso suprà allato *animal* sumitur in majori pro animali non identificato cum rationali, in minori verò pro animali identificato cum rationali, scilicet cum homine.

48. Secunda regula est ejusmodi : *In prima figura minor debet esse affirmata* juxta communem Philosophorum sententiam ; vnde hic syllogismus est vitiosus, *homo est animal, sed asinus non est homo, ergo asinus non est animal*, item hic syllogismus non valet, *omne rationale est animal, sed solus homo est rationalis, ergo solus homo est animal*; quia minor est negata in prima figura : siquidem solus homo est rationalis, nullum ens est rationale præter hominem, & quod non est homo non est rationale, æquipollent : Item hic syllogismus non valet, *quicquid est in hac domo est in hac vrbe, sed vnicus puteus est in hac domo, ergo vnicus puteus est in hac vrbe*; quia minor est negata in prima figura, siquidem vnicus puteus est in hac domo, & nullus puteus est in hac domo præter vnum, æquipollent. Verùm cum syllogismi primæ figuræ ex minori negata interdum sint recti, putà qui non credit in Deum damnabitur, sed reprobi non credunt in Deum, ergo reprobi damnabuntur; quærenda est ratio, cur tales syllogismi interdum sint recti, & interdum sint vitiosi ; & ratio alia afferri non potest, nisi quòd in rectis sint tantùm tres termini, in vitiosis verò sint quatuor termini, vt patet in syllogismis vitiosis allatis : Nam in primo syllogismo, *animal* aliter sumitur in minori, quàm in conclusione, siquidem in majori sumitur pro animali identificato cum homine, atque adeo non distribuitur; in conclusione verò distribuitur & sumitur pro nullo animali; adeo vt sensus sit, nulla animalitas conuenit asino ; quòd si animal sumatur eodem modo in conclusione quo in majori, scilicet pro animali non distributo, sed restricto ad hominem & identificato cum ipso, tunc conclusio est vera, cum asinus non sit ejusmodi animal : Adde quod in eo syllogismo sint duo media, atque adeo quatuor termini, siquidem in majori medium est *homo*, in minori verò *non homo*. In secundo syllogismo sunt etiam quatuor termini, cum *animal* in majori non distribuatur sed restringatur ad rationale & identificetur cum ipso; in conclusione verò distribuatur, & sumatur pro nullo animali, adeo vt sensus sit, nulla animalitas conuenit aliis ab homine ; quòd si eodem modo sumatur in conclusione quo in majori, conclusio erit vera ; solus enim homo est animal identificatum cum rationali : Adde quòd in eo syllogismo sunt duo media, siquidem in majori medium est *rationale*, in minori verò *non rationale* ; siquidem solus homo est rationalis, & omne ens præter hominem est non rationale, identificantur. Denique vt faciliùs respondeatur ad tertium syllogismum, & percipiantur quatuor termini, sic resoluendus est : Existens in hac domo est existens in hac vrbe: Sed vnicus puteus est existens in hac domo : Ergo vnicus puteus est existens in hac vrbe : In tali autem syllogismo, majus extremum scilicet, *existens in hac vrbe*, aliter sumitur in majori quàm in conclusione ; cum in majori non distri-

distribuatur, ideſt non ſumatur in communi pro omni aut quolibet exiſtente in hac vrbe, ſed ſumatur in particulari pro exiſtente in hac vrbe identificato cum exiſtente in hac domo, ſiquidem affirmatur de ipſo, & quæ affirmantur identificantur, quæ enim non ſunt idem de ſe inuicem negantur, at in concluſione *exiſtens in hac vrbe* diſtribuitur & ſumitur in communi: quòd ſi in concluſione eodem modo ſumatur quo in majori, concluſio erit vera, ideſt vnicus puteus eſt exiſtens in hac vrbe identificatus cum exiſtente in hac domo. Adde quòd in eo ſyllogiſmo ſint duo media; nam in majori medium eſt *exiſtens in hac domo*; in minori verò medium eſt *non exiſtens in hac domo*; ſiquidem vnicus puteus eſt exiſtens in hac domo, & omnis puteus præter vnum eſt non exiſtens in hac domo, ſunt idem.

49. Tertia regula ſic ſe habet vulgò: *Major in ſecunda figura debet eſſe vniuerſalis*, veluti in prima, de qua eodem modo philoſophandum eſt, ideſt ſyllogiſmus ex majori particulari in ſecunda figura ſicut in prima eſt vitioſus, ſi ſint quatuor termini; non eſt vitioſus, ſed rectus, ſi ſint tantùm tres termini non æquiuoci.

50. Quarta regula hæc ponitur communiter à philoſophis; *in ſecunda figura altera propoſitionum debet eſſe negans*, juxta illud vulgatum, *ex puris affirmantibus in ſecunda figura nihil concluditur*, vnde hic ſyllogiſmus non valet, *omnis aſinus eſt animal, ſed omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt aſinus*: Item hic ſyllogiſmus eſt vitioſus, *aſinus habet aures, ſed tu habes aures; Ergo tu es aſinus*; hi, inquam ſyllogiſmi creduntur vitioſi, quia vtraque propoſitio eſt affirmans. Verùm contrà dico regulas ſyllogiſmorum debere eſſe vniuerſaliter veras; hanc autem regulam, ex puris affirmantibus in ſecunda figura nihil concluditur, non eſſe vniuerſaliter veram, cùm multi fiant ſyllogiſmi recti in ſecunda figura ex puris affirmantibus, vt patet his exemplis; Omne rationale eſt riſibile, ſed omnis homo eſt riſibilis; ergo omnis homo eſt rationalis: Item omne brutum eſt animal, ſed omnis aſinus eſt animal, ergo omnis aſinus eſt brutum &c. falſum igitur eſt in ſecunda figura alteram propoſitionum per ſe & neceſſariò debere eſſe negantem; quod enim per ſe & neceſſariò alicui conuenit, ei ſemper conuenit, at multi dantur recti ſyllogiſmi ſecundæ figuræ conſtantes ex puris affirmantibus, vt patet exemplis ſuprà allatis. Quare aſſignanda eſt ratio diuerſitatis, cur ſcilicet ex puris affirmantibus in ſecunda figura interdum rectè, interdum malè concludatur, quæ certè non eſt alia niſi quod in rectis, ſint tantùm tres termini: In non rectis verò & vitioſis ſint quatuor termini. Dicendum igitur in duobus ſyllogiſmis vitioſis ſuprà allatis, eſſe duo media, atque adeo quatuor terminos; Nam in priori ſyllogiſmo, medium ſcilicet *animal*, aliter ſumitur in majori quàm in minori, cùm in majori ſumatur pro animali identificato cum aſino, in minori verò pro animali identificato cum homine, quod enim affirmatur de aliquo identificatur cum ipſo, & quæ non identificantur, de ſe inuicem negantur; in-

posteriori verò syllogismo, medium scilicet *habens aures* aliter sumitur in majori quam in minori, cùm in majori sumatur pro habente aures identificato cum asino, in minori verò pro habente aures tecum identificato; item dici potest aures in majori sumi pro auribus asininis, in minori pro auribus humanis.

51. Regulæ tertiæ figuræ his paucis verbis communiter exprimuntur, *In tertia figura major est libera, minor debet esse affirmata, & conclusio debet esse particularis*; major libera est, idest potest esse vniuersalis & particularis, potest esse affirmans & negans, vt patet percurrendo omnes modos tertiæ figuræ, in quibus major est interdum vniuersalis affirmans, vt in *Darapti* & *Datisi*; interdum vniuersalis negans, vt in *Felapton* & *Ferison*, interdum particularis affirmans, vt in *Disamis*; interdum verò particularis negans, vt in *Bocardo*. Minor debet esse affirmans veluti, in prima, de qua eodem modo philosophandum est, idest syllogismus ex minori negante in tertia figura sicuti in prima, est vitiosus, si sint quatuor termini, non est vitiosus, sed rectus, si sint tantùm tres termini non æquiuoci. Denique conclusionem in tertia figura debere esse particularem non vniuersalem statuunt philosophi communiter: Vnde hic syllogismus non valet, *Omnis homo est rationalis, sed omnis homo est animal, ergo omne animal est rationale*. Verùm licèt conclusio sit vniuersalis, syllogismus erit bonus, modò tres tantùm sint termini non æquiuoci: Syllogismus autem allatus est vitiosus, quia in eo sunt quatuor termini, eò quòd *animal* aliter sumatur in minori, quàm in conclusione: Nam in majori animal non distribuitur, sed sumitur pro animali identificato cum homine, cum verè affirmetur de ipso, quæ autem non identificantur negantur de se inuicem: In conclusione verò animal distribuitur, & sumitur in communi pro omni animali, tam rationali, quàm irrationali; Quòd si animal in conclusione sumatur eodem modo quo in minori, scilicet pro animali identificato cum homine, conclusio erit vera, & syllogismus rectus, siquidem omne animal identificatum cum homine est rationale:

52. *Duo tantùm sunt fundamenta omnium syllogismorum tam categoricorum quàm expositoriorum*: Primum tale est; *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, putà homo & animal rationale, sunt idem cum risibili; ergo sunt idem inter se, quo fundamento seu principio metaphysico, nituntur omnes syllogismi affirmati cujuscúnque figuræ, tam categorici, quàm expositorij; ideò enim majus extremum affirmatur de minori extremo, & identificatur cum ipso in conclusione, quia vtrumque identificatum est cum medio in præmissis, verbi gratià, ideo in hac conclusione, ergo homo est risibilis, risibile affirmatur de homine, & identificatur cum ipso, quia vtrumque identificatum est cum rationali in præmissis; hoc pacto, omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis: Ex his enim hæc infertur conclusio, ergo homo est risibilis. Secundum fundamentum est ejusmodi: *Illa non sunt eadem inter se, quorum vnum est idem cum vno tertio, alterum verò non est idem cum ipso*, putà homo & lapis,

lapis, non sunt idem inter se, quia homo est idem cum rationali, lapis verò non est idem cum rationali, quo fundamento seu principio Metaphysico nituntur omnes syllogismi negati, cujuscunque figuræ, tam categorici, quàm expositorii; Ideò enim majus extremum negatur de minori extremo, & non identificatur cum ipso in conclusione, quia vnum extremum, identificatum est cum medio, alterum verò non est identificatum cum medio in præmissis, verbi gratiâ, ideò in hac conclusione, ergo homo non est lapis, lapis negatur de homine, & homo non identificatur cum ipso, quia homo identificatus est in minori cum rationali, lapis vero non est identificatus cum rationali in majori hoc pacto; nullum rationale est lapis, sed omnis homo est rationalis, ex his enim sequitur hæc conclusio, ergo nullus homo est lapis.

53. Dici tamen potest *vnicum sufficere fundamentum, & principium omnium syllogismorum* tam categoricorum, quàm expositoriorum, tàm affirmatorum quàm negatorum cujuscúnque figuræ, scilicet quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se; de affirmatis suprà demonstratum est; de negatis verò patet, ex eo quòd sicut omnes propositiones negantes possunt reduci ad affirmantes infinitas, aut æquipollentes: sic omnes syllogismi negati possunt reduci ad affirmatos, verbi gratiâ hic syllogismus negatus, nullum rationale est lapis, sed omnis homo est rationalis, ergo nullus homo est lapis, sic reducitur ad affirmatum infinitum, omne rationale est non lapis, sed omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est non lapis; vel hoc pacto, omne rationale differt à lapide, sed omnis homo est rationalis, ergo omnis homo differt à lapide, vel hoc modo, omne rationale est aliud à lapide, sed omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est aliud à lapide.

DE REDVCTIONE SYLLOGISMORVM.

54. PRimò *Reductio* est reuocatio syllogismi imperfecti ad perfectum: *Syllogismus perfectus* hoc loco dicitur ille qui ita euidenter concludit, vt ejus conclusio ab homine mentis compote negari non possit, & tales sunt syllogismi primæ figuræ, ad quos cæteri reuocari possunt; *syllogismus imperfectus* hoc loco dicitur ille qui non ita euidenter concludit, & tales sunt syllogismi secundæ & tertiæ figuræ, qui ad syllogismos primæ figuræ reuocari possunt.

55. In reductione syllogismorum duplices *consonantes* sunt obseruandæ, scilicet capitales & mediæ: *capitales* quatuor sunt scilicet *B.C.D.F.* quæ ostendunt syllogismos imperfectos & indirectos reducendos ad syllogismos primæ figuræ, qui habent eandem litteram capitalem, putà Barocco ad Barbara, Cesare ad Celarent &c. Mediæ etiam quatuor sunt, scilicet *S.P.M.C.* quæ ostendunt quomodo reductio fieri debeat; nam S. denotat propositionem, quam *S.* sequitur proximè conuertendam esse sim-

pliciter, verbi gratiâ Cesare reducitur ad Celarent conuersione simplici majoris, hoc pacto, sit hic syllogismus in Cesare; *Nullus lapis est animal, sed omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis*, reducitur ad Celarent; conuersione simplici majoris, hoc pacto; *nullum animal est lapis, sed omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis. P.* denotat propositionem quam *P.* proximè sequitur, conuertendam esse per accidens, verbi gratiâ Darapti reducitur ad Darij, conuersione per accidens minoris hoc pacto; sit hic syllogismus in Darapti, *omnis homo est rationalis; sed omnis homo est animal, ergo aliquod animal est rationale*; reducitur ad Darij conversione per accidens minoris hoc pacto; *Omnis homo est rationalis, sed aliquod animal est homo, ergo aliquod animal est rationale. M.* Denotat μετάθεσιν seu transpositionem propositionum, idest majorem ponendam loco minoris, & minorem loco majoris; sicque Camestres reducitur ad Celarent, & Disamis ad Darij; vbi etiam minor & conclusio in Camestres, & major & conclusio in Disamis, debent conuerti simpliciter; verbi gratiâ sit hic syllogismus in Camestres, *omnis homo est animal, sed nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo*, reducitur ad Celarent; tam metathesi propositionum, quàm conversione minoris & conclusionis hoc pacto, *nullum animal est lapis, sed omnis homo est animal; ergo nullus homo est lapis.* Item sit hic syllogismus in Disamis, *aliquis homo est doctus, sed omnis homo est animal, ergo aliquod animal est doctum*, reducitur ad Darij, tum metathesi propositionum, tum conuersione majoris & conclusionis hoc pacto, *omnis homo est animal, sed aliquod doctum est homo, ergo aliquod doctum est animal. C.* Denotat syllogismum esse reducendum per impossibile, quod fit, quando ex vna propositione concessâ, & contradictoria conclusionis negatæ, infertur contradictoria alterius propositionis concessæ, scilicet illius quam *C.* proximè sequitur, sicque Baroco & Bocardo reducuntur ad Barbara; verbi gratia sit hic syllogismus in Baroco; *Omnis homo est animal, sed aliquod corpus non est animal; Ergo aliquod corpus non est homo*, reducitur ad Barbara hoc pacto, *omnis homo est animal, sed omne corpus est homo; Ergo omne corpus est animal.* Item hic syllogismus in Bocardo, *aliquis homo non est albus, sed omnis homo est animal, ergo aliquod animal non est album*, reducitur ad Barbara hoc pacto; *Omne animal est album, sed omnis homo est animal, ergo omnis homo est albus.* Philosophi hunc reductionis modum his duobus versibus exprimunt.

S. *vult simpliciter verti*, P. *verò per acci.*
M. *vult transponi*; C. *per impossibile duci.*

56. Secundò, *reductio* duplex est, scilicet Ostensiua & per Impossile: *Ostensiua* fit vel conuersione, vel transpositione propositionum; Reductio verò *per Impossibile*, fit cùm negatâ conclusione alicujus syllogismi Imperfecti, assumitur contradictoria illius, cum alterâ præmissarum

concessâ

concessa, vt concludatur contradictoria alterius præmissæ concessæ. Reductio ostensiua per conuersionem, vel fit conuersione simplici, vel conuersione per accidens, de quibus suprà; quibus ego addo reductionem quæ fit conuersione per contrapositionem, de qua posteà.

57. Tertiò, dantur modi secundæ figuræ, attamen *Cesare, Camestres, Festino, Baroco non sunt modi aut syllogismi secundæ figuræ*, sed potiùs primæ; non sunt simplices syllogismi, sed prosyllogismi truncati; & in singulis sunt duo media, atque adeò quatuor termini, nihilominus sunt recti; Denique *Camestres non debet reduci ad Celarent, nec Baroco ad Barbara*, sed Camestres debet reduci ad Barbara, & Baroco ad Darij, quæ omnia huc vsque inaudita sic demonstrantur.

58. *In iis esse duo media*, atque adeo quatuor terminos *ostenditur* his exemplis, *homo est animal, sed lapis non est animal, ergo lapis non est homo*, est syllogismus in Camestres aut in Baroco, additis scilicet signis vniuersalitatis aut particularitatis requisitis; at in eo sunt duo media scilicet *animal* in majori & *non animal* in minori: Nam non est animal, est non animal, & est aliud ab animali æquipollent, cum propositio negans, & Infinita affirmans, licèt non sint eædem absolutè, attamen sese consequuntur & aliquo modo sint æquipollentes: Item hic syllogismus; *lapis non est animal, sed homo est animal, ego homo non est lapis*, est in Cesare & Festino additis signis vniuersalitatis, aut particularitatis requisitis; At in eo sunt duo media, scilicet *non animal* in majori, & *animal* in minori, ob rationem suprà allatam.

59. *Quamuis autem hi syllogismi constent duobus mediis, atque adeo quatuor terminis, nihilominus sunt recti*, quia in ejusmodi syllogismis, ex præmissis semper infertur conclusio; Ratio autem cur alij syllogismi quatuor terminis constantes non sint recti; hi verò sint recti hæc afferri debet; In istis syllogismis non autem in aliis, subintelligenda propositio virtualiter contenta in majori, ex qua & minori rectà immediatè infertur conclusio, scilicet in Cesare & Festino, subintelligenda est conuersa majoris simpliciter, in Camestres verò & Baroco subintelligenda est conuersa majoris per contrapositionem, hoc pacto; In hoc syllogismo, *lapis non est animal, sed homo est animal, ergo homo non est lapis*; qui additis signis vniuersalitatis aut particularitatis est in Cesare aut Festino, debet subintelligi conuersa majoris simpliciter, scilicet *animal non est lapis*; Et in hoc syllogismo, *homo est animal, sed lapis non est animal, ergo lapis non est homo*, qui additis signis vniuersalitatis, aut particularitatis est in Camestres aut in Baroco, debet subintelligi conuersa per contrapositionem, scilicet *quod non est animal, non est homo*, vel *quod est non animal, est non homo*; Ratio autem cur debeat subintelligi conuersa majoris est quia alioquin syllogismi allati, non inniterentur huic principio Metaphysico quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, quo tamen totam doctrinam syllogisticam nisi suprà probatum est: Nam minus extremum, & majus extremum, non erunt eadem cum vno tertio scilicet cum

vno medio, eò quòd in iis sint duo diuersa media, vt suprà.

60. His positis facilè euincitur *syllogismos allatos non esse simplices syllogismos, sed prosyllogismos truncatos*, compositos vel ex vno enthymemate & vno syllogismo, vel ex duobus syllogismis, vno hypothetico, altero categorico. Ex enthymemate quidem & syllogismo, hoc pacto, lapis non est animal, ergo animal non est lapis; animal non est lapis, sed homo est animal, ergo homo non est lapis. Item homo est animal; ergo quod non est animal non est homo; quod non est animal non est homo, sed lapis non est animal, ergo lapis non est homo. Ex vno verò syllogismo hypothetico & altero categorico hoc pacto; si lapis non est animal, animal non est lapis, sed lapis non est animal, ergo lapis non est homo. Item si homo est animal, quod non est animal non est homo, sed homo est animal, ergo quod non est animal non est homo. Quod non est animal, non est homo, sed lapis non est animal, ergo lapis non est homo. Breuiùs sic formantur, lapis non est animal, ergo animal non est lapis, sed homo est animal, ergo homo non est lapis. Item homo est animal, ergo quod non est animal non est homo, sed lapis non est animal, ergo lapis non est homo.

6. His ita demonstratis, manifestum est *syllogismos allatos non esse modos aut syllogismos secundæ figuræ, sed potiùs primæ*, quia conclusio eorum elicitur immediatè ex majori subintellectâ, & minor expressâ, ex majori verò expressa tantùm mediatè & remotè, sic autem medium non prædicatur in vtraque propositione, sed subjicitur in majori; & prædicatur in minori, atque adeo non sunt in secunda, sed in prima figura, vt patet attendenti.

62. Ex his patet *Camestres & Baroco, non esse reducendos ad Celarent & Barbara*; sed quemadmodum Cesare & Festino conuersione simplici majoris reducuntur ad Celarent & Ferio sic conuersione majoris per contrapositionem Camestres debet reduci ad Barbara, & Baroco ad Darij, si termini sumantur infinitanter, verbi gratia, hic syllogismus in Camestres, omnis homo est animal, sed nullus lapis est animal, vel omnis lapis est non animal, ergo nullus lapis est homo, vel omnis lapis est non homo, sic reducitur ad Barbara, omne non animal est non homo, sed omnis lapis est non animal, ergo omnis lapis est non homo. Item hic syllogismus in Baroco omnis homo est animal, sed aliquis lapis non est animal, vel aliquis lapis est non animal, ergo aliquis lapis non est homo vel aliquis lapis est non homo, sic reducitur ad Darij, omne non animal est non homo, sed aliquis lapis est non animal, ergo aliquis lapis est non homo: si verò termini sumantur negatiuè, ambo debent reduci ad syllogismos primæ figuræ, hactenus nomine carentes, quos voco *Cerere* ad quem reducitur Camestres, & *Beloro* ad quem reducitur Baroco, verbi gratiâ hic syllogismus in Camestres, omnis homo est animal, sed nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo, sic reducitur ad Cerere, quicquid non est animal non est homo, sed nullus lapis est animal, ergo nullus lapis

est

est homo: Item hic syllogismus in Baroco, omnis homo est animal,sed aliquis lapis non est animal,ergo aliquis lapis non est homo; Sic reducitur ad Beloro, quicquid non est animal, non est homo, sed aliquis lapis non est animal,ergo aliquis lapis non est homo.Confirmatur assertio nostra,ex eò quòd Camestres non reducatur à recentioribus ad Celarent,nisi mutatâ conclusione,ac mutatâ conclusione syllogismus est diuersus,in mea autem reductione semper manet eadem conclusio:Rursus præsupponitur à recentioribus quòd Batoco reducatur tantùm per impossibile, quod tamen esse falsum suprà probatum est.

63. Denique licèt Cesare, Camestres, Festino, Baroco,non sint modi secundæ figuræ, sed primæ, vt probatum est suprà; attamen *dantur alij modi secundæ figuræ, ex puris affirmantibus vniuersaliter aut particulariter concludentibus*, qui reducuntur ad syllogismos affirmatos primæ figuræ, scilicèt ad Barbara & Darij, verbi gratiâ,hic syllogismus in *Basara*, omne rationale est risibile, sed omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis, reducitur ad Barbara conuersione simplici maioris,hoc pacto; omne risibile est rationale, sed omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis. Item hic syllogismus in *Dasiri*,omnis homo est rationalis, sed aliquod animal est rationale, ergo aliquod animal est homo, reducitur ad Darij conuersione simplici majoris hoc pacto, omne rationale est homo, sed aliquod animal est rationale, ergo aliquod animal est homo. Possunt etiam fieri syllogismi negati in hac figura,sed qui reduci possunt ad affirmatos, quod si affirmati in hac figura interdum non rectè concludant,id accidit,quia quatuor sunt termini,vel vnus terminus aliter sumitur in vna parte syllogismi quàm in altera,vt probatum est suprà explicando secundam regulam secundæ figuræ.

64. Quartò, reductio per impossibile non tantùm conuenit syllogismis in Baroco & Bocardo,sed etiam omnibus modis aut syllogismis imperfectis,qui vel sunt modi indirecti primæ figuræ, vel sunt modi secundæ tertiæ figuræ.

65. De inuentione medij hoc tantùm dicendum est, inspicienda sunt extrema conclusionis probandæ, scilicet subjectum & prædicatum ejus, explorando eorum naturam seu definitionem, proprietates, causas, effectus &c. ab istis enim potissimùm desumuntur media conclusionis probandæ, quæ cum tantùm habere possint, vel lumine naturali, vel beneficio scientiarum & disciplinarum, dici potest doctrinam de inuentione medij Logico parùm vtilem esse.

P 3

CAPVT TERTIVM

De Divisione Syllogismi.

66. *Syllogismus* diuiditur primò, in categoricum & conjunctum: *Categoricus*, qui aliter dicitur simplex & absolutus, dicitur ille qui haber omnes propositiones simplices, & conjunctione carentes, de quo hactenus egimus, & qui diuidi potest in syllogismum primæ, secundæ, & tertiæ figuræ; & subdiuidi potest in certos modos, scilicet Barbara, Celarent &c. *Conjunctus* verò dicitur ille cujus propositio aut propositiones sunt compositę ex pluribus aliqua conjunctione affectis, de quo nunc: Et vulgò triplex est, scil. hypotheticus, disiunctiuus, & copulatiuus.

67. *Syllogismus hypotheticus* dicitur ille cujus propositio aut propositiones sunt conditionales, vt si sol lucet dies est, sed sol lucet, ergo dies est. *Propositio hypothetica* seu conditionalis dicitur ea quæ constat duabus propositionibus conjunctione conditionali affectis, quæ conjunctio dicitur *si*, vt si sol lucet dies est, sed sol lucet, ergo dies est; prior propositio majoris, putà sol lucet, dicitur antecedens; posterior verò, putà dies est, dicitur consequens.

68. Regula syllogismi hypothetici est, vt *affirmetur antecedens majoris in minori ad affirmandum consequens in conclusione*, vt si sol lucet dies est, sed sol lucet, ergo dies est: Vel vt *negetur consequens majoris in minori ad negandum antecedens in conclusione*, vt si est Philosophus est doctus, sed non est doctus, ergo non est Philosophus.

69. Quæres primò quid sit respondendum ad hunc syllogismum, *omne animal si sit brutum est irrationale, sed omnis homo est animal si sit brutum, ergo omnis homo est irrationalis*. Respondetur primò, peccare contra regulam syllogismi hypothetici, quæ requirit vt affirmetur antecedens majoris in minori ad affirmandum consequens in conclusione, vel vt negetur consequens majoris in minori ad negandum antecedens in conclusione: At in syllogismo allato neutrum fit. Respondetur secundò, hanc conditionem *si sit brutum*, aliter sumi in majori quàm in minori, atque adeo esse quatuor terminos: Nam in majori denotat connexionem aut causam irrationalitatis in animali, & ideo est pars majoris extremi; in minori verò denotat connexionem aut causam animalitatis in homine, & ideo est pars medij. Respondetur tertiò, falsum esse illud, omne cui conuenit esse animal si sit brutum, est irrationale.

70. Quæres secundò, quid sit respondendum ad hoc argumentum acutissimum. *Omnes vestra theses sunt vera, ergo nulla sunt vera.* Consequens sic probatur: Si omnes vestræ theses sunt falsæ, nullæ sunt veræ: Sed si omnes vestræ theses sunt veræ, omnes sunt falsæ, quod sic probatur. Si omnis propositio est vera, omnis propositio est falsa: Ergo si omnes vestræ

ftræ theses funt veræ, omnes funt falfæ. Confequens patet ex eo quòd quicquid conuenit propofitioni in genere, conuenit propofitioni in particulari, fcilicet thefibus veftris. Antecedens verò fic probatur: Si omnis propofitio eft vera etiam & hæc, & hæc, & illa &c. atque adeo etiam hæc, fcilicet *omnis propofitio eft falfa*, erit vera, cum *omnis propofitio eft falfa*, fit propofitio conftans fubjecto copula & prædicato. Refpondetur, quòd illud, fcilicet *omnis propofitio eft falfa*, fit quid impoffibile, atque adeo purum nihil, quod autem eft purum nihil non eft propofitio.

71. *Syllogifmus disjunctiuus* eft in quo ex disjunctiua, & vna ejus parte affirmata vel negata, concluditur oppofita; vt aut eft dies aut nox, fed non eft nox, ergo eft dies: *propofitio* autem *disjunctiua* dicitur ea quæ conftat pluribus conjunctione disjunctiua affectis, vt aut eft dies aut nox: Eftque vel propriè vel impropriè talis. *Propofitio disjunctiua propriè dicta* eft quæ conftat terminis repugnantibus, fiue oppofitis, fiue difparatis, quorum fcilicet vnum excludit alterum, vt aut eft dies aut nox: Propofitio verò *disjunctiua impropriè dicta* eft quæ conftat terminis non repugnantibus feu non incompatibilibus, quorum fcilicet vnum non excludit alterum, fed poteft effe fimul cum eo, vt aut loquitur aut ambulat.

72. Quantitas disjunctiuæ non eft alia à quantitate partium: At qualitas ejus eft defumenda ex affirmatione & negatione cõjunctionis disjunctiuę, non autem ex affirmatione & negatione partium. Quòd fi fit propriè disjunctiua affirmata vera, neceffariò debet cõftare duabus partibus explicitè vel implicitè contradictorijs; contradictoriarũ verò vna femper eft vera, & altera falfa: vnde fit vt fi propofitio propriè disjunctiua affirmata vera conftet vtraque parte vera, non fit vera, fed falfa; & fic omnimoda veritas partium faciat propofitionem disjunctiuam falfam, & falfitas vnius partis faciat ipfam veram; quod certè mirum videtur, fcilicet quòd regula falfitatis defumatur à veritate; & regula veritatis defumatur à falfitate. Dixi propofitio disjunctiua affirmata; nam propofitio disjunctiua negata eft vera, fi conftet vtraque parte verâ, vt non eft vel muficus vel medicus, fi nec fit muficus nec medicus; vel fi conftet vtraque parte falfa, vt non eft vel muficus vel medicus, fi fit & muficus & medicus.

73. Regula fyllogifmi disjunctiui conftantis disjunctiua propriè dicta, eft vt *affirmetur vnum membrum ad negandum alterum*, vel *negetur vnum ad affirmandum alterum*, vt aut eft dies aut nox, fed eft dies, ergo non eft nox; vel, fed non eft dies, ergo eft nox: At regula fyllogifmi disjunctiui conftantis disjunctiua impropriè dicta eft vt *negetur vnum membrum ad affirmandum alterum*, vt aut loquitur aut ambulat, fed non loquitur, ergo ambulat.

74. *Syllogifmus disjunctiuus habere poteft majorem disjunctiuam conftantem pluribus partibus quàm duabus*: Quòd fi partes fint repugnantes, poffumus argumentari vel à pofitione vnius ad remotionem aliarum, vel à remotione omnium præterquàm vnius ad pofitionem ipfius; verbi gratiâ hoc corpus elementare, vel eft ignis, vel aër, vel aqua, vel terra; fed

est ignis; ergo nec est aër, nec aqua, nec terra; vel hoc pacto, sed neque est aër, neque aqua, neque terra; ergo est ignis. Si verò partes non sint repugnantes rectè tantùm argumentamur à remotione omnium partium præterquàm vnius ad positionem ipsius, vt aut ambulat, aut loquitur, aut videt, aut audit; sed neque videt, neque audit, neque loquitur, ergo ambulat. Cæterùm enumerandæ sunt omnes partes, alioquin major potest esse falsa, verbi gratiâ hoc animal est vel homo, vel asinus, vel equus; sed nec est asinus, nec equus; ergo est homo; potest enim esse bos.

75. Quæres quid respondendum sit ad hunc syllogismum: *Vel homo vel asinus est brutum, sed Petrus est vel homo vel asinus, ergo Petrus est brutum.* Respondetur primò, peccare contra regulam syllogismi disiunctiui, quæ requirit vt affirmetur vnum membrum ad negandum alterum, vel negetur vnum membrum ad affirmandum alterum, quod tamen non fit in syllogismo allato, cum in minori neutrum membrum affirmetur aut negetur, sed vtrumque affirmetur de tertio indeterminatè, atque adeo syllogismus allatus est potiùs categoricus. Respondetur secundò, majorem syllogismi allati vniuersaliter sumptam esse falsam, scilicet quicquid est vel homo vel asinus est brutum: Si verò particulariter sumatur, major erit particularis in prima figura, & erunt quatuor termini; sic enim explicandus erit syllogismus allatus; aliquid quod est vel homo vel asinus est brutum, sed Petrus est aliquid quod est vel homo vel asinus, ergo Petrus est brutum: At in ejusmodi syllogismo, aliquid in majori identificatur cum bruto, in minori verò identificatur cum Petro.

76. *Syllogismus copulatiuus propriè dictus*, est in quo ex copulatiua negata, & vna parte copulatiuæ affirmata, concluditur negatiuè altera, vt non stat & sedet, sed stat, ergo non sedet. *Propositio* autem *copulatiua* dicitur ea quæ constat pluribus conjunctione copulatiuâ affectis, vt non stat & sedet. Vnde patet hic tantùm agi de syllogismo copulatiuo negato; syllogismi enim copulatiui affirmati, vel rejiciendi, vel ad categoricos reducendi.

77. Regula syllogismi copulatiui negati & propriè dicti, est vt *affirmetur vna pars ad negandam alteram*, vt Petrus non stat & sedet simul, sed stat, ergo non sedet: Vbi notandum particulam *simul*, esse veluti caracterem propositionis copulatiuæ propriè dictæ; & ideo in propositione copulatiua negata debet negari τὸ *simul*; quòd si τὸ *simul* non exprimatur, debet subintelligi.

78. Tot modis potest diuidi syllogismus quot enunciatio: Et ideo syllogismus diuiditur in purum & modalem, in rectum & obliquum, in exclusiuum exceptiuum & reduplicatiuum, in vniuersalem & singularem, in collectiuum & distributiuum, in directum & indirectum &c. de quibus omnibus fusè agitur in nostra magna Logica. Denique communiter diuiditur syllogismus in demonstratiuum, topicum, & sophisticum, de quibus breuiter agendum est.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

De Demonſtratione.

79. *Demonſtratio* eſt ſyllogiſmus ſcientiam pariens ex propoſitionibus neceſſarijs & euidentibus: quòd ſi demonſtratio ſumatur pro ſolis principijs, ideſt pro ſolis præmiſſis ſeu propoſitionibus, & ſcientia ſumatur pro concluſione, tunc demonſtratio parit ſcientiam effectiuè, ideſt, eſt cauſa efficiens, ſaltem moraliter ipſius ſcientiæ ſeu concluſionis: Si verò demonſtratio ſumatur pro toto ſyllogiſmo cujus pars eſt concluſio, tunc demonſtratio formalis facit ſcire formaliter, quia eſt ipſa ſcientia actualis faciens formaliter ipſum intellectum ſcientem, ſicut albedo facit formaliter ſubjectum album; niſi velis demonſtrationem ſumptam pro toto ſyllogiſmo, eſſe cauſam ſcientiæ habitualis, cum habitus acquiratur per actus ſæpius repetitos.

80. Propoſitiones dicuntur principia, quia ab ijs pendet concluſio, vel in eſſendo, vel in cognoſcendo, vel vtroque modo. Ab alijs demonſtratio formalis definitur cognitio euidens rei neceſſariæ per propriam cauſam, vbi per cauſam, non ſemper intelligenda eſt cauſa rei, alioqui non daretur demonſtratio à poſteriori quæ probat cauſam per effectum aut conſequens; ſed intelligenda eſt cauſa quælibet neceſſaria ſiue rei ſiue cognitionis: quòd ſi per propriam cauſam intelligatur vera cauſa, non erit definitio demonſtrationis in genere, ſed tantùm demonſtrationis propter quid.

81. Ego diſtinguo demonſtrationem in objectiuam & formalem: *Objectiua* eſt argumentatio objectiua neceſſaria & euidens, vel eſt complexio antecedentis neceſſarij & euidentis, conſequentis neceſſarij & euidentis, & conſequentiæ neceſſariæ & euidentis: *Formalis* verò eſt argumentatio conſtans judicio antecedentis neceſſarij & euidentis, judicio conſequentis neceſſarij & euidentis, & judicio conſequentiæ neceſſariæ & euidentis.

82. Euidentia & certitudo, vel objectiua, vel formalis: *Euidentia objectiua* eſt objectum quod ex ſe tale eſt vt clarè & diſtinctè naturaliter cognoſci poſſit; dico *cognoſci poſſit* non autem *cognoſcatur*, quia interdum aliqua propoſitio eſt in ſe euidens, licet aliquis intellectus illam tantùm obſcurè attingat: Illa igitur propoſitio eſt euidens objectiua, quæ talis eſt vt ex ſola terminorum explicatione, vel per aliquod medium clarè ac diſtinctè cognoſci poſſit: *Euidentia formalis* eſt ipſe actus intellectus clarus ac diſtinctus, ideſt clarè & diſtinctè percipiens rem, vel eſt claritas ipſius actus. Certitudo etiam vel objectiua, vel formalis: *Certitudo objectiua* eſt objectum quod ex ſe tale eſt vt ſine

hæsitatione & sine erroris formidine cognosci possit; dixi *cognosci possit*, non autem *cognoscatur*, quia interdum propositio objectiua est in se certa, licet aliquis intellectus de illa dubitet, putà si propositio sit necessaria: *Certitudo formalis* est ipse actus intellectus, sine hæsitatione, & sine erroris formidine rem apprehendens: quare circa objectum in se certum & necessarium, potest dari actus incertus dubius & opinatiuus tantùm, non tamen sa sus: Cæterùm, euidentia & certitudo propriè sunt in actibus intellectus seu in mente, necessitas verò & contingentia in rebus. Denique, quænam requirantur ad demonstrationem & scientiam propriè dictam fusè explicatum est in proœmio Logicæ, cùm agitauimus hanc quæstionem, an Logica sit scientia.

83. *Datur demonstratio formalis seu scientia actualis:* quia datur certa & euidens cognitio conclusionis necessariæ ex præexistente cognitione judicatiua præmissarum necessariarum & euidentium, putà cognoscimus quod mixta sint corruptibilia, quia constant qualitatibus contrarijs. Dices *cognitionem intellectiuam pendere à se fitiua; sensum autem sæpe errare, atque adeo nihil esse certum & scientificum.* Respondetur, sensum non semper errare; imò nunquam errare, & quod majus est non dare intellectui occasionem errandi, si tres conditiones ad veram sensationem requisitæ reperiantur; nimirùm si objectum sit proportionatum, & in debita distantia aut approximatione; si organum sit rectè dispositum, & medium sit aptum & idoneum: positâ verò rectâ cognitione sensus externi, non decipitur phantasia aut intellectus: Verùm de his in Physicis dum de Anima. Item, antecedens certum & euidens probat consequens, quod est incertum & ineuidens formaliter ante demonstrationem, sed quod fit certum & euidens per demonstrationem, per quam antecedens & consequens fiunt formaliter relata.

84. Hic obiter notanda differentia inter syllogismum necessarium & scientificum, consistens in eo quòd ad syllogismum necessarium sufficit necessitas complexa propositionum & conclusionis; sed ad scientificum requiritur etiam necessitas incomplexa, vt dictum est in proœmio Logicæ. Vnde patet, malè diuidi syllogismum in demonstratiuum, topicum & sophisticum; cùm syllogismus necessarius ad nullum eorum pertineat.

85. Demonstratio vulgò diuiditur in demonstrationem διότι seu propter quid; & demonstrationem ὅτι seu quia. *Demonstratio propter quid* dicitur ea in qua probatur effectus per causam proximam, vt cùm probatur lunam pati eclipsim propter interpositionem terræ inter solem & lunam. *Demonstratio quia* dicitur ea in qua probatur causa per effectum, vel effectus per causam remotam: Vnde duplex poni solet demonstratio quia, scilicet *demonstratio ab effectu*, vt cùm probatur

ignem

ignem esse calidum, quia vrit; & *demonstratio à causa remota*, vt cùm probatur lapidem non respirare, quia non est animal. In hac communi diuisione demonstrationis, hæc sunt reprehendenda. Primò, *dantur innumeræ demonstrationes, in quibus nec probatur causa per effectum, nec effectus per causam siue proximam siue remotam*, quales sunt omnes demonstrationes, quæ probant conclusiones per antecedentia, concomitantia, & consequentia necessaria, quæ non habent rationem causæ & effectus, vt lac habet, ergo concepit, Lucifer ortus est, ergo Sol breui orietur &c. Secundò, omnes ferè demonstrationes probant vel primam passionem per definitionem aut differentiam, quæ communiter creduntur demonstrationes perfectæ; vel probant vnam passionem per aliam: At hæc non se habent vt causa & effectus, cum causa & effectus realiter distinguantur, passiones verò seu proprietates identificentur realiter inter se, & cum subjectis, definitionibus, & differentiis, vt fusè probatum est dum de proprio. Tertiò, non traditur definitio demonstrationis *quia*, sed potiùs diuisio, ideo meliùs diuideretur demonstratio in demonstrationem à causa proxima, à causa remota, & ab effectu; nec propterea diuisio esset legitima ob rationes allatas.

86. *Demonstratio* vulgò etiam diuiditur in demonstrationem *à priori* quâ probatur effectus per causam, siue proximam, siue remotam, siue probatur conclusio per aliquid prius, siue sit causa, siue antecedens tantùm; & demonstrationem *à posteriori*, quâ probatur causa per effectum, vel probatur conclusio per aliquid posterius, siue sit effectus, siue consequens. Verùm innumeræ sunt demonstrationes, in quibus medium & majus extremum non se habent vt causa & effectus, veluti probatum est suprà; & multæ sunt demonstrationes quæ procedunt à concomitantibus necessariis, quæ nec sunt priora nec posteriora; ac tandem omnes ferè demonstrationes procedunt ab identificatis, putà cùm probatur vna proprietas per aliam; identificata autem non se habent vt prius & posterius.

87. Denique, demonstratio vulgò diuiditur in perfectam & imperfectam. *Perfecta* communiter dicitur syllogismus scientiam pariens, ex principiis veris necessariis, primis immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis: vel est ea quæ constat propositionibus de omni, per se, & vniuersalibus primis. *Imperfecta* verò communiter dicitur ea quæ constat propositionibus quibus deest aliqua ex conditionibus supradictis.

88. *Principia vera & necessaria* suprà explicata sunt: sed vocabulum *principiis*, est superfluum; sufficiebat enim dicere *causis*, eò quòd omnis causa sit principium: Rursus vocabulum *veris*, est superfluum; sufficiebat enim dicere *necessariis*, cum omnis propositio necessaria sit vera.

89. *Principia prima*, dicũtur propositiones, quæ non habent aliquid prius per quod probãtur, quales sunt propositiones in quibus definitio prædica-

Q 2

tur de definito, vt homo est animal rationale. Principia prima secundum alios dicuntur propositiones ita per se notæ vt per alias notiores cognosci non possint, qualia sunt axiomata vbique terrarum recepta, putà *totum est majus sua parte, impossibile est idem simul esse & non esse* &c. Ejusmodi autem propositiones dicuntur per se notæ, quia per solam explicationem terminorum cognoscuntur, verbi gratià modò intelligam quid sit totum, pars, & majus, statim intellectus intelligit totum esse majus sua parte. Denique, principia prima secundum alios dicuntur ea quæ continent medium quod est causa proxima & immediata majoris extremi seu prædicati conclusionis; & sic principia prima non dicuntur prima respectu principiorum secundorum aut causarum secundarum, sic enim essent principia remotissima & causæ remotissimæ, quæ non pertinent ad perfectam demonstrationem; sed dicuntur prima respectu effectus aut majoris extremi cui proxima sunt. Verùm hoc vocabulum *primis*, videtur esse malè positum, vel superfluum; nam si per prima principia intelligantur axiomata vbique terrarum recepta, præterquàm quòd ejusmodi principia nullas ferè demonstrationes ingrediantur, certum est non dici prima nisi respectu secundorum, quo pacto sunt principia remota & causæ remotæ, quæ non pertinent ad perfectam demonstrationem; si verò per principia prima intelligantur principia proxima, tunc principia prima & principia immediata, non differunt, & sic vocabulum *primis*, vel vocabulum *immediatis* erit superfluum.

90. Principia immediata duobus modis dicuntur, scilicet vel ratione subjecti, vel ratione causæ. *Principium immediatum ratione subjecti* est illud in quo prædicatum dicitur de subjecto primo, adæquato, & reciproco, adeo vt inter subjectum & prædicatum non mediet aut intercedat aliud subjectum, vt homo est rationalis, homo est risibilis: *Principium* verò *mediatum ratione subjecti* est illud in quo prædicatum dicitur de subjecto secundario, inadæquato, & non reciproco, adeo vt inter subjectum mediet aut intercedat aliud subjectum, vt Petrus est rationalis; mediat enim & intercedit homo. Principium immediatum ratione causæ, coincidit cum causa.

91. *Principia demonstrationis perfectæ sunt priora conclusione:* Verùm vnum dicitur prius altero variis modis, qui à Philosophis his duobus versibus solent exprimi.

Tempore, natura, prius ordine, dic & honore.
Causaque causato dicitur esse prior.

Prius tempore dicitur illud quod actu existit ante aliud, & hoc modo Adamus est prior tempore cæteris hominibus. *Prius naturâ* duobus potissimum modis solet explicari à Philosophis. Primò illud dicitur naturâ prius altero à quo alterum dependet, & sic causa est prior naturâ suo effectu. Secũdo, illud dicitur prius naturâ altero, quod nõ cõuertitur secũdũ existẽdi cõsequẽtiã, & sic vniuersale est prius naturâ particulari, & pars toto. *Prius ordine* dicitur illud quod priùs disponitur, collocatur, aut numeratur, &

sic

sic exordium est prius narratione, & Pater æternus prior Filio & Spiritu Sancto. *Prius honore & dignitate* dicitur illud quod est perfectius aut nobilius altero, & sic homo est prior bruto, & Rex subdito. *Prius causalitate* secundum aliquos dicitur illud quod priùs causat, & secundum alios quod est causa alterius. Alij addunt *prius origine*, à quo scilicet aliquid procedit aut originem trahit, & sic Pater æternus dicitur prior origine filio. Alij verò addunt *prius virtualiter*, & *prius ratione*, scilicet quod priùs concipi debet, quæ prioritas dicitur ab aliis prioritas naturæ rationis, & sic immutabilitas dicitur prior æternitate, possibile dicitur prius futuro &c. Denique, alij distinguunt prius in prius secundum naturam dequo suprà; & prius secundum nos, idest quod nostræ cognitioni priùs occurrit.

92. *Principia demonstrationis perfectæ sunt notiora conclusione.* Verùm vnum dicitur notius altero duobus modis, scilicet secundum naturam, & secundum nos. Illud dicitur *notius secundum naturam*, quod in sui cognitione non pendet ab alio: *Ignotius* verò *secundum naturam* dicitur illud quod in sui cognitione pendet ab alio. Quæ autem non pendent ab alio vt sint, non dependent ab ipso vt cognoscantur; & ideo cum causa non pendeat ab effectu vt sit, non pendet etiam ab eo vt cognoscatur; causa enim ex naturâ suâ est cognoscibilis; effectus verò cum pendeat à causa vt sit, pendet etiam ab ea vt cognoscatur, saltem perfectè; dico perfectè, quia interdum causæ sunt ignotæ, effectus verò noti, sed tunc effectus sunt tantùm noti imperfectè: *Notius quoad* nos dicitur illud quod faciliùs, aut certiùs, aut euidentiùs percipitur; & tales ordinariè sunt effectus, qui sic priùs cognoscuntur quàm causæ, saltem cognitione imperfectâ. Principia autem demonstrationis perfectæ debent esse priora & notiora secundum naturam & secundum nos; secundum naturam quidem, quia debent esse causæ conclusionis, causa autem est prior & notior naturâ suo effectu, secundum nos verò, quia ex cognitione principiorum deuenimus in cognitionem conclusionis, & propter assensum datum principiis assensum præbemus conclusioni, at propter quod vnumquodque est tale illud est magis tale.

93. *Principia demonstrationis perfectæ debent esse causæ conclusionis:* Causæ autem quatuor sunt, scilicet *materia* ex qua res fit aut componitur, *forma* per quam res est id quod est, *efficiens* à quo res est, & *finis* propter quem res est. Item, *causa vel rei*, quæ facit vt res existat, vt Deus respectu mundi, vel *cognitionis* quæ facit vt res cognoscatur, vt creatio mundi respectu cognitionis Dei. Rursus, *causa rei* vel *actualis*, quæ producit effectum à se realiter distinctum, vt Deus respectu mundi; vel *virtualis*, quæ non producit quidem effectum cujus causa dicitur, attamen ejus causa esset, si effectus ab aliqua causa producendus esset, & sic immutabilitas dicitur causa virtualis æternitatis, concipitur enim habere vim æternitatis eliciendæ quamuis non actu producat eam in Deo, eò quòd in Deo nihil sit causatum, sic essentiæ subjectorum creduntur causæ virtuales proprietatum, & prima proprietas causa secundæ, & secunda causa

terriæ ob eandem rationem; in his enim non sunt causæ actuales, cum proprietates identificentur realiter intrinsecè cum suis subjectis & inter se vt suprà.

94. *Propositio de omni posterioristico* est ea in qua prædicatum conuenit necessariò subjecto, & omni contento sub illo, & quidem omni tempore, vt omnis homo est substantia: Dixi *posterioristico*, vt distinguatur à *propositione de omni prioristico*, in qua prædicatum conuenire dicitur subjecto & omni contento sub illo, siue necessariò, siue non, siue omni tempore, siue aliquo tantùm: prioristicum autem & posterioristicum sic appellantur, quia Aristoteles de iis egit in prioribus & posterioribus Analyticis.

95. Propositio per se quadruplex ponitur à Philosophis. *Prima propositio per se* dicitur ea in qua prædicatum est tota essentia aut definitio sujecti, vel pars essentiæ aut definitionis ejus, vt homo est animal rationale, homo est animal, homo est rationalis. *Secunda propositio per se* dicitur ea in quæ prædicatum est proprium quarto modo subjecti, vt homo est risibilis: His duabus propositionibus per se opponitur propositio per accidens, in qua prædicatum est concretum contingens, vt homo est doctus, homo est bipes. *Tertia propositio per se* dicitur ea in qua prædicatum est existentia substantiæ, vt homo est; cui opponitur propositio per accidens, in qua prædicatum est existentia accidentis, vt ambulatio est. *Quarta propositio per se* dicitur ea in qua causa per se prædicatur de effectu per se, vel effectus per se de causa per se, vt mors est extinctio calidi & humidi, Christus est salus nostra: huic opponitur propositio per accidens, in qua prædicatum nec est causa per se, nec effectus per se, vt Petro ambulante coruscatio fuit.

96. *Propositio vniuersalis* dicitur tribus modis: primò, *ratione subjecti*, quando scilicet subjectum est vniuersale, vt homo est animal: Secundò, *ratione signi vniuersalis afficientis subjectum vniuersale*, vt omnis homo est animal: Tertiò, *ratione prædicati*, quando scilicet vniuersum seu totum prædicatum est in subjecto, & extra ipsum non reperitur, vt homo est rationalis: Iuxta Aristotelem propositio vniuersalis hoc tertio modo sumpta est ea in qua prædicatum dicitur de omni per se & quatenus ipsum, describens conditiones prædicati vniuersalis per conditiones subjecti, quòd debet esse subjectum omne, per se; & quatenus ipsum; sicut enim *de omni* significat de omni subjecto; & *per se* significat per subjectum ipsum, ita *quatenus ipsum* significat quatenus est tale subjectum; tunc enim propositio dicitur esse *quatenus ipsum*, quando vera est cum reduplicatione subjecti, vt homo est rationalis, quia homo quatenus homo est rationalis. Hæc propositio vniuersalis tertio modo sumpta, dicitur etiam vniuersalis prima, in qua scilicet prædicatum vniuersale dicitur de subjecto primo, idest adæquato & reciproco, vt homo est risibilis.

97. Particula *quatenus*, sumitur potissimùm quatuor modis, scilicet in

in sensu formali, in sensu abstractiuo seu præcisiuo, in sensu causali, & in sensu conditionali. Tunc sumitur *in sensu formali*, quando denotat subjectum includere essentialiter prædicatum, & ideo explicatur per τὸ *essentialiter*, vel per hæc verba *ex eo quòd res sit talis*, verbi gratiâ hæc propositio, homo quatenus homo est animal, est vera in sensu formali, quia sic explicatur, homo est essentialiter animal, vel hoc pacto, homo ex eo quòd est homo est animal. Tunc sumitur *in sensu abstractiuo*, quando explicatur per *consideratum vt tale, non vt conjunctum cùm hoc aut illo inferiori, sed vt abstractum ab illis*, verbi gratiâ hæc propositio, homo quatenus homo est species, est vera in sensu abstractiuo, quia sic explicatur, homo consideratus vt homo, non considerando ipsum vt conjunctum cum Petro, aut alio inferiori, sed vt abstractum ab illis, est species saltem inadæquatè. Tunc sumitur *in sensu causali*, cùm denotat terminum qui afficitur ab ea, esse causam cur prædicatum conueniat subjecto, vt homo quatenus animal est sensitiuus, quia animalitas est causa seu potiùs ratio cur homo sit sensitiuus. Denique, tunc sumitur *in sensu conditionali*, cùm denotat terminum qui afficitur ab ea, esse tantùm conditionem sine qua non esset res aut effectus, non autem esse rationem formalem, vt ignis quatenus approximatus comburit, approximatio seu propinquitas agentis & patientis, putà approximatio ignis & ligni, non est ratio formalis agendi, idest non est causa cur ignis agat, nec est id vi cujus ignis comburit lignum, sed est tantùm conditio sine qua agens non ageret, idest agens non combureret lignum.

98. Ego existimo, *omnem illam demonstrationem esse perfectam, in qua probatur conclusio per propositiones euidentes & necessarias necessitate metaphysica: Illam verò esse imperfectam in qua probatur conclusio per propositiones euidentes & necessarias necessitate Physica aut morali duntaxat.* Alij volunt demonstrationem illam tantùm esse perfectam in qua probatur prima passio seu proprietas per definitionem aut differentiam. Alij verò volunt illam demonstrationem duntaxat esse perfectam, in qua probatur effectus per causam proximam. Vnde patet puram esse λογομαχίαν inter Philosophos de Demonstratione perfecta.

99. *Effectus demonstrationis est scientia habitualis*, cujus acceptiones variæ traditæ sunt à nobis in proœmio Logicæ. *Scientia* est habitus per demonstrationem comparatus, idest habitus euidens rei necessariæ per rationem necessariam, quæ omnia suprà explicata sunt.

100. *Dari scientiam habitualem seu acquisitam, non autem naturalem, quæ sit tantùm reminiscentia, hodie est indubitatum*; idque contra Platonem, qui existimauit dari quidē scientias, non tamen acquiri, sed ab æterno animis nostris æternis à Deo inditas tanquam rerum omnium formas quasdam

& ideas, quæ ex vnione animorum cum corporibus sopitæ & humoribus immersæ, exsiccatis paulatim progressu ætatis humoribus, partim rerum experientiâ, partim studio, & magistri operâ excitantur.

101. Rationes contra talem sententiam Platonis hæ sunt præcipuæ. Primò, non possumus acquirere per frequentem actuum iterationem habitus contrarios ijs quæ nobis insunt à natura: Sed sæpe habitum erroneum scientiæ oppositum acquirimus: Ergo non habemus scientiam à natura. Minor patet experientiâ; Major verò probatur ab Aristotele exemplo lapidis, qui propter grauitatem naturalem nunquam assuefieri potest vt sursum tendat, licet millies sursum projiciatur. Secundò, si animis nostris inditæ essent scientiæ ante vnionem cum corporibus, dum nunc excitantur scientiæ in nobis, esset reminiscentia eorum quæ antea sciuimus: At nulla talis est reminiscentia; cùm enim reminiscimur, non tantùm rei antea cognitæ recordamur, sed etiam nos antea illam sciuisse meminimus, quod tamen non contingit in reminiscentia Platonis. Tertiò si animus recordari posset rerum quas sciuit extra corpus, posset etiam recordari se fuisse extra corpus, quod tamen est falsum. Adde quòd creatio animorum ab æterno repugnat fidei, imò & rationi naturali, vt probabimus in secunda parte Physicæ. Concludendum igitur cum Aristotele Intellectum nostrum esse veluti tabulam rasam in qua nihil depictum est, cùm primùm generatur homo.

102. Ad id quod dicitur *scientiam esse homini naturalem.* Respondetur scientiam dici homini naturalem, quatenus est perfectio naturæ humanæ consentanea, & quatenus ab homine naturaliter appetitur, non autem quòd à natura indita sit. Ad id verò quod dicitur veritatem conclusionis sciri non posse, licet fortè occurrat, nisi antea habuerimus aliquam ejus cognitionem; sicut ille qui quærit seruum, non cognoscit eum, licet fortè occurrat, nisi eum antea cognouerit. Respondetur, veritatem conclusionis antea sciri, non distinctè, sed confusè, quia virtualiter continetur in præmissis notis; sed animam nostram ante vnionem imaginariam cum corpore, nec scire distinctè, nec confusè veritatem aliquam.

103. Causa principalis scientiæ est Intellectus motus ab objectis. Causæ adjuvantes sunt dispositio organorum, desiderium sciendi, præceptores, diligentia, exercitatio &c. Producitur autem scientia habitualis per proprios actus scientificos, idest per demonstrationes sæpius repetitas, siquidem habitus producuntur per actus sæpius repetitos, nisi excipias habitus infusos. Corrumpitur autem scientia, vel per se, errore contrario; vel per accidens cessatione potissimùm actuum scientificorum; quatenus tunc actus contrarij scientiam destruentes facilè irrepunt, vel facilitas motus fibrarum neruorum sensui inseruientium deperditur, vel secundum alios obliterantur species, quibus deletis nullus est scientiæ habitus.

104. *Scientia* diuiditur in Logicam, Pneumaticam, Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam, &c. de quibus suo loco. Diuiditur etiam in subalter-

ſubalternantem & ſubalternatam. *Subalternatio* nihil aliud eſt quàm habitudo inter ſcientias aut diſciplinas, quarum vna ſub altera conſtituitur; & quæ ſuperior eſt dicitur ſubalternans, quæ verò inferior dicitur ſubalternata. Subalternatio triplex eſt, ſcilicet ratione finis, ratione principiorum, & ratione objecti. *Subalternatio ratione finis* duobus modis fieri dicitur: vel enim ſubalternans imperat ſubalternatæ finem, vt per ipſum conſequatur ſuum; ſicque ars equeſtris eſt ſubalternans reſpectu frænofactoriæ: vel ſubalternans & ſubalternata attingunt eundem finem, ſed diuerſo modo, ſcilicet ſubalternans ſpeculatiuè, & ſubalternata practicè; ſicque Metaphyſica dicitur ſubalternans, & Ethica ſubalternata reſpectu boni. *Subalternatio ratione principiorum* fit, quando principia ſcientiæ ſubalternatæ ſeu inferioris, continentur & probantur in ſcientia ſubalternante ſeu ſuperiori; vnde cum reliquarum ſcientiarum principia probentur per principia Metaphyſica, dici poteſt reliquas ſcientias ſubalternari Metaphyſicæ ratione principiorum. *Subalternatio ratione objecti* duobus modis fit: Primò, cum objectum ſcientiæ inferioris eſt ſpecies objecti ſcientiæ ſuperioris; ſicque reliquæ ſcientiæ & diſciplinæ poſſunt dici ſubalternatæ Metaphyſicæ, eò quòd earum objectum ſit ſpecies entis quod eſt objectum Metaphyſicæ: Secundò, cum ſcientia ſubalternans & ſubalternata attingunt quidem idem objectum, ſed objectum ſubalternatæ contrahit objectum ſubternantis per differentiam quandam accidentalem ſeu potiùs ineſſentialem, ſic Arithmetica quæ conſiderat numerum, dicitur ſubalternans reſpectu Muſicæ quæ conſiderat numerum ſonorum. Ad propriam autem ſubalternationem tres conditiones requiruntur. 1. Vt objectum materiale ſuperioris ſeu ſubalternantis ſcientiæ, & objectum materiale ſcientiæ ſubalternatæ ſeu inferioris, ſit idem. 2. Vt illud objectum contrahatur à ſcientia inferiori per differentiam ineſſentialem. 3. Vt ſcientia ſubalternata habeat principia quæ non probet, ſed ſupponat jam probata in ſcientia ſubalternante.

105. *Circulus & Regreſſus* poſtulant duos ſyllogiſmos conſtantes iiſdem terminis: *Circulus* tamen formalis in vtroque ſyllogiſmo poſtulat medium quod ſit cauſa proxima majoris extremi: *Regreſſus* verò ſeu circulus materialis conſtat duobus ſyllogiſmis, quorum prior probat cauſam per effectum, poſterior verò probat effectum per cauſam, vel è contra. Circulus autem formalis non eſt admittendus, alioqui idem erit prius & poſterius ſeipſo, cauſa & effectus ſui ipſius, quod eſt abſurdum: Regreſſus verò eſt admittendus, quia acquiſitâ diſtinctâ cognitione cauſæ per effectum, poſſumus deinde probare effectum per cauſam.

CAPVT QVINTVM.
De Syllogismo Sophistico & Topico.

106. Syllogismus sophisticus dicitur ille qui errorem parit ex propositionibus apparenter veris, quòd si sint apparenter probabiles, solet dici simpliciter sophisticus; si verò sint apparenter necessariæ, dici solet Pseudographus.

107. *Sophisma* seu fallacia in genere, vel vocis, vel rei. *Fallaciæ vocis* sex sunt, scilicet æquiuocatio, amphibologia, compositio, diuisio, accentus, & figura dictionis. *Fallaciæ* verò *rei* septem ponuntur, scilicet fallacia accidentis, fallacia à dicto simpliciter ad dictum secundum quid & è contrà, petitio principii, fallacia à non causa vt causa, fallacia consequentis, fallacia multiplicis interrogationis, & ignorantia Elenchi.

108. *Æquiuocatio* fit, cùm aliquis terminus est æquiuocus, aut ambiguus; vt Rex est monosyllabum, sed Alexander est Rex, ergo Alexander est monosyllabum; vbi *Rex* sumitur in majori pro vocabulo, in minori verò pro persona: Fit etiam cùm terminus vniuocus aliter sumitur in vna propositione quàm in altera, aut in conclusione, vt aliquod animal non est rationale, sed homo est animal, ergo homo non est rationalis; vbi *animal* sumitur in majori pro animali quod non est rationale, in minori verò pro animali identificato cum rationali, scilicet cum homine.

109. *Amphibologia* seu *Amphibolia* fit, quando constructio propositionis est ambigua; verbi gratiâ, quod quis videt hoc videt, sed parietem quis videt, ergo paries videt. Nam pronomen *hoc* construi potest in accusatiuo, & tunc major est vera, sed consequentia est nulla: vel construitur in nominatiuo, & tunc major est fal[sa]. Item nulla thesis est falsa, ergo omnis thesis est falsa: Ad nullam autem thesim esse falsam sequi omnem thesim esse falsam, sic probatur: Neque ad primam thesim esse falsam sequitur omnem thesim esse falsam, neque ad secundam thesim esse falsam sequitur omnem thesim esse falsam, & sic de cæteris, ergo ad nullam thesim esse falsam sequitur omnem thesim esse falsam: Ad quod respondetur negando vltimam consequentiam, sic enim concludendum erat; ergo ad quamlibet thesim in particulari seorsim sumptam esse falsam, non sequitur omnem thesim esse falsam; quia vox *neque* quæ videtur jungi cum prima, secunda thesi, &c. debet jungi cum voce *sequitur* hoc pacto, ad primam thesim esse falsam, non sequitur omnem thesim esse falsam; ad secundam thesim esse falsam non sequitur omnem thesim esse falsam, & sic de cæteris, vnde conclusio debet esse ejusmodi; ergo ad quamlibet thesim in particulari seorsim sumptam esse falsam, non sequitur omnem thesim

sim esse falsam: vnde patet constructionem propositionis in sophismate proximè allato non esse ambiguam, sed non esse rectam, atque adeò non esse propriè amphibologiam.

110. *Compositio* seu *fallacia compositionis* fit, quando conjunguntur quæ sunt diuidenda, idest cùm à sensu diuiso vero ad sensum compositum falsum procedimus; vt hic canis est pater, hic canis est tuus, ergo hic canis est pater tuus. *Diuisio* verò seu *fallacia diuisionis* fit, quando diuiduntur quæ sunt conjungenda, idest cùm à sensu composito vero ad sensum diuisum falsum procedimus, vt cadauer est homo mortuus, ergo cadauer est homo. Item duo & tria sunt par & impar, sed quinque sunt duo & tria, ergo quinque sunt par & impar. Non tamen negandum est à diuisis ad conjuncta & à conjunctis ad diuisa sæpe valere consequentiam: quando autem valeat, & quando non, explicatum est supra.

111. *Fallacia accentus* fit, quando est diuersa pronuntiatio, vt qui captat lepores venatur, sed Orator captat lepôres, ergo Orator venatur. Accentus etiam sumitur pro accentu quantitatis, vt quod editur nutrit, sed liber editur, ergo liber nutrit, nam *editur*, cum significat manducatur, habet primam breuem; cùm verò significat in lucem profertur, habet primam longam.

112. *Figura dictionis fit*, quando propter similitudinem dictionis, idem vtrique attribuitur, vt minister æqui est magistratus, sed agaso est minister equi, ergo agaso est magistratus. Secundum alios figura dictionis est etiam cùm ob similitudinem dictionis fit transitus de genere in genus, vt id quod emisti comedisti, sed carnes crudæ sunt id quod emisti, ergo carnes crudæ sunt id quod comedisti; nam in majori *id quod emisti* est sumitur pro substantia tantùm; in minori verò *id quod emisti* est sumitur pro substantia qualitate cruditatis affecta; ideò fit transitus de genere in genus, scilicet à prædicamento substantiæ ad prædicamentum qualitatis.

113. *Fallacia accidentis* fit, cùm ex propositione quæ non est vera nisi per accidens, infertur conclusio per se simpliciter falsa; vt quod mouet seditiones est perniciosum, sed Euangelium mouet seditiones, ergo Euangelium est perniciosum: Nam vocabulum *mouet*, in majori sumitur pro mouet per se, in minori verò pro mouet per accidens; Euangelium enim non mouet per se seditiones; cum eas prohibeat., & sit Euangelium pacis; sed tantùm per accidens, quatenus scilicet homines inde prætextum & occasionem arripiunt seditiones mouendi.

114. *Fallacia à dicto simpliciter ad dictum secundùm quid*, fit cùm ex propositione vera simpliciter, absolutè, & sine limitatione, infertur conclusio falsa secundum quid; vt, vinum est bonum, ergo vinum est bonum febricitanti, arma sunt reddenda domino, ergo arma sunt reddenda domino furioso: Æthiops est niger, ergo æthiops est niger

dentibus; *Fallacia verò à dicto secundum quid ad dictum simpliciter* fit, cùm ex propositione secundum quid vera, infertur conclusio simpliciter falsa; vt vinum est malum febricitanti, ergo vinum est malum; arma non sunt reddenda domino furioso, ergo arma non sunt reddenda domino. Cæterùm *dictum simpliciter* dicitur illud cujus prædicatum conuenit subjecto quovis respectu & sine vlla limitatione: *Dictum* verò *secundum quid* est cujus prædicatum conuenit subjecto cum aliqua limitatione & certo respectu.

15. *Fallacia consequentis* secundum aliquos fit, cùm syllogismus non est in forma, & peccat contra regulas syllogismorum, de quibus suprà; vnde quando syllogismus non est in forma, solemus negare consequentiam: Secundum alios verò fit cùm ex vna propositione colligitur altera quæ tamen non sequitur ex illa; vt est animal, ergo est homo; vel non est homo, ergo non est animal.

116. *Petitio principij* sic dicta quod in ea sumatur quod est in quæstione; fit autem cùm aliquid probatur per seipsum, aut æque ignotum; idem per seipsum probari dicitur hoc loco cùm subjectum aut prædicatum quæstionis mutato nomine adhibetur tamquam medium ad probandam quæstionem, vt Dialectica est scientia, ergo Logica est scientia; anima rationalis generatur ex semine parentum, ergo est ex traduce: dixi mutato nomine; nam si nomen non mutaretur, esset argumentatio nugatoria & ridicula, vt homo est rationalis, ergo homo est rationalis; probatur autem aliquid per æque ignotum, cùm medium æquè nobis est ignotum; vt Philippus est pater Alexandri, ergo Alexander est filius Philippi; visio fit receptione, ergo non fit emissione; paries habet albedinem, ergo est albus.

117. *Fallacia à non causa vt causa* fit, quando affertur pro causa quod non est causa propriè: vt vinum inebriat, ergo vinum est malum, nam vinum simpliciter & per se non est causa inebriationis, sed ejus excessus: hæc fallacia videtur contineri sub fallacia accidentis.

118. *Fallacia multiplicis interrogationis* fit, cùm multiplici interrogatione vtimur; & vnam responsionem exigimus, vt pater tuus est ne vir probus & mater tua meretrix.

119. *Ignorantia Elenchi* fit, cùm affertur aliquid tanquam oppositum quod tamen non est oppositum seu contradictorium, eò quòd non seruentur omnes conditiones ad oppositionem aut contradictionem requisitæ, scilicet vt sit de eodem, secundum idem, ad idem, & eodem tempore: de quibus fusè sequenti tractatu agemus dum de Oppositis.

120. *Hæ sunt tredecim fallaciæ*, quæ communiter afferuntur à Philosophis, *quæ omnes reduci possunt ad fallaciam æquiuocationis.* Et hæ fallaciæ dicuntur esse in materia syllogismi: Dantur aliæ fallaciæ in forma syllogismi, quando scilicet fit syllogismus contra regulas syllogismorum, de quibus fusè suprà: In his diutiùs non immorabimur, quia sunt facilia.

DE

DE SYLLOGISMO TOPICO.

121. *SYllogismus topicus* dicitur ille qui opinionem parit ex principiis seu propositionibus probabilibus: dicitur autem topicus, à Græco τόπος, id est locus quia vim suam trahe e solet ex locis quibusdam argumentorum, de quibus sequenti capite agetur: Dicitur etiam Dialecticus, quia Dialectica strictè sumpta tradit præcepta probabiliter disserendi duntaxat.

122. *Propositio probabilis* est ea quæ ita vera est vt falsa esse possit: vt mater amat liberos: est enim plerumque vera: interdum tamen est falsa, scilicet, de matribus quæ interficiunt liberos. Propositio probabilis dicitur etiam quæ videtur vera, vel omnibus, vel pluribus, vel sapientibus: Differtque à contingenti, indifferenti, & parodoxica, quòd *probabilis* vt plurimum sit vera, licet possit esse falsa, vt mater amat liberos, *contingens* æqualiter sit vera & falsa, vt fœmina est pulchra, *indifferens* sit ea de qua sapiens sententiam non tulit, *paradoxum* verò est sententia vnius excellentissimi viri, quæ est præter opinionem vulgi.

123. *Opinio* est assensus datus rei cum formidine, saltem virtuali: dico virtuali; quia licet quis non formidet aut debitet actu de propositione, attamen propositio habet virtutem seu vim generandi formidinem, eò quòd non sit necessaria & euidens. Cæterùm differunt inter se, sciens, opinans, credens, dubius, & suspicans; quod *sciens* vni parti ad hæreat sine vlla formidine, siue actuali, siue virtuali; *opinans* vni parti adhæreat cum formidine saltem virtuali, vterque tamen cum ratione, sciens quidem cum ratione necessaria, opinans verò cum ratione probabili; *credens* vni parti adhæreat, innixus tantùm testimonio alterius; *dubius* neutri parti adhæreat, nec magis in vnam quam in alteram partem inclinet; *suspicans* verò magis in vnam partem quàm in alteram inclinet, ei tamen non adhæreat; quòd si quis, videat, tangat, aut alio sensu percipiat, dicitur habere sensationem seu cognitionem sensitiuam.

CAPVT SEXTVM

De locis argumentorum.

1. LOcus est sedes argumenti: *Argumentum* verò hîc loci est medium quod assumitur ad probandam conclusionem; vnde fit vt argumentatio dicatur argumenti explicatio, vel complicatio medij cum extremis; sæpius autem argumentum confunditur cum argumentatione. Ab aliis argumentum dicitur probabile inuentum ad faciendam fidem quod tantùm verum est de argumento seu medio topico aut probabili, non autem de demonstratiuo aut necessario.

2. *Loci* vel artificiales, vel inartificiales; *Artificiales* sunt qui præceptorum Logicorum adjumento ex terminis quæstionis eliciuntur: *Inartificiales* verò sunt qui præceptis Logicis non indigent, sed vnicuique obuij sunt, vt testimonia diuina & humana. *Loci artificiales* vel *interni*, qui sunt in re, vel *externi*, qui sunt extra rem: *Interni* sunt genus, species, differentia, proprium, accidens, definitio, totum, pars, materia, forma, & conjugata: *Externi* sunt Efficiens, finis, effectus, similia, comparata, dissimilia, & opposita; quorum duo posteriores sunt dissentanei.

3. Hos omnes locos quinque Articulis explicabimus; Primò, agemus de Vniuersalibus. Secundò, de Causis. Tertiò, de Conjugatis. Quartò, de Oppositis. Quintò, de reliquis locis argumentorum. De iis autem tantùm agemus quatenus inseruiunt ad argumentandum.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Vniuersalibus.

4. VNiuersalia sunt genus, species, differentia, proprium, accidens, & definitio, quæ est vniuersale complexum: Et ad accidentia quidam reuocant antecedentia, concomitantia, & consequentia.

5. *A genere ad speciem argumentandum negatiuè*, putà lapis non est animal, ergo lapis non est homo; non autem affirmatiuè, putà homo est animal, ergo homo est asinus: Quæ doctrina nititur his axiomatibus; *sublato genere tolluntur omnes species*, putà sublato animali tolluntur homines & bruta, & *de quo negatur genus, de eo etiam negatur species*; vel *cui non*

non conuenit genus ei non conuenit species, putà animal negatur de lapide, ergo & homo; & animal non conuenit lapidi, ergo nec homo: *At posito genere non ponitur species determinatè*, puta posito animali non statim ponitur homo; *& de quo affirmatur genus, de eo non statim affirmatur species*, vel *cui conuenit genus non statim ei conuenit species*, putà animal affirmatur de asino, non tamen homo, & anima conuenit asino, non tamen homo.

6. *A specie ad genus argumentandum affirmatiuè*; putà Petrus est homo, ergo Petrus est animal; animal est corpus, ergo homo est corpus; *non autem negatiuè*, putà Petrus non est asinus, ergo Petrus non est animal: quæ doctrina nititur his axiomatibus; *positâ specie ponitur genus*, putà posito homine ponitur animal, & *cui conuenit species, ei etiam conuenit genus*; vel *de quo affirmatur species, de eo etiam affirmatur genus*, putà homo conuenit Petro, ergo & animal, vel homo affirmatur de Petro, ergo & animal. Huc refertur istud axioma, *quod conuenit speciei conuenit Indiuiduo*, putâ quod conuenit homini conuenit Petro, verbi gratiâ homo est animal, ergo & Petrus. Huc etiam refertur istud, *quod conuenit generi conuenit speciei*, putà quod conuenit animali conuenit homini, & quod conuenit Sacramento conuenit Eucharistiæ; verbi gratiâ animal est corpus, ergo & homo; Sacramentum est signum, ergo & Eucharistia: Et ratio est quia tale genus ordinariè est species subalterna, & quod conuenit tali generi est genus illius generis subalterni aut speciei subalternæ; cui autem conuenit species ei etiam conuenit genus.

7. *A differentia ad proprium, à proprio ad differentiam, à differentia & proprio ad subjectum, à subjecto ad differentiam & proprium, à definitione ad definitum, & à definito ad definitionem, argumentandum affirmatiuè & negatiuè*, vt patet in rationali, risibili, animali rationali & homine: quæ doctrina nititur his axiomatibus; *quod conuenit vel non conuenit vni, etiam conuenit vel non conuenit aliis*; & *cui conuenit vel non conuenit vnum, ei etiam conueniunt vel non conueniunt alia*; & *posito vel sublato vno, ponuntur vel tolluntur alia*, eò quòd sint reciproca, conuertibilia, & identificata. Per subjectum intellige subjectum adæquatum, & per proprium intellige proprium quarto modo.

8. *Ab accidentibus seu contingentibus argumentamur ad summum probabiliter tantùm. Ab antecedentibus, consequentibus, & concomitantibus, si sint contingentia, argumentamur eodem modo quo ab accidentibus; si sint necessaria non reciproca, argumentamur eodem modo quo à genere & specie; si verò sint necessaria reciproca argumentamur eodem modo quo à differentia & proprio*.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Causis.

9. Causa est id cujus vi res est : Vulgò autem quatuor ponuntur causæ; scilicet *materia* ex qua res fit aut componitur, vt lignum respectu mensæ; *forma* per quam res est, vt structura respectu domus; *efficiens* à quo res est aut fit, vt architectus respectu domus, & *finis* propter quem res est, aut propter quē agens operatur, vt habitatio respectu domus.

10. *Argumentari licet à causa ad effectum, & ab effectu ad causam, tam affirmatiuè quàm negatiuè, secundum existendi consequentiam*; quæ doctrina nititur his axiomatibus, *positâ vel sublatâ causâ, ponitur vel tollitur effectus*; & *posito vel sublato effectu ponitur vel tollitur causa*: Sed hæ limitationes sunt adhibendæ. 1. hoc semper verum est de forma, nisi excipias animam rationalem si sit forma hominis; licet enim sublatâ animâ rationali tollatur homo; attamen positâ animâ rationali, non semper ponitur homo, nimirùm si sit separata à corpore. 2. De materia dicendum est quod sublatâ materiâ tollatur materiatum seu compositum, quia materia est pars essentialis, compositi, sine qua compositum existere non potest; at positâ materiâ non statim ponitur materiatum, putà posito ligno non statim ponitur mensa. 3. De causa efficiente sic distinguendum est: positâ causâ efficiente secundum causalitatem, id est positâ causâ efficiente actu causante ponitur effectus, concedo, positâ verò causâ efficiente secundum entitatem aut virtutem causandi, distinguo; si sit causa partialis aut insufficiens, nego; si sit causa totalis, distinguo; si sit causa libera, nego; si verò sit causa necessaria, distinguo; si ponantur omnia prærequisita, & tollantur impedimenta, concedo; aliter nego. Rursus, sublatâ causâ efficiente tollitur effectus, distinguo; si tollatur causa necessariò requisita, concedo; si tollatur sufficiens, distinguo; si tollantur omnes sufficientes, concedo, si vna tantùm nego. Denique, sublatâ causâ tollitur effectus, distinguo; si sit causa conseruans, concedo; si sit causa producens, distinguo; si tollatur pro omni tempore, concedo; si pro aliquo tantùm nego; alioquin mortuo architecto periret domus. 4. De causa finali dicendum est quòd posito fine efficaciter intento ponantur media, & sublato tali fine tollantur media. 5. Posito effectu ponitur causa, distinguo ponitur causa materialis & formalis, concedo, ponitur efficiens distinguo, si sit conseruans, concedo; si sit producens, distinguo; ponitur pro aliquo tempore, concedo; pro omni tempore, nego: Denique posito medio ponitur finis, eodem modo quo positâ causâ efficiente ponitur effectus, cum media sint causa efficiens finis. At sublato effectu tollitur causa, distinguo; si sit forma-

formalis, concedo; si sit materialis, nego: si sit efficiens, distinguo; si tollatur effectus pro omni tempore, concedo; si pro aliquo tantùm, nego: Item, prohibito effectu, ipsa quoque causa prohibita censetur, sic vbi prohibentur nuptiæ, sponsalia etiam prohibentur.

11. *Licet etiam argumentari à causa ad effectum, & ab effectu ad causam, tam affirmatiuè quàm negatiuè, secundum qualitates*; quæ doctrina nititur his axiomatibus, *quod conuenit vel non conuenit causæ, conuenit vel non conuenit effectui; & quod conuenit vel non conuenit effectui, conuenit vel non conuenit causæ*; quibus hæc sunt similia, *qualis causa talis est effectus, & qualis effectus talis causa*. Sed hæ limitationes sunt adhibendæ. 1. De materia sic distinguendum est, si sit secunda, concedo; si sit prima, distinguo; si consideretur vt prima, nego; si consideretur vt materia, concedo. 2. De forma dicendum est quòd conueniat vel non conueniat formato secundum illam partem quæ dicitur forma. 3. De efficiente sic distinguendum est, hoc axioma qualis causa talis effectus; intelligendum est primò, de qualitate bonitatis aut malitiæ, non autem de aliis qualitatibus; secundò, de causis per se, non per accidens; tertio, de causis particularibus, proximis & vniuocis, non autem de vniuersalibus, remotis & æquiuocis; quartò, omnes causæ debent habere illam qualitatem. 4. De fine hoc dicitur, cujus finis bonus est, ipsum quoque bonum est, modò aliquâ circunstantiâ non vitietur, bonum enim ex integra causa, malum ex quolibet defectu.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Conjugatis.

12. CONiugata sunt plura ab vno deriuata, & quasi sub eodem jugo contenta, *vt justitia, justus, justè*, ad quæ referuntur denominatiua, concreta & abstracta. *Denominatiua*, vel sunt talia nomine tantùm, vt officere respectu officij; vel re tantùm, vt vinolentus respectu ebrietatis; vel nomine & re simul, vt vinolentus respectu vinolentiæ. Denominatiua seu Paronyma ab Aristotele dicuntur ea quæ casu ab aliquo differunt, & ab eo desumunt nominis appellationem, vt albus respectu albedinus: Tria dicuntur requiri ad constitutionem denominatiuorum; primò, vt vtriusque vocis tam denominantis quàm denominatiuæ idem sit initium, alioquin vna non denominaretur aut deriuatur ab altera; secundò, vt vtriusque vocis sit diuersa terminatio, atque adeo casu & terminatione differant, quod tamen non semper est verum, cum grammatica adjectiuè sit denominatiuum à grammatica substantiuè, & tamen non differt casu ab illa; tertiò, vt denominatio seu deriuatio fiat habitâ ratione significationis.

13. Denominatio, quæ dicitur appellatio desumpta ab alio, duplex est, scilicet intrinseca & extrinseca. *Denominatio intrinseca* est appellatio desumpta ab aliquo quod est in re, vt esse album respectu niuis, nix enim denominatur alba ab albedine quæ est in niue. *Denominatio extrinseca* est appellatio desumpta ab aliquo quod est extra rem, vt esse visum respectu parietis, paries enim denominatur visus à visione quæ est extra parietem, scilicet in oculo. His addi potest denominatio partim intrinseca, partim extrinseca, quæ desumitur ab vno quod est in re, & ab alio quod est extra rem, vt cum Petrus albus denominatur similis Paulo albo, tam ab albedine quæ est in Petro, quàm ab albedine quæ est extra Petrum, scilicet in Paulo.

14. *Concretum* explicari potest per *habens*, vt albus, idest habens albedinem: *Abstractum* verò non potest explicari per *habens*, vt albedo: Abstractum dicit tantùm formam, non autem subjectum quod illam habet, vt albedo: Concretum verò dicit compositum ex subjecto & forma, vt albus: Nomine formæ hoc loco intelligenda est res qualibet alteri denominationem tribuens, vnde dicitur forma denominans Nomine subjecti hoc loco intelligenda est res qualibet ab altera denominationem accipiens, vnde dicitur subjectum denominationis: Concretum verò est compositum ex subjecto denominato & forma denominante, diciturque vulgò denominatiuum.

15. Concretum vel substantiale dicens subjectum & formam quæ est substantia vt homo: vel accidentale dicens subjectum & formam quæ est accidens, vt albus: Abstractum etiam vel substantiale, quod est forma denominans quæ est substantia, vt humanitas; vel accidentale, quod est forma denominans quæ est accidens, vt albedo. Item, concretum vel essentiale dicens subjectum & formam identificatam cum subjecto, vt rationale; vel inessentiale dicens subjectum & formam distinctam realiter à subjecto, vt albus: Abstractum essentiale est ipsa forma identificata cum subjecto, vt humanitas respectu hominis; abstractum verò est ipsa forma distincta à subjecto: Concretum Physicum & abstractum Physicum non differunt à concreto & abstracto accidentali, concretum verò Metaphysicum & abstractum Metaphysicum non differunt à concreto & abstracto essentiali. Cæterùm concreta multiplicantur ad multiplicationem subjectorum, non autem ad multiplicationem formarum: vnde licet quis habeat plura regna dicitur vnus Rex, & ratio est quia concretum supponit pro subjecto, & non significat formam nisi connotando subjectum, & ideo ad multiplicationem subjecti debet multiplicari concretum; quod si concretum supponat pro forma contrarium accidit, vt in Trinitate.

16. Huc referunt nonnulli absolutum & connotatiuum: *Absolutum* denotat rem tanquam per se existentem, vt homo, albedo &c. *Connotatiuum* verò significat rem tanquam in alio existentem, vt omnia adjectiua & relatiua.

17. Conclusio

17. *Conclusio qualibet probatur per conjugata*, quod nititur hoc axiomate; *coniugatorum conjugata sunt consequentia*, idest quod conuenit vel non conuenit vni conjugatorum, conuenit vel non conuenit reliquis, & cui conuenit vel non conuenit vnum coniugatorum conueniunt vel non conueniunt reliqua: Hæ tamen limitationes sunt adhibendæ. Primò, intelligendum est de coniugatis re, aut de coniugatis nomine & re, non autem de coniugatis nomine tantùm; de coniugatis necessariò, non de coniugatis contingenter. Secundò, vnum conjugatorum debet conuenire per se & formaliter, non autem per accidens & materialiter; eadémque est ratio de ijs quæ conueniunt vni coniugatorum; vnde non valet album est dulce, ergo albedo est dulcedo: Nam album est tantùm dulce per accidens & materialiter ratione subiecti putà lactis. Tertiò, intelligendum est seruata proportione, & prout exigit rei natura; vnde non valet album est concretum, ergo albedo est concretum, sed potiùs album est concretum, ergo albedo est abstractum. Quartò, vtrumque debet denotare habitum, potentiam, aut actum, putà rectè dicitur, justitia est virtus, ergo justus est virtute præditus: si verò vnum denotet actum, & alterum denotet potentiam aut habitum, distinguendum est; nam in habitibus, posito actu nō statim ponitur habitus, nec posito habitu statim ponitur actus, & ideo non licet argumentari ab vno ad alterum; at in potentijs naturalibus posito actu ponitur necessariò potentia, atque adeo ab actu ad potentiam valet affirmatiuè consequentia, putà actu ratiocinatur, ergo habet potentiam ratiocinandi; at sublato actu non tollitur potentia, & ideo non licet argumentari negatiuè ab actu ad potentiam, putà non ratiocinatur, ergo non habet potentiam ratiocinandi; e contra positâ potentiâ non ponitur necessariò actus, sed eâ sublatâ tollitur, ideo licet argumentari à potentia ad actum negatiuè, non affirmatiuè. Quintò, licet argumentari ab abstracto ad concretum affirmatiuè, putà albedo est color, ergo album est coloratum; non tamen negatiuè, putà albedo non est dulcedo, ergo album non est dulce. Sextò, à concreto ad abstractum non licet argumentari, si vnum abstractum ponatur in vno prædicamento & aliud in alio; vel si ponatur in eodem prædicamento, sed prædicatio non sit essentialis; vel si sit essentialis, non sit essentialis Metaphysica, sed Physica tantùm; putà non valet homo est albus, ergo humanitas est albedo; album est dulce, ergo albedo est dulcedo; homo est animatus, ergo humanitas est anima; licet igitur tantùm argumentari à concreto ad abstractum, quando prædicatio est essentialis Metaphysica, putà Petrus est homo, ergo Petreitas est humanitas. In Christo etiam non valet consequentia à concreto ad abstractum, putà Deus est homo, ergo Deitas est humanitas.

ARTICVLVS QVARTVS.

De Oppositis.

18. Oppositio vel complexa, vel incomplexa : *Complexa* est inter propositiones, de qua in quarta parte Logicæ : *Incomplexa* est inter extrema simplicia, de qua nunc. *Opposita simplicia* interdum sumuntur generatim pro quibuslibet repugnantibus & realiter distinctis, sicque comprehendunt etiam disparata : Interdum verò speciatim sumuntur prout distinguuntur à disparatis, vt nunc. Hæc autem est differentia inter opposita speciatim & disparata, quòd *opposita speciatim* sint ea quæ ita pugnant inter se, vt non eodem modo pugnent cum aliis, vel sunt ea quorum vnum vni opponitur, vt calor & frigus, visus & cæcitas, &c. Et ejusmodi opposita speciatim ab aliis vocantur contraria : *Disparata* verò sunt ea quæ ita pugnant inter se, vt eodem modo pugnent cum alijs, vel sunt ea quorum vnum multis opponitur, vt homo & equus, homo enim ita pugnat cum equo, vt eodem modo pugnet cum asino.

19. Opposita speciatim, vel sunt relatiua, vel contraria, vel priuatiua, vel contradictoria : Relatiua & contraria sunt ambo positiua, priuatiua verò & contradictoria non sunt ambo positiua.

20. *Relatiua* sunt duo entia positiua, quorum esse est ad aliud, quæ hoc ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur, quorum neutrum potest concipi sine altero, vt pater & filius, dominus & seruus, &c. De relatiuis autem & de relatione fusè agetur in Metaphysicis.

21. *Contraria* interdum sumuntur latè pro quibuslibet oppositis, interterdum verò strictè pro ijs quæ à Cicerone dicuntur aduersa ; & ab Aristotelis describuntur entia positiua absoluta, quæ sub eodem genere maximè distant, & eidem subjecto vicissim insunt, à quo se mutuò expellunt, nisi alterum insit à natura, de quibus nunc : Vnde ad contrarietatem proprie dictam quatuor requiruntur ; primò, vt sint entia positiua absoluta, verbi gratiâ, calor & frigus, albedo & nigredo, &c. Secundò, vt sint sub eodem genere, non tantùm summo, sed etiam subalterno, licet non necesse sit, vt sint semper sub eodem genere proximo ; verbi gratiâ, justitia & injustitia sunt sub eodem genere summo vniuoco, scilicet sub qualitate, & sub eodem genere subalterno, scilicet sub habitu ; non tamen sub eodem genere proximo ; cùm genus proximum justitiæ sit virtus, injustitiæ verò sit vitium ; plura tamen contraria sunt sub eodem genere proximo vt albedo & nigredo sub colore : Tertiò, vt contraria maximè distent, idest maximè differant & pugnent, maximè (inquam) saltem negatiuè, id est vt ex his, quæ sub eodem genere continentur, nulla sint quæ majorem oppositionem habeant : Quartò, vt contraria in eodem subjecto & in eadem parte

subjecti

subjecti successiuè tantùm esse possint, adeò vt vnum expellat aliud formaliter: Additum est, nisi alterum insit à natura; quia sunt quædam substantiæ, quæ habent vnum contrariorum ita congenitum vt alterum admittere non possint, verbi gratiâ, ignis ita calorem dicitur habere à natura vt frigus contrarium recipere non possit.

22. *Contraria* diuiduntur in immediata & mediata: *Immediata* sunt quæ nullum habent medium, vel sunt ea quorum alterum necessariò inest subjecto capaci, vt sanitas & morbus respectu hominis; status enim neuter medicorum est tantùm Medium moraliter: *Mediata* sunt quæ habent medium, vel sunt ea quorum neutrum necessariò inest subjecto capaci, vt albedo & nigredo, potest enim subjectum eatenus capax vtraque carere & habere ruborem. Porrò *medium* contrariorum, vel *participationis*, quod componitur ex vtroque extremo, & vtrumque participat, quale creditur esse tepidum, quod componitur ex calido & frigido, diciturque ab alijs medium nominatum, & medium formæ; vel *negationis*, aut innominatum, quod cùm non habeat nomen, exprimitur per negationem vtriusque extremi, vt inter bonum & malum ponitur non malum aut non bonum, sic puer nec bonus nec malus moraliter, sed in medio constitutus per negationem bonitatis & malitiæ; & hoc medium ab aliis dicitur medium subjecti.

23. *Priuatiua* sunt quæ se habent vt habitus & priuatio eius, vbi per habitum hoc loco intelligi potest quodlibet accidens à subjecto separabile, potissimùm autem potentia naturalis, putà visus cujus priuatio est cæcitas; habitus strictè sumptus, putà scientia, cujus priuatio est ignorantia; patibilis qualitas, putà lux, cujus priuatio sunt tenebræ; operatio, putà motus, cujus priuatio est quies; habitus in decimo prædicamento, putà vestitum esse, cujus priuatio est, nudum esse, denique, qualibet forma cujus priuatio est ejus carentia in subjecto apto: in quo distinguitur à negatione pura & simpliciter, quæ est carentia formæ in subjecto inepto. Cæterùm priuatio requirit certi temporis determinationem, idest priuatio non debet tribui subjecto nisi post tempus à natura determinatum, ideo res priuata duntaxat dicenda est, quando forma non inest quæ inesse debet, vnde catulus statim ab ortu non dicitur cæcus, licet non videat, quia tempus videndi in catulo non est à natura determinatum, nisi post aliquod tempus ab ortu.

24. *Priuatio* vel *logica*, quæ est carentia formæ præteritæ, vt cæcitas, mors, &c. vel *physica*, quæ est priuatio formæ futuræ, vt priuatio formæ animalis in semine. Rursus priuatio vel *totalis*, quæ est carentia totius formæ vt tenebræ quæ sunt priuatio totius lucis, vel *partialis*, quæ est carentia alicujus partis aut gradus formæ, vt vmbra: Item priuatio, vel est *priuatio actus tantùm*, vt priuatio visionis in dormiente, vel est *priuatio potentiæ*, vt cæcitas quæ est priuatio visus. Denique *priuatio* vel *intrinseca* quæ est carentia formæ subjecto naturaliter debitæ, vt cæcitas; vel *extrinseca & aduentitia*, quæ est carentia rei circunstantis aut adiacentis, vt pau-

pertas, nuditas, &c.

25. *Contradictoria* sunt quæ opponuntur vt ens & non ens, vt homo non homo: vel sunt ea quorum vnum est pura negatio alterius: Ab alijs contradictoria dicuntur ea quæ opponuntur vt affirmatio & negatio, non quòd sint enunciationes, sed quod addito subjecto & verbo substantiuo constituant enunciationes, affirmatione & negatione pugnantes, vt Petrus est homo, Petrus non est homo.

25. *Contradictio* duplex est, vna *expressa & explicita*, in qua exprimitur negatio, vt homo & non homo; vel *virtualis & implicita*, in qua non exprimitur negatio, sed implicitè continetur, vt electio vniuersalis; est enim contradictio in adiecto, vel oppositum in opposito, siquidem electio est aliquorum tantùm, vniuersalis verò omnium.

26. *Possumus argumentari ab oppositis ad probandam quamlibet conclusionem, siue vniuersalem, siue particularem, siue affirmatam, siue negatam*, quæ doctrina nititur sequentibus axiomatibus.

27. Primum axioma tale est, *Opposita non possunt esse simul*; quod intelligendum est respectu ejusdem numero subiecti, secundum eandem partem, comparatè ad idem, & eodem tempore, verbi gratiâ, idem numero homo, in eadem parte, eodem tempore, & eodem respectu, non potest esse calidus & frigidus; sed nihil obstat quominus sit calidus & frigidus, in diuersis partibus corporis sui, vel in eadem parte diuersis temporibus, vel eodem tempore comparatè ad diuersa, putà calidus comparatè ad glaciem, frigidus comparatè ad ignem. Ad hoc axioma refertur illud, *contraria non possunt esse simul in eodem subiecto*; quod solet limitari hoc pacto, non possunt simul esse in eodem subiecto, in gradu intenso, possunt tamen esse simul in gradu remisso; verùm eiusmodi intensionem & remissionem fusè refutabimus in Physicis.

28. Secundùm axioma est eiusmodi. *Oppositorum est eadem ratio*; quod intelligendum est ratione cognitionis & scientiæ, non autem ratione naturæ: Ratione quidem scientiæ; quia vnum oppositorum cognitum, plurimùm iuuat ad cognitionem alterius; contraria enim contrariis opposita, magis elucescunt; vnde illud, *oppositorum est eadem disciplina, & contrariorum est eadem scientia*: Non autem intelligendum est ratione naturæ: quia oppositorum & contrariorum, diuersa est natura, essentia, & definitio: Quidam huc referunt axioma vulgatum, *eadem est potentia contrariorum*, idest potentia versatur circa vtrumque contrarium, putà visus circa albedinem & nigredinem; quod intelligendum est, modo vtrumque sit conueniens potentiæ: licet enim bonum & malum verbi gratiâ, sint contraria, attamen voluntas fertur tantùm in bonum, siue verum siue apparens, saltem actu positiuo, scilicet amore, quamuis possit ferri in malum actu negatiuo, scilicet odio, vt videbitur in Ethicis.

29. *Oppositorum opposita prædicata, & contrariorum contraria sunt consequentia*; verbi gratiâ, si virtus est amanda, vitium est fugiendum. Limitatur autem hoc axioma. 1. Consequentia & prædicata debent esse propria,

pria,non communia;vnde non valet, albedo est visibilis, ergo nigredo est inuisibilis; nam visibile est prædicatum commune albedini & nigredini. 2. Consequentia & prædicata debent esse per se, non per accidens prædicata; vnde non valet, calor indurat lutum, ergo frigus mollit ipsum; quoniam calor indurat lutum per accidens duntaxat, scilicet sursum euehendo partes humidiores. 3. Axioma intelligendum de oppositis incomplexis, non autem de oppositis complexis; vnde non valet, omnem hominem currere est verum, ergo nullum hominem currere est falsum; oppositio enim ejusmodi est tantùm per signa *omne & nullum*, & est complexa non incomplexa. 4. Axioma non valet in contrarijs quæ opponuntur per excessum & defectum; verbi gratiâ, non valet consequentia, prodigalitas est vitium,ergo avaritia est virtus; 5. Axioma non valet in priuatiuè oppositis & contrarijs, in quibus prædicatum destruit subjectum; verbi gratiâ, non valet, sanus est viuens, ergo æger est mortuus, quia esse mortuum destruit subjectum sanitatis & ægritudinis, scilicet hominem aut animal, 6. Intelligendum est si cætera sint paria, idque in naturalibus, non autem in moralibus saltem meritoriis; paria autem erunt,si sint in eodem gradu & considerentur eodem respectu; quare non valet, mala opera merentur mortem æternam, & sunt causa damnationis, ergo bona opera merentur vitam æternam,& sunt causa salutis; nam mala opera quæ damnationem & mortem æternam merentur, sunt perfectè mala & à nobis; at bona opera sunt imperfectè bona,& sunt à Deo in nobis: Deinde meritum pœnæ crescit ex dignitate personæ offensæ, & vilitate personæ offendentis; meritum verò præmij decrescit, imò nullum est,quia nulla est proportio inter Deum & hominem, inter opus hominis & salutem, adeò vt totum præmium & tota remuneratio nitatur pacto à Deo inito.

30. *Quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur alterum*; quod intelligendum de ijs quæ multipliciter dicuntur; & si vnum contrariorum vnico vocabulo diversa significante, habeat contrarium in diuersis suis significationibus.

31. *Relata sunt simul naturâ, definitione, & cognitione:* simul naturâ, quia se mutuò ponunt & tollunt,& simul definitione & cognitione, quia vnum definitur & cognoscitur per aliud.

32. *Priuantia & contraria versantur circa idem subjectum. A priuatione ad habitum aut potentiam naturalem non datur regressus naturaliter, sed tantùm supernaturaliter. Priuatio & habitus non sunt sub eodem genere. Priuatio ordinariè præsupponit habitum aut potentiam fuisse.* Denique *ex affirmatione vnius priuatini sequitur negatio alterius*, vt habet visum, ergo non est cæcus, est cæcus ergo non habet visum: Et *ex negatione vnius priuatiui sequitur affirmatio alterius in subjecto capaci*, vt homo non habet visum, ergo est cæcus, homo non est cæcus, ergo habet visum.

33. *Inter contradicentia non datur medium*; nam quodlibet est aut non est; & ideo alterū contradictoriorū conuenit semper cuilibet enti, & alterū cōtradictoriorū semper negatur de quolibet ente. *Duarum contradictariorum*

propositionum necessariò vna est vera & altera falsa, licet vna non sit necessario vera, & altera necessario falsa. Denique *ex affirmatione vnius contradictorii sequitur negatio alterius, & ex negatione vnius sequitur affirmatio alterius.*

ARTICVLVS QVINTVS.
De Reliquis locis argumentorum.

34 Reliqui loci argumentorum sunt totum & pars, similia & dissimilia, comparata, & testimonia.

35. Quando sit argumentandum à toto & parte vniuersali, & à toto essentiali physico & metaphysico, necnon à partibus eorum, explicatum est suprà; nunc videndum quomodo argumentandum sit à reliquis totis.

DE TOTO ET PARTE.

36. *A toto ad partem licet argumentari affirmatiuè, à parte verò ad totum negatiuè*, quæ doctrina nititur his axiomatibus, *posito toto ponitur pars*, & *sublatâ parte tollitur totum*; *cui conuenit totum, ei etiam conuenit pars*, & *cui non conuenit pars ei non conuenit totum*; *quod habet totum habet partem*, & *quod non habet partem non habet totum*, in toto enim pars continetur; *in eo quod plus inest semper inest* & *minus*; *non debet cui quod plus est licet, quod minus est non licere*, & *cui quod minus est non licet non debet ei quod plus est licere*; *quod potest maius potest etiam minus*, & *quod non potest minus non potest maius*, quæ duo posteriora intelligenda sunt si sint eiusdem generi; *de quo prædicatur totum de eodem prædicatur pars in concreto, non in abstracto*; *quod prædicatur de toto prædicatur de parte in concreto, non in abstracto*, quia totum & pars non sunt idem; *quod prædicatur de parte prædicatur de toto, de parte formaliter, de toto denominatiuè*: *Totum est majus sua parte*; *pars est prior naturâ toto*; *totum & pars sunt eiusdem prædicamenti*; *pars est propter totum*, vnde bonum totius est præferendum bono partis; *quod est pars partis est etiam pars totius*; *Totum est vnum & multa*, vnum compositum, & multa componentia, cum totum non distinguatur à partibus simul sumptis & vnitis.

DE SIMILIBVS, DISSIMILIBVS
Et Comparatis.

37. *Similia* sunt quæ conueniunt in aliquo, vt duo alba quę conueniunt in albedine; vel similia sunt quorum vnum est sicut aliud: *Dissimilia*

Dissimilia è contra. *Similibus similia, & dissimilibus dissimilia conveniunt: Similium est idem iudicium & idem conceptus; dissimilium è contrà.*

38. *Comparatio* fit vel rerum inter se, de qua aliàs; vel rerum in probabilitate, de qua nunc: Hæc autem fit tribus modis: primò, quando argumentamur à pari: Secundò, quando argumentamur à majori ad minus: Tertiò, quando argumentamur à minori ad majus. *Argumentum à pari* fit quando pro medio assumitur aliquid æquè probabile, v. g. Rex pepercit Petro iuveni; ergo Rex parcet Paulo iuveni. *Argumentum à majori ad minus* fit, quando affertur aliquid magis probabile, verbi gratiâ, Petrus non potest gestare scamnum, ergo multò minùs poterit gestare lectum. *Argumentum à minori ad maius* fit, quando affertur aliquid minùs probabile; verbi gratia, Petrus potest gestare lectum; ergo multo magis poterit gestare scamnum. *A pari argumentamur affirmatiuè aut negatiuè; à Maiori ad minus, negatiuè tantùm, à minori ad maius affirmatiuè tantum.* Argumentum à pari nititur hoc axiomate; *ex duobus æqualiter probabilius posito vel sublato vno, ponitur vel tollitur alterum.* Argumentum à maiori ad minus, nititur hoc axiomate: *Si quod est magis probabile non est, etiam quod est minùs probabile non erit.* Argumentum verò à minori ad maius nititur hoc axiomate; *si minus probabile est, etiam magis probabile erit.*

DE TESTIMONIO.

TEstimonium est vel *diuinum*, vel *humanum* A diuino argumentamur affirmatiuè, in rebus omnibus; negatiuè vero in rebus ad salutem necessarijs eò quòd necessaria ad salutem non reperiantur nisi in verbo Dei: quæ doctrina nititur his axiomatibus; *quod Deus dixit illud est verum* & *quod Deus non dixit non est verum*; quod posterius intelligitur de rebus ad salutem necessarijs, non autem de alijs.

Testimonium humanum est vel *publicum*, vel *priuatum*, vel *scriptum*, vel *non scriptum*, vel *vetus*, vel *nouum*, vel *multorum*, vel *paucorum*, vel *sapientium*, vel *vulgi*, &c. Axioma tale est; *Credendum sapientibus potius quàm vulgo: Doctis quàm indoctis: Multis quàm paucis:* ac denique *Vnicuique artifici in sua arte credendum est.*

DE METHODO.

IN fine Logicæ solet explicari *Methodus*, quæ definitur ordo disciplinarum: *Ordo* autem est dispositio secundum prius & posterius: Estque

vel doctrinæ, vel naturæ: *Ordo Doctrinæ* à facilioribus, magis neceſſarijs, & ijs quæ inſeruiunt ad alia intelligenda progreditur: *Ordo* verò *naturæ* à prioribus naturâ ad poſteriora naturâ procedit; atque adeo à partibus ad totum, ab vniuerſalibus ad particularia, ab imperfectioribus, ad perfectiora progreditur.

Methodus duplex ponitur à Philoſophis, ſcilicet ſynthetica ſeu compoſitiua, & Analytica ſeu reſolutiua: *Synthetica* progreditur à partibus ad totum, à ſimplicibus ad compoſita, ab vniverſalibus ad particularia, à principijs & cauſis ad principiata & cauſata, & ideo ſeruat ordinem naturæ; talique Methodo traduntur communiter diſciplinæ ſpeculatiuæ: *Analytica* è contra progreditur à toto ad partes, & à fine ad media, talique Methodo tradi ſolent diſciplinæ practicæ.

FINIS LOGICÆ.

DISPVTATIO METAPHYSICA DE ENTE REALI,

Authore

DAVIDE DERODONE,
IN COLLEGIO REGIO NEMAVSENSI
Professore Philosophiæ.

NEMAVSI
Apud Balthasarem Fort.
M. DC. LXII.

PRÆFATIO MONITORIA AD NEOTERICVM.

BLANDA illa vrbanitas, quam literis,quas ad me misisti', datâ operâ aspersisti; seu verius catapotia tua medicâ manu inaurata, adeo mihi placuerunt, vt quanquam auidè deuorauerim, non fuerit tamen mihi integrum illa concoquere. Nam quoties animo meo recursat, te illa tempestate caput tuum exeruisse, quâ Metaphysica mea à nonnullis pessimè intellecta, & nimis intemperanter oppugnata, prælo submouebatur; non possum,quanquam Philosophus, animum ita moderari, quin ira aliquantulum efferuescat. Illud tamen tibi libenter condonarem, nisi modò perspicerem, postquam detonuerunt illa fulmina, quæ in Metaphysicam meam cudebantur; te spe alicuius compendij,seu potiùs meæ famæ dispendio, veterem tuam querelam nimis intempestiuè instaurare: Prudentiùs,crede mihi, fecisses,si in Peripato tuo, dum sciolorum, & maleuolorum aculeis doctrina mea impeteretur, tibi notus, omnibus ignotus delituisses;aut si tibi in animo fuisset nugas tuas venditare, & acumen puerile in scenam

Philosophiæ proferre; cautiùs tuo nomini consuluisses, si theses tuas, quas tanquam pilas, & laceros pannos mihi irritando inicis, tyroni rerum imperito, non emerito Philosopho, & ad otium anhelanti, imprudenter obiecisses. Videris tamen excusandus esse, cum animum tuum, vti fateris, putatitiæ veritatis studio turgescentem, non potueris coërcere; quippe inanis gloriæ cupiditas, cui tanquam mancipium te addixisti, & spes fallax alicuius lucelli, quæ tibi ex imminuta mea fama affulserat, adeo transuersum te egerunt, vt theses tuas illuc transmiseris, vbi acerrimis litibus de doctrina mea disceptabatur. Ego sanè nescio quo suasore, aut cur id consilij inconsultè ceperis, nisi fortè vt me meámque doctrinam in odium & inuidiam vocares; atque ita fructus quos ego ex illa Regione consueueram percipere malis artibus in commodum tuum interciperes. Non equidem inuideo, miror magis discipulum (neq; volo vt in mea verba iuret) tantopere à vestigiis sui præceptoris temere discessisse, vt illa arma, quæ ipsi Iuueni commodaueram, iugulo meo intentauerit, illáque in perniciem meam, & doctrinæ meæ, prudens & sciens conuerterit. Sed habes (bone vir) quo te soleris, dum ego factorum tuorum probè conscius hæc tibi exprobro: habes (inquam) eximium Aristotelem Platonis auditorem, qui quos fructus ex Philosophia retulit, eos omnes ad scripta eius obscuranda, famámque imminendam contulit, & instar Caprimulgi, cui te simillimum esse arbitror, postquam lac omne plenis buccis exsuxisset, totis viribus contendit illi occulos effodere. Nisi hisce artibus tu bilem mihi mouisses, ego à tuis thesibus, tanquam

à pelle

à pelle fœtida, manus meas abstinuissem: Nemo sanæ mentis camarinam monet, aut fimum stabuli Augiæ versat, quibus theses tuæ accommodè conferri possunt. Nam, vt ingenuè fatear, ego in hoc stercore ne gemmuam vllam offendi; nihil sanè in illis comperi præter ineptissimas tricas, & insulsissimas nugas, quas ego responso nunquam dignatus fuissem, nisi opellam tuam inimicis meis commodasses ad doctrinam meam oppugnandam. Sed tempus est classicum canere, & pedem conferre; neque grandia tua verba, quibus in ipso limine polliceris, te hanc quæstionem à nullo penitus pertractatam operosè discussurum, me à congressu deterrebunt: Nam norunt omnes Horatianum illud,

Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu?
Parturient montes nascetur ridiculus mus.

ARGVMENTA A NEOTERICO INSOLVBILIA.

I.

QVOD ex ſe & in ſe includit contradictoria, differt in ſe ab eo quod ex ſe & in ſe non inuoluit contradictoria. Sed Impoßibile ex ſe & in ſe inuoluit contradictoria, putà homo irrationalis, quadratum rotundum, &c. Poßibile verò ex ſe & in ſe non includit contradictoria. Ergo Impoßibile in ſe differt à Poßibili.

II. Contradictoria non ſunt idem, putà homo & non homo. Sed poßibile in ſe, & impoßibile in ſe ſunt contradictoria, quod ſic probatur. Poßibile in ſe & non poßibile in ſe ſunt contradictoria. Sed impoßibile in ſe eſt non poßibile in ſe. Ergo poßibile in ſe, & impoßibile in ſe, ſunt contradictoria. Ergo in ſe non ſunt idem; atque adeo non ſunt in ſe idem nihil, ſcilicet nihil purum.

III. Quod ex ſe ſeu in ſe eſt tale, non poteſt non eſſe tale, putà homo qui ex ſe ſeu in ſe eſt rationalis, non poteſt non eſſe rationalis. Ergo quod ex ſe ſeu in ſe eſt nihil, non poteſt non eſſe nihil. Sed poßibile poteſt non eſſe nihil, ſcilicet per productionem rei. Ergo poßibile ex ſe ſeu in ſe non eſt nihil.

IV. Quod relinquitur differt in ſe ab eo quod non relinquitur. Sed nihilitas rei poßibilis relinquitur, ſcilicet per

productionem

productionem rei; nihilitas autem rei impossibilis non potest relinqui. Ergo nihilitas possibilis; atque adeo possibile & impossibile non sunt idem nihil; cum non habeant eandem nihilitatem.

V. *Quod est coniunctum cum aliquo, differt ab eo quod non est coniunctum cum ipso. Sed nihilitas intrinseca τοῦ possibilis est coniuncta cum connotatione potentiæ productricis; non autem nihilitas intrinseca τοῦ impossibilis. Ergo nihilitas intrinseca τοῦ possibilis, & nihilitas intrinseca τοῦ impossibilis differunt; atque adeo possibile & impossibile in se & intrinsecè non sunt idem nihil; cum non habeant eandem nihilitatem.*

VI. *Eadem est ratio omnium identificatorum, id est si aliqua identificata sint idem semper, in omnibus, & omnibus modis, vt homo & animal rationale; etiam reliqua identificata. Cum igitur ex Neoterico possibile & impossibile in se sint idem, debent esse semper idem, in omnibus, & omnibus modis; atque adeo habere omnia eadem attributa, tàm absoluta, quàm connotatiua.*

METAPHYSICA
CONTRACTA;
PROOEMIVM
METAPHYSICÆ.

1. ORdo naturæ siue realis, siue rationis, & ordo doctrinæ postulant, ut absolutâ Logicâ, Metaphysicam Physicæ, cæterisque Philosophiæ partibus præmittamus. Ordo quidem naturæ; quia talis ordo postulat, ut à partibus ad totum, ab universalibus ad particularia, ab imperfectioribus ad perfectiora progrediamur; pars enim est prior naturâ toto, universale particulari: & imperfectius perfectiori, siue re siue conceptu; eò quòd hæc ab illis dependeant illa verò non dependeant ab istis, nec cum iis convertantur secundum existendi consequentiam vel re vel conceptu; ideo cognitio partis, universalis, & imperfectioris, ordine naturæ præcedit cognitionem totius, particularis, & perfectioris: At Ens quod est objectum Metaphysicæ, est pars essentialis objectorum aliarum partium Philosophiæ; cùm sit genus eorum, saltem analogum; & genus, saltem contractum, sit pars essentialis metaphysica speciei: Item, Ens est omnium universalissimum, cum cæteris omnibus latiùs pateat, & de illis sit prędicabile. Denique, Ens est omnium imperfectissimum, cum dicat solam entitatem; reliqua verò dicant entitatem & aliquid aliud: Ergo scientia de Ente, quæ est Metaphysica, ordine naturæ cæteris Philosophiæ partibus est præmittenda. Ordo doctrinæ id etiam postulat; quia talis ordo requirit, ut ea præmittantur quæ conducunt ad cognitionem aliorum, & sine quibus alia perfectè intelligi non possunt: Sed sine cognitione Entis,

Rationes cur Metaphysica cæteris Philosophiæ partibus præmittenda.

&,sine cognitione principiorum,proprietatum, & specierum generalium Entis, in quibus consistit Metaphysica, reliqua quæ traduntur in aliis Philosophiæ partibus non possunt rectè aut perfectè intelligi: Ergo Metaphysica ordine doctrinæ cæteris Philosophiæ partibus est præmittenda. Minor probatur exemplo Physicæ, in qua hæc vulgò disputantur,an materia prima habeat existentiam & subsistentiam, an materia prima sit una specie, an potentia sit de essentia materiæ, an formæ sint substantiæ vel accidentia, an quantitas distinguatur à materia, an facultates animæ identificentur cum ipsa & inter se &c. quæ intelligi non possunt sine cognitione essentiæ & existentiæ, substantiæ & accidentis,subsistentiæ & inhærentiæ, actus & potentiæ, unitatis, identitatis ac distinctionis rerum &c. At hæc omnia explicantur in Metaphysica. Adde quòd principia aliarum Philosophiæ partium pendeant proximè vel remotè à principiis metaphysicis, & probantur per ipsa,ut videbitur in progressu: Ergo sine Metaphysica reliquæ scientiæ perfectè addisci non possunt, atque adeò Metaphysica cæteris Philosophiæ partibus est præmittenda.

2. Antequam autem plenam rerum metaphysicarum tractationem aggrediamur, de quibusdam Procemii loco agemus, scilicet de Nomine, Definitione, Objecto, Causis, Proprietatibus,& Divisione Metaphysicæ.

DE NOMINE METAPHYSICÆ.

Etymologia Metaphysicæ.

3. Metaphysicæ nomen componitur ex μετὰ id est ultra aut post, & φυσικὰ id est naturalia; quia Metaphysica agit de rebus quæ limites naturæ transcendunt, & ab omni natura materiali abstrahunt: Et secundùm alios, quia post Physicam est inventa : Secundùm alios verò, quia post Physicam docenda est, quod tamen esse falsum suprà ostendimus.

Metaphysica sumitur tribus modis.

4. Metaphysica tribus modis sumitur. Primò, pro scientia Entis ab omni materia abstracti tam secundùm essentiam, quàm secundùm indifferentiam, & hoc modo non tantùm comprehendit scientiam de Ente quæ pertinet ad Metaphysicam propriè dictam;sed etiam scientiam de Deo & Angelis,quæ constituit Pneumaticam; quid sit autem abstractio ab omni materia secundum essentiam & secundum indifferentiam explicatum est in procemio Philosophiæ dum de divisione ejus. Secundò, sumitur pro scientia entis in communi duntaxat, quo pacto Metaphysica potest dici scientia de Ente quatenus est ens. Tertiò, sumitur pro scientia de Ente communi corpori & spiritui,sicque comprehendit scientiam de Ente, principiis, proprietatibus, & speciebus generalibus Entis, quæ abstrahunt à materia secundum indifferen-

differentiam tantùm: & hoc modo nunc accipitur à nobis.

5. Rursus, Metaphysica non minùs quàm quælibet alia pars Philosophiæ, distinguitur in habitualem, actualem, & objectivam: quæ non distinguuntur ab habitu, actu, & objecto Metaphysicæ: sicque Professores Philosophiæ dicuntur habere Metaphysicam habitualem, exercere Metaphysicam actualem, & docere Metaphysicam objectivam. *Distinctio metaphysicæ.*

6. Metaphysica, aliter dicitur prima Philosophia, quia agit de primo & generalissimo objecto, scilicet, de Ente: necnon de principiis primis & generalissimis, quibus aliarum disciplinarum principia probantur; ac tandem de speciebus generalibus Entis, quæ sunt communes corporibus & spiritibus, putà de substantia & accidente. *Cur Metaphysica dicitur prima Philosophia.*

DE DEFINITIONE METAPHYSICÆ.

7. METaphysica definitur scientia de Ente communi corpori & spiritui: Sicut enim datur una scientia de corpore, quæ dicitur Physica, & datur una scientia de spiritu, quæ dicitur Pneumatica: Ita debet dari una scientia generalis de iis quæ sunt communia corporibus & spiritibus, quæ dicitur Metaphysica. Ab aliis Metaphysica definitur scientia de Ente abstracto à materia secundum indifferentiam, idest de Ente quod est indifferens ad materialia & immaterialia: quæ definitio non differt à nostra, nisi quod illâ sit obscurior. *Definitio legitima Metaphysicæ.*

8. Ab aliis Metaphysica definitur scientia Entis quatenus est Ens: In qua definitione, si Ens sumatur in suppositione simplici seu in communi tantùm, & prout est transcendens, ut videtur innuere particula reduplicativa *quatenus*, certum est definitionem non esse admittendam; quia Metaphysica non tantùm agit de Ente in communi, sed etiam de speciebus generalibus Entis quæ sunt communes corpori & spiritui: At si Ens sumatur in suppositione absoluta inadæquatè, prout comprehendit rationes universales & particulares entium quibus abstractio metaphysica convenit, definitio potest admitti: Ejusmodi autem definitionem non tradimus, quia est ambigua, & nostra est facilior. *Definitio illegitima metaphysicæ.*

9. *Metaphysicam esse scientiam probatur*, quia demonstrat de suo objecto necessario, proprietates necessarias, per rationes necessarias & evidentes, putà quòd Ens sit unum & verum, quia habet essentiam. Dici posset Metaphysicam non esse scientiam, cum ens quod est objectum Metaphysicæ, non sit necessarium, sed indifferens ad necessarium & contingens. Cæterùm in definitione Metaphysicæ, scientia tenet lo- *Cur metaphysica est scientia.*

A 2

eum generis: Ordo verò seu relatio transcendentalis ad ens commune corpori & spiritui, quæ relatio designatur particulâ *de*, vel per tractans de ente communi corpori & spiritui, tenet locum differentiæ: Objectum verò, scilicet, ens commune corpori & spiritui, non est differentia, sed se habet extrinsecè ad illam tanquam terminus. De scientia actum est in Logicis dum de demonstratione, de ente agetur posteà: & cum differentia Metaphysicæ non possit intelligi sine objecto ejus, de eo breviter agendum.

DE OBIECTO METAPHYSICÆ.

Obiectum materiale & formale metaphysica.

10. QVid & quotuplex sit objectum fusè traditum est in procemio Philosophiæ & Logicæ: Nunc sunt tantùm applicanda objecto Metaphysicæ hoc pacto. *Objectum materiale Metaphysicæ*, est ens quod est commune corpori spiritui. Objectum verò ejus *formale*, est idem ens quatenus tale. *Ratio formalis quæ* & per quam est eadem entitas. *Ratio* verò *formalis sub qua* est abstractio à materia secundùm indifferentiam.

11. *Objectum per se adæquatum*, atque adeo legitimum *Metaphysicæ*, est ens commune corpori & spiritui quatenus est tale: quia ad ipsum referuntur omnia quæ tractantur in Metaphysica: vel tanquam principia, ut actus & potentia: vel tanquam proprietates, ut unum, verum, bonum: vel tanquam species, ut substantia & accidens.

Obiectum principale & minus principale metaphysica.

12. *Objectum inadæquatum principale Metaphysicæ*, est substantia: cum substantia sit nobilissima pars objecti Metaphysicæ. *Objectum verò inadæquatum minùs principale*, est quælibet alia pars objecti Metaphysicæ, putà accidens. Quando autem diximus ens esse objectum Metaphysicæ intelligendum est ens cum attributis: sic enim comprehenduntur omnia principia, & omnes conclusiones Metaphysicæ.

Obiectum quod & quo complexum & incomplexum metaphysica.

13. Rursus, *objectum quod complexum Metaphysicæ*, sunt conclusiones Metaphysicæ: Incomplexum verò, sunt subjecta earum. *Objectum quo complexum Metaphysicæ*, sunt propositiones, aut principia metaphysica, quibus probantur conclusiones Metaphysicæ: *Objectum* verò *quo incomplexum*, sunt media in principiis contenta. Denique, discursus objectivi metaphysici continentes principia & conclusiones metaphysicas, sunt *objectum per se adæquatum* & legitimum Metaphysicæ. Ens rationis, falsum transcendentale &c. sunt *objecta per accidens*.

DE

DE CAVSIS METAPHYSICÆ.

14. *Causa efficiens Metaphysicæ*, eadem est quæ Philosophiæ, de qua in procemio Philosophiæ. *Finis Metaphysicæ* est perfecta cognitio entium communium corporibus & spiritibus. *Materia ex qua Metaphysica actualis* sunt omnes actus metaphysici, ex quibus conflatur tota Metaphysica actualis *materia ex qua Metaphysica habitualis*, sunt habitus omnes partiales, per actus Metaphysicos comparati, ex quibus conflatur tota Metaphysica habitualis. *Materia ex qua Metaphysicæ objectiva*, sunt objecta omnia partialia Metaphysicæ, ex quibus fit Metaphysica objectiva totalis. *Materia in qua* seu *subjectum in quo recipitur Metaphysica*, est solus Intellectus humanus. *Materia circa quam Metaphysica*, est ejus objectum de quo suprà. Denique, *forma essentialis Metaphysicæ*, est ejus differentia essentialis, de qua etiam suprà. *Causa metaphysicæ.*

DE PROPRIETATIBVS METAPHYSICÆ.

15. *Proprietates* aut attributa *Metaphysicæ*, hæ sunt *præcipuæ* : Prima talis est : *Metaphysica est merè speculativa*, quia sistit in cognitione sui objecti, nullàque tradit præcepta de eo conficiendo; sed tantùm de eo cognoscendo : Non enim dirigimur per actus metaphysicos ad productionem entis, substantiæ, accidentis &c. sed tantùm ad cognitionem eorum. Licèt autem Metaphysica versetur circa bonum entitativum : Non tamen circa bonum morale : Et licèt versaretur circa bonum morale : Non tamen versaretur circa ipsum practicè, sed tantùm speculativè. *Metaphysica est speculativa.*

16. Secunda proprietas est ejusmodi : *Metaphysica est certior & evidentior cæteris scientiis, tum ratione objecti, tum ratione principiorum* : Ratione quidem objecti, eò quòd objecta aliarum scientiarum supponant existentiam objecti Metaphysicæ, scilicet, *entis* : cum essentialiter includant entitatem : Rursus principia Metaphysica sunt axiomata generalissima ubique terrarum recepta, atque adeo notissima : & principia aliarum scientiarum dependent à principiis Metaphysicæ, ut probabitur posteà. *Metaphysica est certior & evidentior cæteris scientiis.*

17. Tertia proprietas sic se habet : *Metaphysica est ignobilior Physicâ ratione objecti* : quia corpus, quod est objectum Physicæ, præter rationes entis & substantiæ, quæ includuntur in objecto Metaphysicæ, includit etiam rationem materiæ, quæ non includitur in objecto *Metaphysica est ignobilior physicâ.*

Metaphysicæ. Ob eandem rationem Metaphysica est ignobilior reliquis scientiis ratione objecti; quia objectum earum includit objectum Metaphysicæ, scilicet ens, & aliquid aliud: Attamen scientiæ quæ agunt tantùm de accidente aliquo, ignobiliores sunt Metaphysicà, quâ parte agit de substantia.

Metaphysica est una genere.

18. Quarta proprietas aut attributum Metaphysicæ, est ejusmodi: *Metaphysica est tantùm una genere:* quia objectum illius, scilicet, ens commune corpori & spiritui, est tantùm unum genere: scientiæ autem, habitus, & actus, specificantur ab objectis. Adde quòd scientia de substantia, & scientia de accidente, quæ sunt quasi species Metaphysicæ, specie differunt. Attamen, si Metaphysica sumatur ut totum collectivum ex omnibus habitibus partialibus Metaphysicis, erit aliquo modo una species; cum enim talis collectio habituum partialium Metaphysicorum, prædicetur de hac & illa collectione ejusmodi habituum, etiam Metaphysica prædicabitur tantùm de hac & illa Metaphysica.

Potest dici una species.

Metaphysica subalternantur reliquæ scientiæ.

19. Quinta proprietas hæc est: *Metaphysicæ subalternantur aliæ scientiæ, propriè quidem ratione principiorum, impropriè verò ratione objecti.* Ratione quidem principiorum, quia principia aliarum scientiarum dependent à principiis Metaphysicæ, ut patebit ex infrà dicendis: Ratione verò objecti, quia objecta aliarum disciplinarum & scientiarum continentur sub objecto Metaphysicæ, scilicet sub ente, tanquam species sub genere. De subalternatione scientiarum plura tradidimus in Logica, dum de Demonstratione.

Metaphysica est pars reliquarū scientiarum.

20. Sexta proprietas talis est: *Metaphysica est pars aut quasi pars reliquarum scientiarum*; eò quòd objectum Metaphysicæ sit pars objectorum reliquarum scientiarum, ut suprà: & reliquæ scientiæ desumant sæpissimè rationes suas ex Metaphysica, verbi gratiâ doctrina syllogistica quæ constituit præcipuam partem Logicæ, nititur hoc principio Metaphysico, *quæ sunt eadem uni tertio sunt eodem inter se*, ut ostendimus in Logicis dum de syllogismo: & Physica per hoc principium Metaphysicum, *impossibile est idem simul esse & non esse*, probat unum numero corpus non posse esse simul in pluribus locis, ut probabitur in Physicis.

Necessitas metaphysicæ.

21. Septima proprietas sic se habet: *Metaphysica est necessaria ad alias scientias acquirendas:* Ideo enim supra ostendimus eam esse cæteris scientiis præmittendam, quia sine ea reliquæ non possunt perfectè acquiri, propter dependentiam quam habent aliæ scientiæ à Metaphysica, tum ratione principiorum, tum ratione objecti. Adde quòd cognitio rerum specialium, de quibus tractant reliquæ scientiæ, non possit perfectè acquiri sine cognitione rerum generalium de quibus tractat Metaphysica, propter quod etiam dicitur scientia generalis. Denique suprà ostendimus eam esse necessariam Theologo, eò quòd tractet de supposito, sine cujus cognitione non possunt intelligi

intelligi mysteria Trinitatis & Incarnationis: Tractet etiam de Relatione, cujus cognitio inseruit doctrinæ de Trinitate & Sacramentis: Tractet quoque de Accidente, cujus notitia maximè conducit ad refutandos errores Pontificiorum circa Sacramentum Eucharistiæ, potissimùm autem transsubstantiationem, ut fusè probabitur posteà.

DE DIVISIONE METAPHYSICA.

22. Metaphysica dividitur in duas partes: quarum prima tractat de Ente in communi; secunda verò de speciebus generalibus entis, quæ sunt communes rebus corporeis & spiritualibus, scilicet de substantia & accidente, de qualitate, relatione &c. Illa dicitur pars communis, hæc verò dicitur pars propria. *Divisio legitima Metaphysica.*

23. Alii dividunt Metaphysicam in duas partes; quarum prima tractat de ente communi corpori & spiritui; secunda de Deo & Angelis, in quantum naturali lumine cognosci possunt: At nos primam partem continere totam Metaphysicam existimamus; secundam verò esse peculiarem scientiam quæ dicitur Pneumatica. *Divisio illegitima Metaphysica.*

PRIMA PARS METAPHYSICÆ.

DE ENTE COMMVNI.

Hæc pars dividitur in quinque capita. Primo, agitur de Ente reali & Ente rationis. Secundo, de Conceptu, Analogia, & Contractione Entis. Tertio, de Principiis & Causis Entis. Quarto, de Proprietatibus Entis, scilicet de Vnitate, Veritate, & Bonitate. Quinto, de Divisione Entis.

CAPVT PRIMVM.

De Ente reali, & Ente rationis.

Hoc Caput dividitur in duos articulos: Primò, agetur de Ratione formali Entis realis: Secundò, de Ente rationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Ratione formali Entis realis.

1 ENs vel opponitur nihilo puro, vel nihilo existentiæ actualis, vel nihilo subsistentiæ, vel nihilo positionis. *Nihil purum* dicitur illud quod est prorsus impossibile, quod nullo modo & nulla virtute potest esse, quod est repugnans, quod implicat contradictionem, & quod in suo conceptu includit prædicata contradictoria, ut Deus corporeus, quadratum rotundum, &c. Ideo *Ens prout opponitur puro nihilo*, dicitur illud quod non est

impossibile, quod est aut potest esse, quod non est repugnans, quod non implicat contradictionem & quod in conceptu suo non involuit prædicata contradictoria, ut Deus, homo &c. Hoc sensu res, antequam existant actu, non sunt purum nihil,& entitatem aliquam diminutam includunt, eò quòd non repugnet eas existere, ut alter Sol, mons aureus in territorio Genevensi &c. Hoc sensu etiam modi entium, aut accidentia, ut sessio, ambulatio, &c. verè dicuntur entia; quia non repugnat ea existere, sed sunt aut possunt esse. Denique, hoc sensu privationes & negationes possunt dici entia; quia licet sint nihil positionis, eò quòd nihil ponant, sed aliquid tollant;non tamen sunt purum nihil absolutè; eò quòd possint esse à parte rei, quatenus scilicet actu existunt aut existere possunt, ut cæcitas in oculo, carentia visus in lapide.

2. *Nihil existentiæ actualis* dicitur illud quod non existit actu, sed potest existere, ut alter Sol. Ideò *Ens prout oppositum nihilo existentiæ actualis*, est id quod actu existit, ut hic Sol qui jam illuminat mundum. Hoc sensu modi aut accidentia actu existentia, necnon privationes & negationes actu existentes, possunt dici entia; ea verò quæ non sunt actu, sed possunt esse, non sunt entia. Nihil existentiæ actualis dicitur ab aliis nihil simpliciter: Et ens prout oppositum nihilo existentiæ actualis dicitur ens simpliciter: Sicut enim ille dicitur ambulans simpliciter & præcisè, qui actu ambulat; ille verò qui non actu ambulat, sed potest ambulare, dicitur ambulans, non simpliciter & præcisè, sed ambulans potentiâ: Ita ens simpliciter dicitur illud quod actu existit; Illud verò quod non actu existit, sed potest existere, dicitur ens, non simpliciter & præcisè, sed ens potentiâ.

3. *Nihil subsistentiæ* dicitur illud quod non subsistit seu quod non existit per se, sed per aliud, scil. per substantiam cui inhæret tanquam subjecto, & à qua omnimodam habet dependentiam, ut accidentia, quæ ab Aristotele & aliis Philosophis, non tam entia quàm modi entium dicuntur. Ideo *Ens prout oppositum nihilo subsistentiæ*, dicitur illud quod per se existit aut subsistit, ut sola substantia. Et hoc sensu modi aut accidentia, privationes & negationes, non sunt entia.

4. *Nihil positionis* dicitur illud quod nec ponit, nec ponere potest aliquid in rerum natura: sed vel tollit, ut privatio & negatio; vel neq; ponit,neq; tollit, sed extrinsecè tantùm afficit, ut denominatio extrinseca putà esse visum respectu parietis. Ideo *Ens prout oppositum nihilo positionis* dicitur illud quod ponit aut ponere potest aliquid in rerum natura: Et hoc sensu potissimùm ens sumendum est, scilicet pro ente reali & positivo, quod adæquatè dividitur in substantiam & accidens.

5. Ens secundum recentiores Philosophos duobus modis sumitur, scilicet participialiter & nominaliter. *Ens participialiter* sumptum dicitur illud, quod actu existit, quia tunc concipitur à nobis ut participium inusitatum verbi *sum*, ens entis, idest existens existentis: Aliter dici-

dicitur ens actuale, ens simpliciter, & ens absolutè; quia solū ens actu existens est simpliciter ens, sicut actu ambulans est simpliciter ambulans, ut suprà Hujusmodi enti actuali & participialiter sumpto opponitur Ens in potentia, seu ens possibile physicè & proximè, quod scilicet non actu existit, sed potest existere, de quo posteà. *Ens nominaliter* sumptum dicitur illud quod habet essentiam: verùm quia ens & essentia æquè sunt obscura; ideo ens nominaliter sic clarius explicatur: ens nominaliter est ens reale positivum, quod ponit aut ponere potest aliquid in rerum natura; & secundum alios est ens oppositum puro nihilo, de quo suprà: dicitur autem ens nominaliter, quia concipitur à nobis ut nomen substantivum hoc ens, huius entis. Ab aliis dicitur ens ut ens, ens ut sic, ens præcisè, ens possibile logicè aut remotè, & ens abstractum ab ente actuali & possibili.

6. Avicenna existimavit rationem formalem entis realis consistere in existentia actuali, & ens nihil aliud esse quàm id quod actu existit. Quòd si objiciatur ei, ens actu & ens potētiâ esse diversa; atq; adeo ens non semper denotare existentiam actualē. Respondet, multum differre ens actu, & ens potentiâ, sed tantùm quatenus diversarum rerum existentiam actualem significant: Nam ens actu denotat existētiam actualem rei quæ dicitur existere actu; ens verò potentia denotat existentiam actualem potentiæ cujus beneficio res potest existere. Quare secundum Avicennam rem existere potētiâ, non est rem existere aliqua existentiâ possibili intrinsecâ: sed est ipsâ re non habente esse, existere actu potentiam productivā illius: etenim hæ duæ propositiones sunt æquipollētes, homo existit potentia, & existit potētia productiva hominis; ac si diceretur homo non existit quoad se, sed quoad potētiā idest homo non existit actu in se, sed potentia productiva hominis existit actu.

7. Hæc sententia Avicennæ sic impugnatur. Res quælibet, antequam actu existat non est purum nihil: Ergo est nonnihil seu aliquid, & per consequens entitatem quandam includit. Antecedens sic probatur: Purum nihil est prorsus impossibile, atque adeo pro omni tempore est improducibile, idest nunquam potest produci, & nunquam potest terminare actionem efficientis: Sed res antequam actu existat non est eiusmodi; eò quòd sit possibilis, producibilis, & capax terminandi actionem efficientis pro aliquo tempore. Et reverà, si res possibilis esset in se purum nihil, sequeretur possibile non differre ab impossibili, quod etiam est purum nihil: cum inter duo pura nihil nulla sit differentia; sicque homo possibilis, & chimæra impossibilis non differrent, quod absurdum.

8. Respondet Avicenna, hominem possibilem, & chimæram impossibilem, non differre realiter, si spectentur absolutè & in se, quia utrumque in se nihil est: Sed differre connotativè; eò quòd homo possibilis connotet potentiam productivam hominis; chimæra verò impossibilis connotet negationem potentiæ productivæ chimeræ.

9. Contra hanc Responsionem sic arguo. Primò, si homo possibilis & chimæra impossibilis in se & absolutè non differant realiter, non debent etiam differre connotativè: Si enim in se & absolutè sint idem, non potest reddi ratio cur homo possibilis connotet potentiam Dei, & aliquo modo contineatur in ea, non autem chimæra impossibilis: Nam Deus, aut potentia ejus, æqualiter & eodem modo respicit ea quæ sunt paris conditionis, & quæ sunt idem realiter in se: Et concipi non potest quomodo ea quæ in seipsis sunt unum & idem, habeant diversa attributa & connotata.

10. Secundò, Quod ex se & in se includit contradictoria, differt in se ab eo quod ex se & in se non involuit contradictoria: Sed impossibile ex se & in se involuit contradictoria, putà homo irrationalis, quadratum rotundum, &c. Possibile verò ex se & in se non includit contradictoria. Ergo impossibile in se differt à Possibili.

11. Tertiò, Contradictoria non sunt idem putà homo & non homo. Sed possibile in se, & impossibile in se sunt contradictoria, quod sic probatur. Possibile in se & non possibile in se sunt contradictoria. Sed impossibile in se est non possibile in se. Ergo possibile in se, & impossibile in se, sunt contradictoria. Ergo in se non sunt idem; atque adeo non sunt in se idem nihil, scilicet nihil purum.

12. Quartò, Quod ex se seu in se est tale, non potest non esse tale, putà homo qui ex se seu in se est rationalis non potest non esse rationalis. Ergo quod ex se: & in se est nihil, non potest non esse nihil Sed possibile potest non esse nihil scilicet per productionem rei. Ergo possibile ex se seu in se non est nihil.

13. Quintò, Quod relinquitur differt in se ab eo quod non relinquitur. Sed nihilitas rei possibilis relinquitur, scilicet per productionem rei, nihilitas autem rei impossibilis non potest relinqui. Ergo nihilitas τοῦ possibilis & nihilitas τοῦ impossibilis, atque adeo possibile & impossibile non sunt idem nihil; cum non habeant eandem nihilitatem.

14. Sextò, Quod est cõjũctũ cũ aliquo differt ab eo quod non est cõjũctũ cũ ipso. Sed nihilitas intrinseca τοῦ possibilis est cõjũcta cũ cõnotatione potẽtiæ productricis; non autem nihilitas intrinseca τοῦ impossibilis. Ergo nihilitas intrinseca τοῦ possibilis, & nihilitas intrinseca τοῦ impossibilis differunt; atque adeò possibile & impossibile in se & intrinsecè non sunt idem nihil, cùm non habeant eandem nihilitatem.

15. Septimò, Eadem est ratio omnium identificatorum id est si aliqua identificata sint idem semper, in omnibus, & omnibus modis, ut homo & animal rationale; etiam reliqua identificata. Cum igitur ex Neoterico possibile & impossibile in se sint idem, debent esse semper idem in omnibus, & omnibus modis; atque adeo habere omnia eadem attributa tàm absoluta, quàm connotativa.

16. Sententia nostra confirmatur, & Avicennæ sententia impugnatur ex eò quòd possibile & impossibile differant materialiter & formaliter; atque adeo non possint esse duo pura nihila inter quæ nulla

est differentia. Quod possibile & impossibile different materialiter sic probatur: Entitas actualis & entitas possibilis sunt prorsus una & eadem entitas sicut enim Petrus, qui modo est actualis, idem antequam existeret fuit possibilis; & qui fuit possibilis nunc est actualis: Ita & entitas Petri quæ identificatur cum Petro, eadem nunc est actualis quæ fuit possibilis, & eadem fuit possibilis quæ nunc est actualis, unde Philosophi dicunt possibile esse concretum significans in recto subjectum, & in obliquo formam aut quasi formam, sicut reliqua concreta Possibile in recto, quod est materiale significatum τῶ possibilis, & subjectum possibilitatis, id est, habens possibilitatem est ipsum ens, ipsa entitas, ipsa realitas, ipsa actualitas, & ipsa existentia actualis, quam res habet actu, postquam est producta & actu existit, si sit creatura: Nam illud est subjectum possibilitatis, & designatur pro materiali τῶ possibilis, quod antequam produceretur & existeret denominabatur possibile: Sed ipsa Petri verbi gratià realitas & actualitas, ante productionem Petri, denominabatur possibilis. Ergo ipsa realitas & actualitas Petri erat subjectum possibilitatis, & designabatur pro materiali τῶ possibilis: Minor quæ sola in controversiam cadere potest, sic probatur. Illud ante productionem denomibatur possibile & producibile, quod produci potest, & quod positâ productione denominatur productum & existens; Sed ipsa realitas & actualitas Petri, antequam producatur, produci potest, & positâ productione denominatur producta & existens; Ergo ipsa realitas & actualitas Petri, antequam producatur, denominatur possibilis: At subjectum impossibilitatis, seu materiale τῶ impossibilis est purum nihil, non entitas, non realitas: Ergo possibile & impossibile differunt materialiter.

17. Possibile & impossibile differre etiam formaliter & in obliquo, scil. ratione possibilitatis & impossibilitatis, sic probatur. Possibilitas distingui solet à Philosophis in logicam & physicam. *Possibilitas logica* explicatur per non repugnantiam seu per non inclusionem prædicatorum contradictoriorum: Et ideo ens possibile logicè dicitur id quod non repugnat, seu quod in conceptu suo non involuit prædicata contradictoria, sive actu existat, sive non, ut Deus, Angelus, homo, alter Sol, alter mundus, &c. *Impossibilitas* verò *logica* explicatur per repugnãtiam seu per inclusionem prædicatorum contradictoriorum: Et ideo illud dicitur impossibile logicè quod est repugnans aut involuit prædicata contradictoria, ut Deus corporeus Angelus lapideus, homo irrationalis, &c. *Repugnantia* explicatur per suppositionem alicujus, ex cujus positione fictâ sequuntur contradictoria: putà homo irrationalis est quid repugnans; quia supposito per impossibile quòd homo est irrationalis, simul essent duo prædicata contradictoria, scilicet rationale & non rationale; siquidem homo dicit essentialiter rationale, irrationale verò dicit essentialiter non rationale: *Non repugnantia* autem explicatur per suppositionem existentiæ alicujus, ex qua non sequun-

iut contradictoria; putà homo doctus non est quid repugnans; quia ex suppositione quòd homo esset doctus, non essent duo prædicata contradictoria; cum ratio hominis non neget rationem docti, & ratio docti non neget rationem hominis: Repugnantia seu contradictio cognoscitur duobus modis; primò immediatè quando termini repugnantes explicitè contradictorii cognoscuntur, ut homo & non homo; secundò mediatè, quando scilicet termini repugnantes implicitè tantùm contradictorii cognoscuntur, ut electio universalis; universale enim dicit omnia, electio verò dicit non omnia; omnia autem & non omnia sunt explicitè contradictoria, electio verò universalis implicitè tantùm. Iam probo possibile & impossibile logicè, si sumantur formaliter & in abstracto pro possibilitate & impossibilitate logica, distingui realiter hoc pacto: Repugnantia & non repugnantia distinguuntur realiter, cum sint contradictoria: Sed impossibilitas logica est repugnantia, possibilitas verò logica est non repugnantia: ergo possibilitas & impossibilitas realiter distinguuntur: Idque in se, non autem connotativè tantùm; quia independenter ab omni alio sunt tales.

18. *Possibilitas physica* tria potissimùm dicit, primò, non repugnantiam rei, de qua suprà: Secundò, carentiam existentiæ actualis ipsius rei: Tertiò, connotationem potentiæ activæ seu productivæ rei. At secundum hæc tria, possibilitas physica differt ab impossibilitate physica: De primo res est clara; nam repugnantia differt realiter à non repugnantia, ut suprà: at impossibilitas physica dicit repugnantiam, possibilitas verò physica dicit non repugnantiam; ergo impossibilitas physica differt à possibilitate physica: De secundo sic probatur; carentia existentiæ, quæ est privatio ejus, differt à carentia existentiæ, quæ est pura ejus negatio, cum privatio possit tolli, negatio verò non possit tolli privatio dicat aptitudinem, negatio verò ineptitudinem; sed possibilitas physica dicit carentiam existentiæ, quæ est privatio aufetibilis à re per productionem, & conjuncta necessariò cum aptitudine existendi; impossibilitas verò physica dicit carentiam existentiæ, quæ est pura ejus negatio, inseparabilis, & conjuncta cum ineptitudine existendi; ergo possibilitas physica differt ab impossibilitate physica. Tertium, scilicet, quòd differant connotativè admittitur passim ab Adversariis. Alii addunt potentiam entitativam enti possibili intrinsecam, de qua alibi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Ente Rationis.

1. ACturi de Ente rationis, primò communem Philosophorum sententiam de Ente rationis explicabimus, secundò nostram

nostram proponemus & confirmabimus, tertiò Argumenta Adversariorum dissolvemus.

SENTENTIA COMMVNIS

De Ente Rationis.

2. Sententia communis de ente rationis his assertionibus continetur. Primò Philosophi communiter statuunt ens rationis habere esse in intellectu: Tribus autem modis aliquid habere esse in intellectu existimant, scilicet effectivè, subjectivè, & objectivè. *Illud dicitur esse in intellectu effectivè*, quod efficitur ab intellectu, ut artefacta quæ fiunt ab intellectu dirigente, & cognitiones intellectuales quæ exercentur ab intellectu. *Illud dicitur esse in intellectu subjectivè*, quod recipitur in ipso, ut cognitiones intellectuales, artes aut scientiæ &c. *Illud verò dicitur esse in intellectu objectivè*, quod objicitur & repræsentatur intellectui, uno verbo quod cognoscitur ab intellectu, est objectivè in ipso, idest est objectum ipsius intellectus. *Esse in intellectu effectivè, subjectivè, objectivè.*

3. Philosophi ferè omnes volunt entia rationis quæ habent esse effectivè aut subjectivè in intellectu, esse entia realia, atque adeò esse tantùm impropriè entia rationis: Statuunt autem ens rationis propriè dictum habere esse objectivè in intellectu. Duobus autem modis aliquid habere esse objectivè in intellectu arbitrantur, scilicet objectivè & realiter simul, & objectivè tantùm. *Illud dicitur habere esse objectivè & realiter simul*, quod cognoscitur quidem ab intellectu, sed præterea realiter existit aut potest existere, ut asinus ab intellectu cognitus. *Illud* verò *dicitur habere esse objectivè tantùm in intellectu*, quod non aliter existit nisi quatenus cognoscitur ab intellectu, idest quod cognoscitur quidem, sed nihil aliud habet quàm cognosci. *Esse objectivè in intellectu duobus modis dicitur.*

4. Omnes ferè Philosophi describunt *Ens rationis* id quod habet tantùm esse objectivè in intellectu, idest quod nullum aliud habet esse quàm cognosci: uno verbo ens rationis est quod fingitur ab intellectu, attamen nec est realiter, nec potest esse realiter: Nam cum ens reale & ens rationis concipiantur ab Adversariis tanquam duæ species aut quasi species entis, necesse est ut ens reale non possit esse ens rationis, & ens rationis non possit esse ens reale. *Descriptio entis rationis.*

5. Philosophi dicunt entia rationis aut figmenta ejus fieri ab intellectu, vel quando apprehenditur non ens per modum entis, putà cùm apprehenditur cæcitas per modum formæ realis visui oppositæ; *Quot modis ens rationis fieri dicitur.*

vel quando apprehenditur unum ens tanquam aliud ens, putà cùm apprehenditur aurichalcum tanquam aurum, homo tanquam asinus &c. vel cum apprehenditur impossibile, putà cùm apprehenditur Deus corporeus, homo irrationalis &c. Alii volunt intellectum, dum cognoscit non ens facere ens rationis quia dum cognoscit non ens, facit non ens cognitum: Sed non ens cognitum est ens rationis: siquidem non ens cognitum habet tantùm esse objectivè actu in intellectu.

Divisio entis rationis in fundatum & non fundatum.

6. Philosophi dividunt *ens rationis* in fundatum & non fundatum: *fundatum* habet in re aliquod fundamentum, ut relatio filii ad patrem mortuum: *Non fundatum* verò caret omni fundamento, ut chimæra. In non fundato, Intellectus purè & ex arbitrio suo quaslibet res diversissimas conjungit & fingit: in fundato verò nequaquam: verbi gratiâ in tenebris concipiendis, intellectus non potest uti libertate suâ, sed necessariò debet eas concipere per modum formæ realis & luci repugnantis, putà per modum nigredinis aëri superfusæ & luci quasi albedini oppositæ.

Divisio entis rationis fundati.

7. Philosophi existimant entia rationis non fundati innumeras species esse posse, quia intellectus humanus in variis impossibilibus fingendis nullis limitibus coërcetur: At ens rationis fundatum dividunt in privationem, negationem, & relationem: quibus alii addunt ens absolutum apprehensum alio modo quàm esse possit, ut Deus apprehensus ad modum longævi senis luce circumfusi, Angelus apprehensus ad modum juvenis alati. Invidia apprehensa ad modum furiæ carnes suas arrodentis &c.

Privatio & negatio duobus modis concipiuntur.

8. Philosophi ordinariè docent, privationem & negationem duobus modis concipi posse; primò, prout sunt à parte rei, putà cæcitas concepta prout est carentia visus in oculo, & sic privationes & negationes non sunt entia rationis; secundò, prout à nobis concipiuntur ad modum verorum entium, & sic sunt entia rationis. Addunt autem proprium conceptum negationis aut privationis esse, ut concipiatur veluti forma quædam sic opposita formæ reali quam negat, ut nequidem divinitus cum ea esse possit, ita tamen ut negatio occupet subjectum ineptum, privatio verò aptum: Porrò utriusque conceptus objectivi partes omnes sunt reales; Nam concipitur forma realis in subjecto reali existens, & repugnantia realis cum alio forma reali, sed totum conflatum ex illis est ens rationis: Idémque dicendum de conceptu objectivo relationis rationis; quam cum intellectus fingere dicitur, verum habet conceptum relationis realis; sed aberrat à vero, quia vel illam tribuit subjecto cui convenire non potest, vel ei tribuit terminum quem habere non potest.

Occasio excogitandi entia rationis.

9. Philosophi occasionem excogitandi entia rationis trahunt vel ex fœcunditate quadam intellectus, qui potest ex veris entibus ficta conficere,

conjungendo ea quæ realiter conjungi non possunt, & distinguendo aut dividendo ea quæ realiter distingui aut dividi non possunt, quomodo fingit chimæram, centaurum, & alia impossibilia: vel ex difficultate objecti, quod cum superet ingenii nostri capacitatem, non tamen aviditatem, concipitur alio modo quàm esse possit, ut cum concipitur Angelus ad modum juvenis alati: vel ex imbecillitate intellectus, qui volens negationes concipere, nihil autem intelligens nisi ens reale, ipsas negationes concipit instar entium realium, putà concipit tenebras tanquam nigredinem aëri superfusam. Asserunt autem similitudinem esse præcipuum fundamentum & quasi matrem entium rationis fundatorum; verbi gratiâ tenebræ non finguntur quocúnque modo, sed nigredo quæ illis similis dicitur, pro illis substituitur; unde intellectus tenebras ad modum nigredinis apprehendit: sic Deus pingitur formâ longævi hominis luce circumfusi, quia durationem immortalitati conjunctam comparare nescimus ulli eorum rerum quas cognoscimus, meliùs quàm homini longævo, venerabili propter canitiem, & luce incorruptibili circumdato.

Similitudo est præcipuum fundamentum entium rationis.

10. Denique, Philosophi statuunt ens rationis propriè dictum, nec à voluntate, nec ab appetitu sensitivo, nec à sensu externo sive interno, sed à solo intellectu aut ratione fieri posse, unde dicitur ens rationis. Addunt autem Deum non facere ens rationis, quia facere ens rationis est fingere aliquid esse quod tamen esse non potest realiter; aut fingere aliquid esse non posse, quod tamen realiter est aut esse potest: At Deus hæc non potest fingere, quia cognoscit res prout sunt, & in sua cognitione est infallibilis.

Ens rationis fit à solo intellectu.

Deus non facit ens rationis.

SENTENTIA NOSTRA.
De Ente Rationis.

11. Sententia nostra de ente rationis est, *non posse dari ens rationis*, atque adeò non posse fieri ab intellectu humano multò minùs ab angelico aut divino: & per consequens frustrà ejus definitionem, divisionem, causas, & proprietates inquiri. Non posse autem dari ens rationis probamus his argumentis.

Non potest dari ens rationis.

12. Argumentum primum sic procedit: Ens rationis fit, & est ens tantùm quandò cognoscitur concipitur & apprehenditur ab intellectu: siquidem ens rationis dicitur illud quod habet tantùm esse objectivè in intellectu, idest quod non habet aliud esse quàm objici intellectui, seu cognosci ab ipso: Sed ens rationis non potest cognosci, concipi & apprehendi ab intellectu, quod sic probatur. Impossibile realiter non potest cognosci aut concipi: Sed ens rationis est impossibile realiter, si enim esset possibile realiter, posset existere realiter, &

Ens rationis non potest concipi, quia est purum nihil.

esset ens reale, saltem possibile, quod implicat: Ergo ens rationis non potest cognosci aut concipi. Major quæ sola in controversiam cadere potest sic probatur: Purum nihil realiter non potest concipi: Sed impossibile realiter est purum nihil realiter, ut probatum est suprà. Ergo impossibile realiter non potest concipi. Hæc major sic probatur: Quando intellectus concipit aliquid, tunc format aut habet imaginem ejus quod concipit, putà quando concipit asinum, format aut habet imaginem asini: Sed intellectus non potest formare aut habere imaginem puri nihili realiter: Ergo intellectus non potest concipere purum nihil realiter, atque adeò purum nihil realiter non potest concipi. Hæc minor sic probatur: Quando quis format aut habet imaginem alicujus objecti, potest sese reflectere supra eam, putà si quis formet aut habeat imaginem asini, potest sese reflectere supra eam, & apud se dicere aut cogitare, hanc partem imaginis asini repræsentare aures asini tali modo, putà longas, & illam partem ejusdem imaginis repræsentare pedes asini certo modo &c. Sed non potest quis sese reflectere supra imaginem puri nihili realiter, nec potest dicere quomodo se habeat ejusmodi imago puri nihili, & quomodo repræsentet purum nihil aut partes ejus: Ergo non potest quis formare aut habere imaginem puri nihil realiter.

Ens rationis non est verum transcendentale, atque adeò est intelligibile.

13. Secundum argumentum sic se habet: Omne cognoscibile aut intelligibile est verum transcendentale, sicut omne appetibile est bonum transcendentale: Cum tale verum explicetur à Philosophis per intelligibile, & tale bonum explicetur ab ipsis per appetibile, idque probabitur infrà dum de vero & bono: Sed ens rationis non est verum transcendentale, cum tale verum sit ens reale aut proprietas ejus, ut probabitur infrà dum de vero: ens autem rationis nec sit ens reale, nec proprietas ejus: Ergo ens rationis non est intelligibile: Quòd si non sit intelligibile non potest habere esse objectivè in intellectu: & per consequens non potest dari ens rationis.

14. Respondent Adversarii, impossibile seu non ens purum, prout tale, scilicet prout impossibile, seu non ens purum, non posse concipi: & hoc pacto ens rationis non est impossibile aut non ens ut tale: At impossibile per modum possibilis, & non ens per modum entis, posse concipi: & hoc pacto ens rationis est impossibile, aut non ens conceptum scilicet per modum possibilis & entis. Addunt, impossibile & non ens conceptum per modum possibilis & non entis esse verum eo modo quo est ens: Atque adeò sicut est tantùm ens rationis, sic est tantùm verùm rationis.

Non potest apprehendi unum ens

15. Contra hanc responsionem formatur tertium nostrum argumentum hoc pacto: Tunc tantùm fit & est ens rationis: vel cùm apprehenditur unum ens tanquam aliud ens, putà homo tanquam asinus: vel cùm apprehenditur impossibile aut non ens per modum possibilis aut entis, putà tenebræ per modum nigredinis. Sed non potest

appre-

apprehendi unum ens tanquam aliud ens: Nec potest apprehendi impossibile & non ens per modum possibilis & entis, quod sic probatur. Quoties res aliqua apprehenditur, quæ non est res quæ designatur apprehendenda, non apprehenditur illa res quæ designatur apprehendenda, sed apprehenditur aliquid aliud, putà si quis apprehendat hominem pro asino quem apprehendendum designarat: Ille nullo modo asinum, sed hominem apprehendit atque adeò non apprehendit asinum tanquam hominem, cum nullo modo apprehendat asinum: sicut qui designarat pingere asinum, & pinxit hominem, verè pinxit hominem non autem asinum; atque adeò non pinxit asinum tanquam hominem, cum nullo modo pinxerit asinum; quocirca fuit quidem deceptus, quia primæ ejus intentioni non respondet effectus: Non tamen apprehendit aut pinxit unum tanquam aliud. Similiter, si velim apprehendere impossibile & non ens; & apprehendam aliquid possibile & ens: Non apprehendo impossibile & non ens tanquam possibile & ens; quare decipior quidem, quia designatam apprehendere impossibile & non ens, cum tamen ipsum non apprehendam; at sic non facio ens rationis.

tanquam aliud ens, nec impossibile per modum possibiles.

16. Hoc tertium argumentum sic confirmatur. Si apprehenderetur verbi gratiâ homo tanquam asinus; vel formaretur conceptus solius hominis, & sic non repræsentaretur asinus, atque adeò non apprehenderetur homo tanquam asinus; vel formaretur conceptus solius asini, & sic non repræsentaretur homo, atque adeò non apprehenderetur homo tanquam asinus, ut enim apprehendatur homo tanquam asinus, & homo & asinus debent apprehendi; vel formaretur conceptus hominis habentis formam exteriorem asini; & sic repræsentare ut aliquid realiter possibile; Deus enim potest producere hominem habentem formam exteriorem asini; atque adeò non fieret ens rationis, quod non potest esse reale; quòd si homo cum forma exteriori asini esse non possit, certè res concepta cum tali forma non erit homo; & per consequens nullo modo concipietur homo, tantùm abest ut tunc concipiatur homo tanquam asinus; vel formaretur conceptus hominis similis asino in aliqua qualitate, purà in stolidìtate; adeò ut homo diceretur asinus, idest stolidus; sicut in Evangelio Herodes dicitur vulpes, idest astutus; & sic repræsentaretur etiam aliquid possibile realiter, cum homo possit esse realiter stolidus; atque adeò non fieret ens rationis; vel formarentur conceptus hominis & asini duntaxat; & sic unus conceptus verè repræsentaret hominem, & alter verè repræsentaret asinum; atque adeò non repræsentaretur homo tanquam asinus; nec fieret ens rationis; vel formatis conceptibus hominis & asini prorsus diversis, intellectus judicaret hominem esse asinum; sed hoc judicare non potest; siquidem homo in suo conceptu & essentialiter includit rationale, asinus verò essentialiter & in conceptu suo includit irrationale;

Homo non potest apprehendi tanquam asinus.

eſt autem impoſſibile ut Intellectus apprehendat aut judicet rationale eſſe irrationale, ob contradictionem manifeſtam quæ eſſet in intellectu; Et cum judicare ſit aſſenſum præbere, non poteſt capi quomodo Intellectus præbeat aut præbere poſſit hunc aſſenſum, ſcilicet quòd rationale ſit irrationale; Et cum hæ propoſitiones homo eſt aſinus, rationale eſt irrationale, denotent identitatem inter hominem & aſinum, & inter rationale & irrationale, impoſſibile eſt ut Intellectus judicet hominem & aſinum eſſe idem, rationale & irrationale eſſe idem: vel apprehenderetur homo cum forma eſſentiali aſinina, ideſt apprehenderetur homo habens formam eſſentialem aſini, & ſic apprehenderetur aliquid quod eſſet ſimul homo & aſinus, rationale & irrationale, quod de eadem entitate ſeu naturâ dici non poteſt, ob rationem allatam: an verò id dici & concipi poſſit de pluribus entitatibus ſeu naturis, ſcilicet de humanitate & aſinitate hypoſtaticè unitis, ideſt unum ſuppoſitum, aut unum totum ſuppoſitale conſtituentibus determinabitur in ſecunda parte dum de ſuppoſito: hîc tantùm dicimus, id vel eſſe poſſibile realiter, vel impoſſibile realiter: ſi poſſibile poteſt eſſe reale, & realiter exiſtere citra omnem mentis operationem, atque adeò non poteſt eſſe ens rationis: ſi impoſſibile, eſt purum nihil, quod non poſſe concipi ſuprà oſtendimus, & ideo non poteſt eſſe ens rationis: vel denique deſignato homine apprehendendo apprehenderetur aſinus, & ſic formaretur tantùm conceptus aſini, & nullo modo apprehenderetur homo, atque adeò non apprehenderetur homo tanquam aſinus: unde foret quidem deceptio, non tamen fieret Ens rationis, ut ſuprà.

Non ens aut impoſſibile apprehendi non poteſt tanquam ens aut poſſibile.

17. Similiter, ſi apprehenderetur non ens ſeu impoſſibile tanquam ens ſeu poſſibile: vel formaretur conceptus ſolius non entis aut impoſſibilis, & ſic non repræſentaretur ens & poſſibile, atque adeò non apprehenderetur non ens & impoſſibile tanquam ens & poſſibile: vel formaretur conceptus ſolius entis & poſſibilis, & ſic non repræſentaretur non ens & impoſſibile, atq; adeò non apprehenderetur non ens & impoſſibile tanquam ens & poſſibile; ut enim apprehendatur non ens & impoſſibile tanquam ens & poſſibile, non ens & ens, poſſibile & impoſſibile debent apprehendi: vel formarentur conceptus entis & non entis, poſſibilis & impoſſibilis: & ſic unus conceptus verè repræſentaret ens & poſſibile, & alter verè repræſentaret non ens & impoſſibile, & per conſequens non conciperetur non ens & impoſſibile tanquam ens & poſſibile, atque adeò non fieret ens rationis: adde quòd non poſſit formari conceptus non entis & impoſſibilis quod eſt purum nihil, ut ſuprà: vel formatis conceptibus entis & non entis, poſſibilis & impoſſibilis, Intellectus judicaret non ens eſſe ens, & impoſſibile eſſe poſſibile: ſed hoc judicare non poteſt ob contradictionem manifeſtam quæ eſſet in intellectu: & quia non poteſt judicare, ens & non ens, poſſibile & impoſſibile eſſe idem: vel denique deſi-

gnato

gnato non ente & impossibili apprehendendo, apprehenderetur ens & possibile: & si formaretur tantùm conceptus entis & possibilis, & nullo modo apprehende.e ut non ens & impossibile, atque adeò non apprehendere ut non ens & impossibile tanquam ens & possibile; unde foret deceptio, non tamen fieret ens rationis, ut suprà.

DE ARGVMENTIS ADVERSARIORVM & solutionibus eorum.

18. *Argumenta Adversariorum contra doctrinam à nobis positam hac sunt pracipua.* Primum argumentum sic procedit: *Tunc fit Ens rationis quando apprehenditur res aliter quàm esse potest: Sed Ethnici qui errantes apprehenderunt multos Deos, apprehenderunt rem, scilicet Deum, aliter quam esse potest, cum unus tantum Deus esse possit: Ergo Ethnici fecerunt Ens rationis.*

19 Respondetur, rem non posse concipi aliter quàm esse potest: sicut enim res non potest esse à se diversa: sic non potest concipi à se diversa quando autem concipitur diversa, non concipitur illa res, sed alia. Quare Ethnici, qui errantes apprehenderunt multos Deos, non apprehenderunt ens incommunicabile & non multiplicabile, quod est Deo essentiale, sed apprehenderunt multiplicabile, quod repugnat Deo: atque adeò non apprehenderunt verum Deum, sed apprehenderunt alia entia possibilia Deo in quibusdam similia: Errarunt autem, quia non apprehenderunt id quod nomine Dei propriè intelligitur, cum tamen designassent ipsum apprehendere: sicut enim ille errat qui cum vellet pingere asinum pinxit equum, nullo autem modo pinxit asinum, licet rem veram pinxerit scilicet equum: Ita qui errat, intelligit rem veram, sed non rem quam investigabat, & habebat in votis cognoscere. Dici etiam posset cum Augustino lib. 4. de civitate Dei cap. 11. Ethnicos agnovisse non plurimos Deos, sed unus Dei optimi maximi virtutes plurimas, quæ omnes & singulæ sunt Deus, Deumq; ipsum variis nominibus appellasse, etiamsi fortè profanum vulgus his nominibus illuderetur: unde illud Poëtæ, *Deum námque ire per omnes, terrarum tractúsque maris cœlúmque profundum:* Et ipse in æthere sit Iupiter, in aëre Iuno, in mari Neptunus, in terra aut inferis Pluto, in fabrorum fornacibus Vulcanus, in divinatoribus Apollo, in mercatoribus Mercurius in tempore Saturnus, in bellis Mars & Bellona &c. tandem sic concludit, *omnia qua dixi, & quacúnque non dixi, omnes Dii Deaque sunt unus Deus.*

Ethnici apprehenderunt multos Deos non apprehenderunt Deum verum.

20. Argumentum secundum sic se habet: *Potest apprehendi res aliter quàm est,* putà potest apprehendi Petrus sedens qui tamen stat,

Paulus doctus qui tamen est ignarus &c. Potest etiam apprehendi mons aureus in territorio Genevensi qui tamen non est, potest apprehendi domus in aëre, & alia similia possunt apprehendi, quæ sunt entia rationis : *Ergo dantur entia rationis, factibilia ab intellectu humano.*

Res potest apprehendi aliter quam est secundum accidentalia, non secundum essentialia.

21. Respondetur, posse apprehendi rem aliter quàm est secundum accidentalia, non tamen secundum essentialia : si enim res concipiatur aliter quàm est secundum essentialia, non concipitur illa res, sed alia : eò quòd essentia rei sit ipsa res : si verò concipiatur res aliter quàm est secundum accidentalia, concipitur aliquid possibile realiter : Quod autem tale est non habet tantùm esse objectivè in intellectu, atque adeo non est ens rationis. Quare, quoties res apprehendi ut sine implicantia, idest cum adjuncto quod non repugnat essentiæ, toties apprehenditur aliquid reale, saltem possibile. Item possumus apprehendere Petrum sedentem qui tamen stat, quia Petrum esse sedentem est possibile : & possumus apprehendere Petrum doctum qui tamen est ignarus, quia Paulum esse doctum est possibile : Item possumus apprehendere montem aureum in territorio Genevensi, quia termini non sunt repugnantes, & mons aureus in territorio Genevensi divinitus est possibilis, atque adeò est ens reale possibile, & ens reale secundum quid, non autem ens rationis, quod prorsus est impossibile.

22. Argumentum tertium tale est : *Impossibile apprehensum habet tantùm esse objectivè in intellectu, atque adeò est ens rationis : Sed potest apprehendi impossibile*, quod sic probatur : Impossibile est Petrum hac horâ stantem esse sedentem hac eadem horâ ; Ergo si quis apprehendat Petrum qui hac horâ stat, esse sedentem hac eadem horâ, apprehendet aliquid impossibile : At Petrum sic posse apprehendi nemo potest negare.

Impossibile vel absolute, vel ex hypothesi, hoc potest apprehendi, non illud.

23. Respondetur distinguendum esse duplex impossibile, unum ex hypothesi, & alterum absolutè : Impossibile ex hypothesi dicitur illud quod est tale suppositione aliquâ factâ duntaxat, unde non repugnat essentiæ rei, & si existeret nulla inde sequeretur contradictio : verbi gratiâ alterum mundum existere est impossibile ex hypothesi, supposito scilicet quod Deus decreverit non creare alterum mundum ; Attamen absolutè & in se non repugnat existere, & si alter mundus existeret, nulla inde sequeretur contradictio : Impossibile verò absolutè dicitur illud quod est tale nullâ suppositione factâ, ideo repugnat essentiæ, & si existeret inde sequeretur contradictio, putà Deum esse corporeum, hominem esse irrationalem &c. Impossibile absolutè, si apprehenderetur, haberet tantùm esse objectivè in intellectu, atque adeò esset ens rationis : At ego existimo impossibile absolutè non posse apprehendi ob rationes suprà allatas : Impossibile autem ex hypothesi, si apprehendatur, non est ens rationis,

nec

nec habet tantùm esse objectivè in intellectu : siquidem tale impossibile ex hypothesi est ens reale possibile absolutè, nullam repugnantiam aut contradictionem involuens. Ad argumentum igitur in forma respondetur Petrum qui hac horâ stat, esse sedentem hac eadem horâ esse impossibile, non absolutè, sed ex hypothesi supposito scilicet quòd stet : & si quis apprehendat Petrum qui hac horâ stat esse sedentem hac eadem horâ, apprehendere aliquid impossibile ex hypothesi, non absolutè, atque adeò non facere ens rationis. Quòd si Adversarii instent, & dicant, Petrum stantem esse sedentem, esse impossibile absolutè, cum stans non possit absolutè esse sedens. Respondetur, Petrum stantem reduplicativè prout stantem seu in sensu composito, esse sedentem, esse impossibile absolutè, quia statio includit in suo conceptu negationem sessionis : At certum est etiam stantem ut stantem, idest apprehensum ut stantem in sensu composito, non posse apprehendi sedentem. Quare Petrus qui stat potest quidem apprehendi sedens, & Petrus qui apprehenditur stans in sensu diviso seu pro alio tempore potest apprehendi sedens: Sed Petrus qui apprehenditur stans, in sensu composito seu pro eodem tempore quo apprehenditur stans, non potest apprehendi sedens, ob contradictionem quæ esset in intellectu.

24. Argumentum quartum, quod potest esse instantia tertii, sic formatur. *Impossibile absolutè apprehensum habet tantùm esse objectivè in intellectu, atque adeò est ens rationis : Sed potest apprehendi impossibile absolutè*, scilicet chimæra, centaurus, hominem esse lapidem &c. *Ergo potest fieri ens rationis.* *Impossibile absolute apprehenditur ratione eorū quæ falsò dicuntur par.*

25. Respondetur, non posse apprehendi quod est absolutè impossibile, sed tantùm ea quæ falsò dicuntur partes ejus : verbi gratiâ non possumus apprehendere hominem esse lapidem seu identitatem hominis cum lapide, licet possimus apprehendere hominem & lapidem, nimirùm per duos conceptus, quorum unus repræsentet hominem, & alter repræsentet lapidem : Non possumus apprehendere hominem & equum esse unum animal quod dicitur Centaurus, licet possimus apprehendere hominem & æquum : Non possumus apprehendere leonem capram & draconem esse unum animal quod dicitur chimera, licet possimus apprehendere leonem capram & draconem.

27. Instabis, *non tantùm apprehendi posse partes chimæræ & centauri, sed etiam ipsum totum :* Nec tantùm apprehendi posse hominem & lapidem, sed etiam hominem esse lapidem seu identitatem hominis cum lapide, quod sic probatur : quando formo hanc enunciationem, Chimæra non potest existere, apprehendo proculdubio subjectum & prædicatum ejusmodi enunciationis, atque adeò apprehendo chimæram quæ est ejus subjectum : quando dico centaurum esse impossibilem, apprehendo centaurum : quando judi-

co hominem esse lapidem contradictionem involvere, apprehendo hominem esse lapidem : quando lego in S. Scriptura alium Deum non esse, apprehendo alium Deum : siquidem, ut dictum est non potest fieri propositio, nec apprehendi propositio, quin apprehendantur partes ejus, scilicet subjectum & prædicatum. Et reverà, qui audit hanc enunciationem, Chimæra non potest existere, si intelligat linguam Latinam, aliquid ampliùs apprehendit quàm Turca ignarus linguæ Latinæ audiens eandem propositionem : & cum Turca apprehendat tantùm vocabula, certè qui callet linguam Latinam, & audit ejusmodi propositionem, apprehendit non tantùm vocabula, sed res repræsentatas per ejusmodi vocabula, atque adeò apprehendit chimæram.

Chimæra, Centaurus &c. non possunt apprehendi.

27. Respondetur primò, non posse apprehendi partes chimæræ, centauri, aut alterius impossibilis : quia impossibile est purum nihil : purum autem nihil nullas habet partes. Respondetur secundò, non posse apprehendi chimæram : quia nomine chimeræ intelligunt Adversarii tria animalia, scilicet leonem, capram & draconem, constituere unum animal quod dicitur chimæra : at nemo potest apprehendere tria animalia esse unum animal : Non posse etiam apprehendi centaurum patet, quia nomine centauri intelligunt Adversarii duo animalia, scilicet hominem & equum, constituere unum animal quod dicitur Centaurus : at nemo potest apprehendere duo animalia esse unum animal : Denique, non possumus apprehendere hominem esse lapidem alium Deum, aut alia ejusmodi impossibilia, quia sunt pura nihila, quæ cognosci non posse suprà probavimus. Respondetur tertiò, has propositiones, chimera non potest existere, aut chimæra est non potens existere, chimæra non est intelligibilis, aut chimæra est non intelligibilis, chimæra est impossibilis, chimæra est purum nihil; centaurus non potest existere, centaurus est impossibilis, centaurus est purum nihil, homo lapis est impossibilis, homo lapis est purum nihil, homo lapis involuit contractionem : alius Deus non est, alius Deus est impossibilis &c. has (inquam) propositiones considerari posse, vel sub terminis jam allatis, vel sub aliis æquivalentibus : Si considerentur sub terminis iam allatis; vel considerantur ratione materiæ, scilicet ratione extremorum, quæ communiter dicuntur subjectum & prædicatum : vel ratione formæ, scilicet ratione identitatis extremorum : Si considerentur ratione subjecti, quandoquidem vocabula quibus exprimuntur subjecta propositionum allatarum, instituta sunt ad significandum unum totum fictum aut unum ens fictum, compositum ex pluribus entibus realibus & positivis tanquam partibus fictis putà vocabulum chimæræ institutum est ad significandum unum ens fictum ex leone capra & dracone compositum, & vocabulum centauri institutum est ad significandum unum ens fictum ex homine & equo compositum &c. certè si habeatur ratio entium realium ex

quibus

quibus fictum ens creditur componi, non negandum est subjecta propositionum allatarum aliquo modo apprehendi posse: at si habeatur ratio entis ficti quod ex ejusmodi entibus realibus creditur componi, ut revera haberi debet, dicendum est subjecta propositionum allatarum apprehendi non posse, quia ut sic sunt purum nihil, purum autem nihil non potest concipi, ut suprà: Si verò considerentur ratione prædicati, clarum est prædicata propositionum allatarum non posse apprehendi: siquidem ejusmodi prædicata sunt, impossibile, purum nihil, non intelligibile &c. quæ non posse apprehendi probarum est suprà. Si propositiones allatæ considerentur ratione formæ, id est ratione identitatis extremorum, quæ est identitas negativa non positiva, idest identitas non entium aut nihilorum, non autem identitas entium aut rerum: dici potest ejusmodi propositiones aliquo modo apprehendi: ex eo enim quòd intellectus nullam apprehendat distinctionem inter ejusmodi extrema, seu inter ejusmodi nihila, judicat aliquo modo esse idem. Denique, si propositiones allatæ considerentur sub aliis terminis æquivalentibus, putà sub istis, leo capra & draco sunt tria animalia, leo capra & draco non constituunt unum animal, leo capra & draco non possunt esse unum animal, nec possunt constituere unum animal: Item homo & equus sunt duo animalia, non sunt unum animal &c. homo & lapis sunt duo entia, non sunt unum ens, non sunt idem &c. tunc dicendum est propositiones allatas & extrema earum apprehendi posse. Respondetur quartò, Turcam linguæ latinæ ignarum concipere tantùm vocabula propositionum allatarum ratione materiæ scilicet ratione sonorum; eum verò qui callet linguam latinam, præter materiam vocabulorum, scilicet sonos, concipere vocabula ista esse instituta ad significandum ens fictum, quod nec esse potest, nec apprehendi: concipere etiam & apprehendere ejusmodi propositiones ratione formæ, & aliquo modo ratione materiæ, eo modo quo suprà dictum est.

28. Instabis, *Intellectum per actum suum versari aliquando circa identitatem rerum distinctarum, atque adeò eam apprehendere: Sed talis identitas est impossibilis, putà quando versatur Intellectus circa identitatem hominis & lapidis: Ergo Intellectus versatur circa impossibile, & ipsum apprehendit.* Major sic probatur: Sicut voluntas habet duplicem actum, unum scilicet amoris quo amplectitur bonum, alterum odii quo aversatur malum: Ita Intellectus habet duplicem actum: scilicet assensum, quo assentitur vero, & quasi amplectitur identitatem prædicati cum subjecto, putà cùm Intellectus affirmat hominem esse rationalem, & quasi amplectitur identitatem hominis & rationalis, & ei assentitur: & dissensum, quo dissentitur falso, & quasi aversatur identitatem prædicati cum subjecto, putà cum Intellectus negat hominem esse lapidem, quasi aversatur identitatem hominis & lapidis, eique dissentit.

Quomodo intellectus versatur circa identitatem rerum distinctarum per dissensum.

19. Respondetur, Intellectum negantem unum de alio; putà hominem non esse lapidem, priùs aliquo modo apprehendisse dualitatem hominis & lapidis, id est priùs apprehendisse & judicasse hominem & lapidem esse duas res; ex eo autem quòd Intellectus apprehenderit aut apprehendat, judicaverit aut judicet hominem & lapidem esse duas res, non potest apprehendere aut judicare hominem & lapidem esse unum, aut esse idem; atque adeò non potest apprehendere identitatem hominis & lapidis; ex eo verò quòd non possit apprehendere talem identitatem, dicitur eam respuere, & ei dissentire.

30. Denique Instabis, *eos qui cruciantur in inferis desiderare Deum non esse, quod autem desideratur, apprehenditur & cognoscitur, juxta illud, nihil volitum quin praecognitum; Ergo cruciantur in inferis, apprehendunt Deum non esse: At Deum non esse est impossibile: Ergo impossibile apprehenditur & cognoscitur.*

Deus non potest apprehendi ut non existens, nec desiderari ut non existat.

21. Respondetur, quòd sicut homo non potest apprehendi ut non rationalis, quia cum rationale sit de essentia metaphysica hominis, & ideo identificetur cum homine, qui apprehenderet hominem ut non rationalem, apprehenderet hominem ut non hominem, quod est impossibile: Ita etiam Deus non potest apprehendi ut non existens, quia cum existentia sit de essentia metaphysica Dei, & ideo identificetur cum Deo, qui apprehenderet Deum ut non existentem, apprehenderet Deum ut non Deum, quod est impossibile; & si aliquis apprehenderet Deum ut non existentem, non apprehenderet Deum, sed aliquid aliud. Quòd si non potest apprehendi Deus ut non existens, non potest etiam desiderari ut non existat, & sicut qui cruciantur in inferis non possunt desiderare Deum non esse Deum; sic non possunt desiderare Deum non esse existentem, cum existentia Dei sit ipsa Deitas. Qui igitur cruciantur in inferis desiderant quidem liberari à suis cruciatibus, quod licet sit impossibile ex hypothesi decreti divini, non tamen est impossibile absolutè: At non desiderant Deum non esse ob rationem allatam.

22. Argumentum quintum est ejusmodi: *Possumus apprehendere tenebras tanquam aliquid nigrum, Angelum tanquam juvenem alatum, Invidiam tanquam anum aut furiam carnes suas arrodentem &c. Ergo possumus concipere unum ens tanquam aliud ens, atque adeò facere ens rationis.* Et reverà, tenebrae sunt aliquid nigrum, Angelus est juvenis alatus. Invidia est anus carnes suas arrodens &c. sunt impossibilia absolutè, quae concepta habent tantùm esse objectivè in intellectu, atque adeò sunt entia rationis.

Similitudo rerum apprehenditur sine productione entis rationis.

23. Respondetur, has propositiones, tenebrae sunt aliquid nigrum, Angelus est juvenis alatus, Invidia est anus carnes suas arrodens: intelligendas esse per similitudinem, non autem essentialiter: Idem enim est ac si diceretur; absente luce ab aëre, idem contingit ac si Sol nigro velo conderetur; & Angelus velocitate motus, integritate virium

tium, & suavitate morum, est similis Iuveni alato; sic Poëtæ dicentes Invidiam esse anum aut furiam suas carnes arrodentem, censent tantùm id in seipsum præstare Invidum, quod præstaret anus si suas ipsa carnes arroderet. Neque dicendum est eam similitudinem inter tenebras & nigredinem, inter Angelum & Iuvenem alatum, inter Invidiam & anum, ideo esse, quia ejusmodi similitudinem intelleximus: Sed potiùs eam intelleximus, quia erat antequam intelligeretur: Similitudo enim duarum rerum quarum una intelligitur per alteram, est à parte rei ante Intellectus operationem: Alioquin non minùs ex lapide quàm ex Iuvene alato Angelum intelligeremus, quod est absurdum.

24. Instant Adversarii, *Indoctum aliquem posse existimare & credere, tenebras esse essentialiter nigredinem, Angelum esse essentialiter Iuvenem alatum, & Invidiam esse essentialiter illam anum aut furiam, quo casu proculdubio fiet ens rationis.*

25. Respondetur, eo casu indoctum illum non percipere Invidiam, Angelum, & tenebras, sed aliquid aliud; quia Invidia est essentialiter dolor de alieno bono, atque adeò qui dolorem illum non apprehendit, quicquid aliud apprehendat, invidiam non apprehendit. Idem dicito de Angelo & tenebris, scilicet indoctum illum eo casu nec apprehendere Angelum, nec tenebras. *Similia esse idem non potest apprehendi.*

26. Instabis, *Possumus apprehendere privationes & negationes tanquam formas reales oppositas rebus quarum sunt privationes & negationes,* verbi gratiâ possumus apprehendere tenebras & cæcitatem tanquam formas aut qualitates reales oppositas luci & cæcitati; *atque adeò possumus facere entia rationis.*

27. Respondetur, privationes & negationes non posse apprehendi ut entia, formas, & qualitates: Cum enim non sint entia, formæ & qualitates, si velimus eas apprehendere, & apprehendamus entia formas & qualitates; non apprehendimus eas, sed aliud quid ab iis diversum: Apprehendimus enim tantùm subjectum & formam, & negamus formam de subjecto: verbi gratiâ apprehendimus aërem & lucem, & dicimus aërem non esse lucidum, idem enim est ac esse tenebrosum: Vel apprehendimus oculum & visum, & judicamus oculum non habere visum, quod idem est ac esse cæcum: Tunc autem non magis facimus Ens rationis, quàm si dixerimus hominem non esse lapidem. *Privationes & negationes non possunt apprehendi ut entia.*

28. Argumentum sextum sic proponitur à Roderico de Arriaga disp. 6. metaph. sect. 2. *Aliqui sunt actus, quorum objecta, nec sunt à parte rei, nec esse possunt*; pono exemplum, equus est rationalis: objectum hujus actus est equus identificatus cum rationali, seu equus rationalis, hic autem equus non est à parte rei, quis hoc neget? est tamen per intellectum, id est cognoscitur ab intellectu fingente talem equum seu reputante ita esse à parte rei, quis etiam hoc neget? Ergo

equus rationalis non habet esse à parte rei, sed solùm habet esse objectivè in intellectu, atque adeo est ens rationis; quòd si neges talem equum fictum esse ens rationis, erit dissidium de sola voce: si verò neges eum posse fingi, fateor fore dissidium de re, manifestâ tamen experientiâ, ratione ac consensu etiam Rusticorum redargueris.

Equus rationalis non potest apprehendi.

29. Respondetur equum rationalem apprehendi non posse, & licet consensu Rusticorum redarguamur, non tamen ratione aut experientiâ: Nam ut suprà probatum est, impossibile absolutè, seu non ens purum, non potest apprehendi: At equus rationalis est quid absolutè impossibile & non ens purum. Et reverà, qui apprehendit rationale non apprehendit equum: & qui apprehendit equum non apprehendit rationale, cum unum dicat essentialiter negationem alterius, ut suprà.

30. Argumentum septimum concipitur his verbis: *Cretenses figurarunt Iovem sine auribus: Athenienses verò eundem* Iovem *cum quatuor auribus ad quatuor mundi partes conversis figurarunt*: Ergo Athenienses apprehendebant Iovem ut habentem aures: & Cretenses apprehendebant Iovem ut non habentem aures: At habens aures & non habens aures sunt contradictoria & impossibilia: *Ergo impossibilia apprehendi possunt, atque adeo possunt fieri entia rationis.*

Ethnicorum figmenta emblematice.

30. Respondetur, ejusmodi figmenta Ethnicorum sumenda emblematicè & secundùm mores, non autem cum propria usurpatione vocum, & secundum essentiam quam signifi.ant. Quare rectè Cretenses figurabant Deum sine auribus, quia Deus nullius consilio indiget. Rectè etiam Athenienses Deum figurabant cum quatuor auribus ad quatuor mundi partes conversis, quia nihil Deum latet Itaque sicut Deum nullius consilio indigere, & Deum esse omniscium, non opponuntur contradictoriè: sic etiam Deum habere aures, & Deum non habere aures, non sunt contradictoria. Quòd si quis apprehendat aliquid habens aures propriè dictas, tunc non apprehendit Deum, sed aliquid aliud.

31. Argumentum octavum sic formatur à Doctoribus nostris: *Vnum numero corpus existens eodem tempore in pluribus locis adaequatis à multis apprehenditur & creditur, scilicet à Romanis. Sed unum numero corpus existens eodem tempore in pluribus locis est impossibile: Ergo impossibile apprehenditur & creditur*: impossibile autem apprehensum, habet tantùm esse objectivè in intellectu, atque adeò est ens rationis.

Vnum corpus in pluribus locis simul nec apprehendi nec credi potest.

32. Respondetur, nullum unquam apprehendisse, aut apprehendere potuisse, nec per consequens credidisse aut credere potuisse, unum numero corpus existere eodem tempore in pluribus locis, ob manifestam contractionem quae esset in intellectu, sicut in re: Nam ex eo quòd corpus conciperetur unum apprehenderetur indivisum seu non divi-

divisum in se & à se, cum unum sit essentialiter indivisum in se & à se: ex eo verò quòd conciperetur in pluribus locis, apprehenderetur divisum; siquidem illud quod est Romæ est divisum ab eo quod est Lutetiæ, nisi sit in spatio intermedio, ut demonstravi dum de loco, ubi omnes evasiones Pontificiorum refutatæ sunt: At impossibile est apprehendere aut credere non divisum esse divisum. Quare licet quis maximè vellet apprehendere unum corpus esse simul in pluribus locis, non tamen posset, ob rationem allatam, & multas alias traditas disputatione de loco: sed volens apprehendere unum, apprehenderet tantùm similia. Et reverà qui concipit duas guttas aquæ in duobus locis, & qui dicit se concipere unam guttam aquæ in duobus locis eosdem prorsus conceptus format, scilicet apprehendit similes guttas in illis locis.

33. Argumentum nonum est ejusmodi. *Datur distinctio rationis, quæ non est realis: Ergo datur ens rationis.* Consequens patet, quia distinctio rationis, quæ non est realis, habet tantùm esse objectivè in intellectu. Antecedens sic probatur; cùm distinguitur verbi gratiâ Deus ab ejus justitia vindice, aut justitia Dei ab ejus misericordia, varii formantur conceptus formales, quibus respondent objecta solâ ratione distincta; conceptus enim Dei, conceptus Dei justi, & conceptus Dei misericordis, sunt tres conceptus formales, quibus respondent tria objecta, non realiter, sed ratione tantùm distincta, quicquid enim est in Deo est Deus ipse.

34. Respondetur, nullam dari distinctionem rationis, quæ non sit realis: Et licet conceptibus formalibus diversis, de Deo, de justitia, & misericordia ejus, respondeant diversa objecta; attamen non sunt diversa per rationem tantùm; Deus enim, & Deus justus se habent ferè sicut lac & lac album, Deus verò justus & Deus misericors, se habent sicut lac album & lac dulce: Quemadmodum igitur, quando dico lac distingui à lacte albo, vel lac album distingui ab eodem lacte dulci; distinctio cadit in lac & albedinem, vel in albedinem & dulcedinem, quæ distinctio est realis: ita etiam, quando dico Deum distingui à Deo justo, vel Deum justum à Deo misericorde; distinctio cadit in Deum, & effectus justitiæ vindicis & misericordiæ, qui sunt punire & parcere: Nam misericordia Dei repræsentatur tanquam principium miserendi aut parcendi, justitia verò vindex Dei repræsentatur tanquam principium puniendi. Si igitur justitia & misericordia considerentur ratione principii præcisè, quod est Divinitas, non formantur diversi conceptus, atque adeò nec re, nec ratione distinguuntur; si verò considerentur ratione operationum, quibus extrinsecè afficitur Divinitas, quæ sunt punire & parcere: formantur quidem diversi conceptus de illis: sed ejusmodi operationes distinguuntur realiter, non autem ratione tantùm.

Omnis distinctio rationis est realis.

46. Argumentum decimum traditur à multis Thomistis his verbis. *Dantur secundæ notiones objectivæ*, scilicet esse genus, esse speciem, esse subjectum, esse prædicatum, esse antecedens, esse consequens: *quæ sunt entia rationis logica ab intellectu dependentia: Ergo dantur entia rationis.*

47. Antequam respondeatur, explicandæ sunt notiones juxta communem Philosophorum sententiam, & juxta nostram, *Duplex est notio*, scilicet formalis & objectiva: & utraque, vel prima, vel secunda, *Prima notio formalis* vulgò est cognitio rei secundum se aut secundum ea quæ in se habet aut habere potest à parte rei, ut cognitio ignis ut ignis, ut calidi, ut levis &c. *Prima notio objectiva* est ipsa res cognita secundum se, aut secundum ea quæ in se habet aut habere potest realiter, ut ipse ignis qui cognoscitur ut ignis, ut calidus &c. *Secunda notio formalis* est cognitio rei secundum ea quæ habet ab intellectu, ut cognitio quòd ignis sit subjectum, quod calidus sit prædicatum. *Secunda notio objectiva* est id quod convenit rei per operationem intellectus, ut esse subjectum, esse prædicatum &c.

48. Verùm, cùm nihil debeat tribui rebus ab intellectu, quod non habeant aut habere possint realiter, alioquin intellectus faceret ens rationis, quod esse impossibile suprà demonstravimus, ideò *sic notiones meliùs explicantur. Primæ notiones objectivæ*, sunt res in uno certo prædicamento contentæ, quales sunt substantiæ, quantitates, qualitates &c. necnon res quæ vulgò dicuntur transcendentes; Ex quibus omnibus rebus componuntur modi differendi objectivi in particulari, ut animal rationale, sol lucet, ergo dies est &c. *Primæ notiones formales*, sunt cognitiones actuales ejusmodi primarum notionum objectivarum. *Secundæ notiones objectivæ*, sunt res in communi, quæ nec in uno certo prædicamento contentæ, nec vulgò transcendentes sunt, quales sunt res ex quibus componuntur modi differendi objectivi in communi, necnon res quæ sunt ipsimet modi differendi objectivi in communi, ut genus, species, differentia, subjectum, prædicatum, definitio objectiva in communi, argumentatio objectiva in communi &c. *Secundæ notiones formales* sunt cognitiones actuales secundarum notionum objectivarum.

Secundæ notiones sunt denominationes extrinsecæ.

49. His notionibus sic explicatis: Respondetur primò juxta communem explicationem notionum, secundas notiones objectivas scilicet esse genus, esse speciem, esse subjectum, esse prædicatum &c. esse tantùm denominationes extrinsecas desumptas ab operationibus intellectus, atque adeò esse denominationes reales desumptas à cognitionibus realibus, & per consequens non esse entia rationis. Quòd sint denominationes extrinsecæ patet, quia sicut denominatio intrinseca est appellatio desumpta ab aliquo quod est in re, ut esse nigrum respectu atramenti, atramentum enim denominatur nigrum à nigredine quæ est in atramento: Ita etiam denominatio extrinseca est

est appellatio desumpta ab aliquo quod est extra rem, ut esse visum respectu parietis paries enim denominatur visus à visione quæ est extra parietem, cum sit in oculo: Sed notiones secundæ objectivæ sunt appellationes desumptæ ab aliquo quod est extra rem: nam rem esse genus nihil aliud est quàm rem esse abstractam ab interioribus speciebus, id est cognitam sine illis: & rem esse speciem, nihil aliud est quàm rem esse abstractam ab inferioribus individuis, id est cognitam sine illis: verbi gratiâ tunc animal est & denominatur genus, quando abstrahitur ab inferioribus speciebus, scilicet ab homine & bruto, id est cognoscitur iis non cognitis, & tunc homo est species, quando abstrahitur ab inferioribus individuis, scilicet a Petro, Paulo, &c. id est cognoscitur iis non cognitis: At esse abstractum aut cognitum est denominatio extrinseca. Item, rem esse subjectum: est rem esse præpositam alteri in enunciatione: rem verò esse prædicatum, est rem esse postpositam alteri in enunciatione: At esse præpositum aut postpositum, sunt denominationes extrinsecæ: ex eo enim verbi gratiâ quòd intellectus præponat seu subjiciat hominem animali, & post ponat seu prædicet animal de homine dicendo, homo est animal, homo denominatur extrinsecè præpositum & subjectum, à præpositione seu subjectione reali facta ab intellectu, & animal denominatur extrinsecè postpositum, & prædicatum, à postpositione seu prædicatione reali facta ab intellectu. Quamvis autem ejusmodi denominationes extrinsecæ nihil ponant in rebus denominatis, attamen non sunt entia rationis propriè dicta: alioquin Deus cognoscens & amans fideles faceret entia rationis & figmenta, quod est absurdum; nam à cognitione & amore Dei, fideles denominantur extrinsecè cogniti & amati: Item bruta videntia & cognoscentia cibum & potum, facerent etiam entia rationis; nam à visione & cognitione cibi & potus, cibus & potus denominantur extrinsecè visi & cogniti, cum tamen visio cognitio, & amor, nihil ponant in rebus visis cognitis, & amatis, ex eo præcisè quòd res videantur, cognoscantur, & amentur. Quare sicut Deum cognoscere & amare rem, non est ens rationis sic rem esse cognitam & amatam à Deo non est ens rationis: Et sicut intellectum cognoscere animal, non considerando ejus inferiora non est ens rationis: sic animal esse cognitum ab intellectu, non cognitis ejus inferioribus, quod est esse genus, non est ens rationis. Quod si quis dicat, intellectum posse concipere visionem, & cognitionem, & amorem, esse aliquid in rebus visis, cognitis & amatis, & ponere aliquid in ipsis. Respondetur, ipsum dicere falsum intellectus enim non potest id concipere: cum id sit impossibile, & intellectus non possit concipere impossibile ut suprà.

Secunda notiones objectivæ sunt entia realia.

59. Respondetur secundò, juxta nostram explicationem notionum, secundas, notiones objectivas esse entia realia: Nam genus & species,

reliquáque universalia, nihil aliud sunt quàm res similes; res autem sunt similes realiter & independenter ab intellectu; reliquæ etiam notiones secundæ, vel sunt entia realia positiva, vel saltem denominationes reales: Atque adeò non sunt entia rationis propriè dicta.

51. Argumentum undecimum sic formatur à quibusdam Recentioribus, *Manducatio spiritualis corporis Christi, non est ens reale, sed ens rationis; sed datur talis manducatio: Ergo datur ens rationis.* Major, quæ sola in controversiam cadere potest sic probatur; Illud est ens reale, quod existit aut existere potest nemine cogitante: Sed manducatio spiritualis corporis Christi, non potest existere nemine cogitante; siquidem existit tantùm per fidem actualem, quæ potissimùm est cogitatio & persuasio de misericordia Dei erga nos per Christum: Ergo manducatio spiritualis corporis Christi, non est ens reale, sed ens rationis.

Responsio mala. 52. Respondent nonnulli, syllogismum posteriorem non esse in forma: Nam talis syllogismus est in prima figura ex minori negante: In prima autem sicuti in tertia figura minor debet esse affirmans: Licet autem medium videatur esse attributum majoris, & ob id à quibusdam hic syllogismus falsò credatur esse in secunda figura: Attamen medium reverà est subjectum majoris; siquidem medium, scilicet *quod existit nemine cogitante*, refertur ad primum vocabulum majoris, scilicet ad *illud*, ut patet ex pronomine relativo *quod*; adeò ut sensus sit *id quod existit nemine cogitante est ens reale*: Et reverà in majori syllogismi allati, *ens reale*, quod est majus extremum, prædicatur de eo *quod existit nemine cogitante*, non autem è contrà, ut patet attendenti: Ad hoc enim ut *ens reale* esset subjectum, & *illud quod existit nemine cogitante* esset attributum, sic formanda esset major; *ens reale est illud quod existit nemine cogitante*: Non autem, *illud est ens reale quod existit nemine cogitante.*

Refutatio ejus. 53. Contra hanc responsionem: Dico, falsum esse quòd ex minori negante per se & quatenus negante, non rectè concludatur in prima & tertia figura: Sicut enim quod alicui per se & reduplicativè convenit, necessariò & semper ei convenit, putà quia rationale homini per se & reduplicativè convenit, ideo necessariò & semper ei convenit: Ita etiam quod alicui per se & reduplicativè non convenit, ei necessariò non convenit, atque adeò ei nunquam convenire potest, verbi gratiâ homo per se & quatenus homo non est brutum, & ideò necessariò non est brutum, atque adeò nunquam potest esse brutum: Ergo si in prima & tertia figura ex minori negante per se & quatenus negante, non rectè concludatur; sequetur ex minori negante in prima & tertia figura nunquam rectè concludi posse, quod tamen est falsum, siquidem in prima & tertia figura ex minori negante semper rectè concluditur, modò sint tantùm tres termini non æquivoci, ut

patet

patet his exemplis, omnis homo est rationalis, sed asinus non est homo, ergo asinus non est rationalis: Ratio autem cur ex minori negante in omni figura rectè concluditur, modò sint tantum tres termini non æquivoci est, quia sicut vis omnis syllogistica affirmativa nititur hoc principio metaphysico, *quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*, adeò ut minus extremum & majus extremum identificentur in conclusione, quia identificata sunt cum medio in præmissis, verbi gratiâ brutum & sensitivum, ideo indentificantur in conclusione hoc pacto, ergo brutum est sensitiuum, quia identificata sunt cum animali in præmissis hoc pacto, animal est sensitivum, sed brutum est animal, ex quibus sequitur hæc conclusio, ergo brutum est sensitivum: Ita etiam vis omnis syllogistica negativa, nititur hoc principio metaphysico, *illa non sunt eadem inter se, quorum unum est idem cum uno tertio, alterum verò non est idem cum ipso*, adeo ut minus extremum & majus extremum non conjungantur affirmativè, sed majus extremum de minori extremo negetur in conclusione, quia unum extremum conjunctum est affirmativè & identificatum cum medio in præmissis, alterum verò non, verbi gratiâ ideo homo & lapis non identificantur in conclusione hoc pacto, ergo homo non est lapis; quia homo identificatus est cum animali in una præmissa, lapis verò non est identificatus cum animali in altera, hoc pacto, animal non est lapis, sed homo est animal, in quibus sequitur hæc conclusio, ergo homo non est lapis: Dixi ex minori negante semper rectè concludi, modo sint tantùm tres termini non æquivoci; nam si aliquis terminus sit æquivocus, idest si aliter sumatur in una parte syllogismi quàm in altera, non rectè concluditur, quia tunc non erunt tantùm tres termini, cum unus terminus æquivocus æquivaleat pluribus: Quare si syllogismus ex minori negante in prima aut tertia figura sit vitiosus, id accidit, non quia est ex minori negante, sed quia aliquis terminus est æquivocus idest aliter sumitur in una parte syllogismi quàm in altera: verbi grâtiâ hic syllogismus ex minori negante est vitiosus, homo est animal, sed asinus non est homo, ergo asinus non est animal; Quia *animal* est terminus æquivocus, & aliter sumitur in majori, aliter verò in conclusione: In majori enim sumitur pro animali identificato cum homine; quia si in hac propositione homo est animal, animal non esset idem cum homine, non rectè affirmaretur de homine, sed deberet negari de ipso, cum ea quæ non sunt idem, negentur de se invicem: In conclusione verò sumitur pro animali absolutè & simpliciter, adeo ut sensus sit, ergo asinus nullo modo est animal, idest nulla animalitas convenit asino: Quòd si animal eodem modo sumatur in conclusione quo in majori, scilicet pro animali identificato cum homine, tunc conclusio est vera, & syllogysmus non est vitiosus: asinus enim non est animal identificatum cum homine, sed est aliud animal.

54. Respondent alii, in syllogismo allato esse duo media, atque *Alia responsio mala.*

adeò quatuor terminos: Nam medium in majori est *existens nemine cogitante*; In minori verò est *non existens nemine cogitante*; At existens & non existens non sunt idem; atque adeò non sunt idem medium: syllogismus enim sic potest construi. Illud est ens reale quod est existens nemine cogitante. Sed manducatio spiritualis corporis Christi, est non existens nemine cogitante, ergo manducatio spiritualis corporis Christi est non ens reale: Qui syllogismus æquivalet priori sic formato. Illud est ens reale quod existit nemine cogitante, sed manducatio spiritualis corporis Christi non existit nemine cogitante, ergo manducatio spiritualis corporis Christi non est ens reale.

Refutatio ejus. 55. Contra hanc responsionem: Dico primò, me thesi præcedenti probasse, vim syllogisticam negativam niti hoc principio metaphysico. *Illa non sunt eadem inter se, quorum unum idem est cum uno tertio, alterum verò non est idem cum ipso:* At id reperitur in argumento allato, si nullus terminus sit æquivocus: Nam in majori ens reale identificatur cum existente nemine cogitante: In minori verò manducatio spiritualis corporis Christi non identificatur cum tali existente.

56. Dico secundò, inde sequi omnes syllogismos secundæ figuræ esse vitiosos, quia constant duobus ejusmodi mediis, atque adeò quatuor terminis: Nam si fiat hic syllogismus in secunda figura, lapis non est animal, sed homo est animal, ergo homo non est lapis, medium in majori est non animal, in minori verò est animal, ut patet ex syllogismo æquipollente, lapis est non animal, sed homo est animal, ergo homo est non lapis: Idem dicendum de hoc syllogismo secundæ figuræ, homo est animal, lapis non est animal, ergo lapis non est homo.

57. Dico tertiò, syllogismos secundæ figuræ esse rectos, licet constent quatuor terminis, ut fusè probavi in logicis dum de syllogismo. Meliùs igitur respondetur, syllogismum posteriorem non esse in forma, eò quòd sint aliter quatuor termini: Nam *ens reale*, aliter sumitur in conclusione quàm in majori, siquidem in conclusione sumitur pro ente reali simpliciter & absolutè, adeo ut sensus sit, ergo manducatio spiritualis corporis Christi per fidem, nulla ratione est ens reale, sed est purum nihil, aut ens rationis fictum & chimæricum: In majori verò sumitur pro ente reali restricto seu contracto ad *existens nemine cogitante* & identificato realiter cum ipso. Ratio est quia in omni propositione affirmativa vera subjectum & prædicatum sunt unum & idem realiter: Quæ enim non sunt idem realiter, sed realiter distinguuntur, semper de se invicem negantur, & eorum unum non est aliud, & distinctio sit negatio identitatis cum alio, atque adeo de iis tantùm debet fieri propositio negans, ut patet in Petro & Paulo, homine & asino &c. realiter distinctis, de quibus fiunt tantùm hæ propositiones veræ, Petrus non est Paulus, Paulus non est Petrus, homo non est asinus, asinus non est homo. At hæc propositio, *existens nemine cogitante est ens reale*, est affirmativa vera: Ergo in ea subjectum & prædicatum,

Responsio vera.

prędicatũ, ſcil. *exiſtens nemine cogitãte* & *ens reale* ſunt idẽ realiter. Non autem exiſtimandũ eſt, quòd exiſtẽs nemine cogitante & ens reale pręcisè ſimpliciter & abſolutè ſint idẽ realiter; Nam multa sũt entia realia, de quibus dici non poteſt, quòd exiſtat nemine cogitãte, ut cognitio ſalutaris quã habẽt fideles de Deo, definitiones & demonſtrationes formales ſcientiarũ &c. Quod ſi quis velit *ens reale* eodem modo ſumi in concluſione quo in majori, ſcilicet pro ente reali reſtricto ſeu contracto ad *exiſtens nemine cogitante* & identificato cum ipſo, tunc ſyllogiſmus erit bonus & concluſio vera: Manducatio enim ſpiritualis corporis Chriſti, ſeu manducatio Chriſti per fidẽ, non eſt ens reale exiſtens nemine cogitante, cum tamen ſit aliud ens reale: ſicut in ſyllogiſmo ſuprà allato, homo eſt animal, ſed aſinus non eſt homo, ergo aſinus non eſt animal. Cõcluſio erit vera, ſi animal ſumatur eodẽ modo in cõcluſione quo in majori, ſcilicet, pro animali reſtricto ſeu cõtracto ad hominẽ; & identificato cũ ipſo; aſinus enim non eſt animal reſtrictũ ſeu contractum ad hominem, & identificatũ cum ipſo, ſed eſt aliud animal. Si quis autẽ velit ſumere *ens reale* in majori eodem modo quo in cõcluſione, ſcilicet pro ente reali in cõmuni ideſt pro omni ente reali, non autem pro ente reſtricto ſeu contracto ad *exiſtens nemine cogitante*, tũc major erit falſa; quod enim exiſtit nemine cogitante non eſt ens reale in cõmuni, ideſt non eſt omne ens reale, ſed eſt tantùm certum aliquod ens reale, ſicut homo non eſt animal in communi, ideſt non eſt omne animal, ſed tantùm certum aliquod animal: Et ſicut animal in genere duplex eſt, ſcilicet homo & brutum: ſic duplex eſt ens reale in genere, unũ quod exiſtit nemine cogitãte, ut lapis, ferrũ &c. alterũ quod exiſtit tantũ aliquo cogitante, ut cognitio ſalutaris de Deo, demonſtrationes formales ſcientiarũ &c. Suppoſito igitur, quòd in majori ſyllogiſmi poſterioris ab Adverſariis allati, *exiſtens nemine cogitante* & *ens reale* ſint idem realiter, ut neceſſarium eſt ad veritatẽ majoris affirmatæ, certũ eſt hanc negatã, ſcilicet non exiſtens nemine cogitãte non eſt ens reale, contineri virtualiter in hac majori affirmata, exiſtẽs nemine cogitãte eſt ens reale: Atq; adeò ſyllogiſmũ poſteriorem ab Adverſariis allatum eſſe proſyllogiſmum truncatũ, qui ſic formari poſſet: Exiſtens nemine cogitãte eſt ens reale, ergo non exiſtens nemine cogitante non eſt ens reale, ſed manducatio ſpiritualis corporis Chriſti non eſt exiſtens nemine cogitante, ergo mãducatio ſpiritualis corporis Chriſti non eſt ens reale, ſumendo ſcilicet *ens reale* prout identificatum cum *exiſtente nemine cogitante*.

58. Inſtant Adverſarii ſyllogiſmum poſteriorem ab ipſis propoſitum, poſſe fieri rectum converſione majoris, cum eadem vi hoc pacto. *Omne ens reale exiſtit nemine cogitante, ſed manducatio Chriſti per fidem non exiſtit nemine cogitante, ergo manducatio Chriſti per fidem non eſt ens reale, atque adeo eſt ens rationis fictum & chimericum.* Item hoc modo: *Illud tantùm eſt reale quod exiſtit nemine*

cogitante, sed manducatio Christi per fidem non existit nemine cogitante, ergo manducatio Christi per fidem non est ens reale. Denique hoc modo: *quod existit tantùm per intellectum non est ens reale, sed manducatio Christi per fidem existit tantùm per intellectum, cum fides actualis sit actio intellectus, ergo manducatio Christi per fidem non est realis.*

60. Respondetur, majorem trium syllogismorum allatorum, non esse universaliter veram, atque adeo simpliciter prout verba sonant, esse falsam: quia multa sunt entia realia, quæ existunt tantùm per intellectum, & non existunt nisi aliquo cogitante & cognoscente, ut salutaris cognitio Dei, definitiones & demonstrationes formales actuales, scientiarum. Quare, vel simpliciter neganda est major, vel sic distinguenda: omne ens reale existit nemine cogitante; distinguo, simpliciter & præcisè, nego majorem: aliquid addendo, scilicet nemine cogitante de ipso, concedo majorem: sic autem applicanda distinctio ad minorem: Sed manducatio Christi per fidem non existit nemine cogitante: distinguo, simpliciter & præcisè, concedo minorem: ad hoc enim ut aliquis fide manducet Christum, debet cogitare de ipso & ipsum cognoscere; aliquid addendo, scilicet nemine cogitante de ipsa, nego minorem; cùm enim aliquis fide manducat Christum, cogitat quidem de Christo, sed non cogitat de sua cogitatione seu de sua fide actuali, quæ est manducatio Christi, sicut qui cognoscit parietem, cogitat quidem de pariete: sed non de cognitione parietis: Quod si per reflexionem possit cogitare de manducatione aut cognitione, certum est etiam eum posse non cogitare de ipsa, & nullam reflexionem facere supra ipsam: Quare cum manducatio Christi per fidem possit existere nemine cogitante de ipsa, non autem ens rationis fictum & chimæricum; manifestum est manducationem Christi per fidem esse ens reale, non autem ens rationis.

61. Argumentum duodecimum & omnium acutissimum est ejusmodi. *Qui negat ens rationis, vel intelligit quod negat, vel non intelligit:* si hoc idest *si non intelligit quod negat, nescit quid neget, quod stultum esse videtur:* si illud, idest *si intelligit quod negat, cum neget ens rationis intelligit ens rationis: si autem intelligit ens rationis, ipsum facit:* Natura enim entis rationis est intelligi, & tantùm fit quando intelligitur: *ergo datur ens rationis.*

Rectè negatur quod non intelligitur quando id quod negatur non est intelligibile.

62. Respondetur, ens, verum transcendentale, & intelligibile esse unum & idem, ut probabitur dum de vero; ergo non ens purum, non verum, & non intelligibile sunt etiam unum & idem; sicut enim se habet ens ad verum & intelligibile: sic se habet non ens ad non verum & non intelligibile: Sed ens rationis est non ens purum & impossibile, ut supra probatum est; ergo ens rationis & non intelligibile sunt idem; atque adeo eodem modo philosophandum est de ente rationis, ac de non intelligibili; sicut igitur verum est non dari non intelli-

telligibile, sic verum est non dari ens rationis; & sicut impossibile est apprehendere, cognoscere, intelligere non intelligibile: sic impossibile est apprehendere, cognoscere & intelligere ens rationis. Quare cùm dicitur, stultum esse negare quòd non intelligitur; id verum est, si id quod negatur sit intelligibile: At non est stultum negare quod non intelligitur, si id quod negatur non est intelligibile, quale est ens rationis, quod coincidit cum non intelligibili.

63. Instant Adversarii hoc pacto. *Cum oppositorum eadem sit scientia & disciplina, & uno oppositorum ignorato, necesse sit ignorari alterum: certè ejus potentia cognoscitivæ est versari circa unum oppositum, ejusdem est versari circa alterum: Ideòque cum verum & falsum, ens & non ens possibile & impossibile, sint opposita: si intellectus noster sit potentia cognoscitiva entis, veri, & possibilis: est etiam potentia cognoscitiva non entis, falsi & impossibilis.*

64. Respondetur, Potentiam cognoscitivam, purà intellectivam, quæ versatur circa unum oppositorum, versari etiam circa alterum, aut reliqua, si sint opposita contrariè & relativè, fortè etiam privativè, non autem si sint opposita contradictoriè: Nam intelligibile & non intelligibile sunt contradictoria; & tamen intellectus qui versatur circa intelligibile non versatur circa non intelligibile, saltem conceptu positivo; siquidem intellectus versatur tantùm circa objectum intelligendo ipsum; at non potest intelligere non intelligibile, alioquin intelligeret quod non potest intelligi, quod est contradictorium: & cum intelligibile & verum transcendentale sint idem, certè non intelligibile & falsum transcendentale erunt etiam unum & idem: atque adeo cum intellectus non intelligat non intelligibile, non intelliget etiam falsum transcendentale. Adde quòd ejusmodi oppositorum contradictoriè est eadem scientia unius, scilicet entis realis, est scientia per se: alterius verò, scilicet non entis aut entis rationis, per accidens tantùm: unum astruendo, scilicet ens reale; & alterum destruendo, scilicet ens rationis.

Intellectus non versatur circa utrumque contradictorium positivè.

65. Instant Adversarii, *Doctores falsam sententiam statuentes, concipere falsum ut verum, atque adeo non ens ut ens, quod est facere ens rationis: Et Doctores Orthodoxos discernere verum à falso, possibile ab impossibili; quod fieri non potest, nisi utrumque concipiendo; falsum autem & impossibile conceptum est ens rationis.*

66. Respondetur primò, duplex esse falsum; unum quod ita falsum est ut verum esse non possit, purà Deum esse corporeum, hominem esse lapidem, &c. Et tale falsum non potest concipi, quia est purum nihil & impossibile, quod non posse apprehendi ab intellectu suprà demonstratum est: Alterum dicitur quod ita falsum est ut verum esse possit purà Petrum esse doctum qui tamen est ignarus, Petrum sedere qui tamen stat, &c. Et tale falsum potest concipi, quia est

ens reale saltem possibile, ut suprà. Quare Doctores falsam sententiam statuentes, concipiunt quidem falsum quod potest esse verum, atque adeo quod est ens reale saltem possibile; at non concipiunt falsum, quod non potest esse verum, sed quod est purum nihil & impossibile. Quòd si statuant falsum, quod sit impossibile: non mente, sed voce tantùm id statuunt: & concipiunt tantùm vocabula: v. g. dicunt quidem hominem esse lapidem, sed id concipere non possunt, ut suprà.

67. Respondetur secundò, concipere falsum ut verum, hoc loco nihil aliud esse quàm judicare aliquid esse verum, quod actu falsum est: Intellectus autem potest quidem judicare aliquid esse verum, quod actu falsum est, & potentia verum, atque adeo quod est ens reale saltem possibile: at non potest judicare aliquid esse verum, quod ita falsum est ut verum esse non possit, atque adeo quod est impossibile & purum nihil: siquidem non potest judicare aliquid esse verum, nisi ipsum apprehendat; at non potest apprehendere aut concipere impossibile & purum nihil, ut suprà probatum est.

68. Respondetur tertiò, Doctores discernentes verum à falso, quod est potentiâ verum, concipere utrumque; quia verum est ens reale actuale vel possibile: falsum verò quod est potentiâ verum est ens reale possibile: at Doctores discernentes verum à falso impossibili; non apprehendere aut concipere utrumque; sed tantùm non apprehendere aut concipere utrumque; sed tantùm unum, scilicet verum; falsum enim, quod est impossibile, cum sit purum nihil, non potest concipi, ut suprà: Ex eo tamen quòd intellectus eorum non potuerit concipere ejusmodi falsum & impossibile, statuunt, judicant, & inferunt, ejusmodi falsum esse non intelligibile, & purum nihil.

CAPUT SECUNDUS.

De Conceptu, Analogia, & Contractione Entis.

QUoniam doctrina hoc capite contenta est facilis, & parui momenti: & quæstiones quæ de illa solent agitari, sunt potiùs quæstiones de nomine quàm de re, ideo breviter eam perstringemus explicando primò conceptum Entis, secundò Analogiam ejus, tertiò Contractionem ejusdem.

DE CON-

DE CONCEPTV ENTIS.

1. C*Onceptus* vel formalis, vel objectivus: *formalis* est cognitio rei: *objectivus* verò est objectum conceptus formalis, id est res quæ concipitur aut cognoscitur: sic cognitio hominis est conceptus formalis hominis; homo verò qui cognoscitur est conceptus objectivus, at homo qui non cognoscitur, nec est conceptus formalis, nec objectivus. *Definitio conceptus formalis & objectivi.*

2. *Ens in communi duobus modis sumitur: primò*, pro omnibus entibus similibus simul sumptis in ratione entis convenientibus: *secundò*, pro uno ex illis entibus similibus indeterminatè, id est pro quolibet indifferenter. Sicut enim homo in communi duobus modis sumitur: primò, pro omnibus hominibus similibus simul sumptis in ratione hominis convenientibus, ut cùm homo dicitur species prædicabilis de Petro, & Paulo, & cæteris singularibus hominibus: secundò, pro uno ex illis omnibus hominibus similibus indeterminatè, id est pro quolibet homine indifferenter, ut c[illegible] dicitur homo hac transivit, vel cum formatur conceptus homini[illegible] Ens in communi duobus modis sumitur: primò, pro omnibus entibus prout similibus simul sumptis, & in ratione entis convenientibus, ut cùm Ens dicitur genus generalissimum prædicabile de substantiis & accidentibus: secundò, pro uno ex illis omnibus entibus similibus indeterminatè, id est pro quolibet indifferenter, ut cum formatur conceptus Entis. *Ens in communi duobus modis sumitur.*

3. *Conceptus objectivus Entis in communi sumpti pro omnibus entibus similibus, non est realiter unus unitate propriè dictâ, sed est tantùm unus unitate similitudinis & conformitatis: At conceptus objectivus Entis in communi in communi sumpti pro uno ex illis omnibus similibus indeterminatè, id est pro quolibet indifferenter, est realiter unus unitate propriè dictâ*, cum sit individuum vagum & indeterminatum respectu nostri, licet sit certum & determinatum in se. *Quomodo conceptus objectivus entis est unus, & quomodo non.*

4. *Non datur unus conceptus formalis Entis in communi sumpti pro omnibus entibus similibus simul sumptis*; quia conceptus formalis est imago aut quasi imago rei; at una imago non potest repræsentare nisi unam rem; licet autem una imago possit repræsentare plura seorsim, putà imago ovi à pictore formata possit repræsentare plura ova seorsim: non tamen plura simul. *Datur tamen unus conceptus formalis Entis sumpti pro uno ex omnibus similibus entibus indeterminatè*, id est *pro quolibet ente indifferenter*: vel *datur unus conceptus formalis Entis, qui repræsentat quodlibet Ens simile seorsim*; quia omnia sunt similia in Ente, id est conveniunt in ipso; similium autem est idem conceptus: Sicut enim datur unus conceptus formalis ignis qui *Quomodo datur unus conceptus formalis entis & quomodo non.*

repræſentat indifferenter quemlibet ignem, eò quòd omnes ignes ſint ſimiles in ratione ignis: Ita datur unus conceptus formalis Entis, qui repræſentat indifferenter quodlibet Ens, eò quòd omnia Entia ſint ſimilia in ratione Entis. Adde quòd poteſt quis eſſe certus de re aliqua quòd ſit Ens, & tamen dubitare an ſit ſubſtantia vel accidens, verbi gratiâ omnes certi ſunt facultates animæ eſſe entia, diſputatur tamen in ſcholis an ſint ſubſtantiæ vel accidentia.

Quomodò cõceptus obiectivus Entis eſt præciſus ab inferioribus, & quomodo non.

5. *Conceptus objectivus Entis non eſt realiter intrinſecè præciſus aut diſtinctus à propriis rationibus Entium inferiorum, putà Dei & Creaturæ, ſubſtantiæ & accidentis*; quia Ens prædicatur eſſentialiter metaphyſicè de illis; gradus autem eſſentiales metaphyſici identificantur realiter intrinſecè, ut fusè probatum eſt in logicis dum de univerſali in communi: Dixi *intrinſecè, abſolutè & in rectò*, non autem extrinſecè, connotativè & in obliquo; ſi enim ratio habeatur connotatorum extrinſecorum, realiter differunt: Verbi gratiâ Ens quod prædicatur ſeu affirmatur de ſubſtantia, identificatur realiter intrinſecè cum ipſa; quæ enim non ſunt idem negantur de ſe invicem; attamen ejuſmodi Ens quod prædicatur de ſubſtantia & identificatur realiter intrinſecè cum ipſa, differt realiter ab ipſa extrinſecè ſeu ſecundum connotata extrinſeca quibus ſolent explicari; nam ens ſolet explicari in ordine ad repugnantiam negatam ſeu in ordine ad negationem repugnantiæ; ſubſtantia verò ſolet explicari per inhærentiam negatam ſeu in ordine ad negationem inhærentiæ; at repugnantia & inhærentia realiter differunt.

Quomodo cõceptus formalis Entis eſt præciſus à conceptibus inferiorum & quomodo non.

6. *Conceptus formalis Entis eſt realiter præciſus & diſtinctus à conceptibus formalibus entium inferiorum, modò conceptus ſumantur ſecundum id totum quod repræſentant tam intrinſecè, abſolutè & in rectò, quam extrinſecè, connotativè & in obliquo*, quia conceptus formalis Entis poteſt exiſtere ſine conceptu formali inferioris, putà ſine conceptu formali ſubſtantiæ aut accidentis: ergo conceptus formalis Entis diſtinguitur à conceptibus formalibus inferiorum nullum enim eſt certius ſignum diſtinctionis realis, quàm ſeparatio aut ſeparabilitas realis unius ab alio. Dixi *ſecundum id totum quod repræſentant, vel potiùs ſecundum id quod repræſentant extrinſecè, connotativè & in obliquo*, eò quòd connotata extrinſeca realiter differant, ut dictum eſt ſuprà; nam ſecundum id quod repræſentant intrinſecè, non differunt realiter; eò quòd objecta non differant intrinſecè ut ſuprà. Cæterùm eodem modo quo conceptus formales & objectivi differunt aut identificantur realiter, eodem modo differunt aut identificantur ratione; quia nulla datur diſtinctio rationis quæ non ſit realis, & nulla datur identitas rationis quæ non ſit realis, ut probatum eſt ſuprà dum de Ente rationis, potiſſimùm in reſponſione ad argumentum nonum.

DE

DE ANALOGIA ENTIS.

7. Ex eo quod Ens habeat unum conceptum formalem & objectivum, eo modo quo suprà dictum est; *multi inferunt Ens esse purè univocum.* Contra quos, Dico *Ens respectu Dei & Creaturæ, substantiæ & accidentis, nec esse purè univocum, nec purè æquivocum, sed analogum. Non esse purè æquivocum* patet, quia ad puram æquivocationem requiritur convenientia in solo nomine: At supradicta non conveniunt in solo nomine Entis, cum ratio formalis Entis, scilicet esse non repugnans, aut esse positivum, eis conveniat. *Ens etiam non esse purè univocum, sed analogum*, respectu supradictorum probatur; quia descensus Entis ad ejusmodi inferiora non est uniformis, cum priùs de uno inferiori quàm de alio prædicetur, eò quòd unum inferius participet rationem Entis dependenter ab alio, idque dependentiâ essentiali; cum Creatura dependeat essentialiter à Deo, & accidens à substantia in ratione Entis: Ad puram autem univocationem non requiritur dependêtia essentialis unius inferioris ab alio, & semper requiritur independentia essentialis. Ex quibus patet analogiam propriè dictam Entis, nec consistere in transcendentia, nec in inæqualitate perfectionis petitâ à differentia nobiliori alicujus inferioris: Non quidem in transcendentia; quia ratio Entis quæ est in Petro & Paulo & prædicatur de ipsis, dicitur transcendens, cum tamen purè univocè eis conveniat, non autem analogicè: Non etiam in æqualitate perfectionis: quia omnia genera in prædicamentis comprehensa sunt purè univoca, cum tamen inæqualitatem perfectionis habeant in inferioribus, putà animal quod est perfectiùs in homine quàm in bruto, propter nobiliorem differentiam hominis, scilicet propter rationalitatem.

Ens non est purè æquivocum.

Ens non est purè univocum, sed analogum.

Analogia Entis non consistit in transcendentia.

Analogia entis non consistit in æqualitate perfectionis.

8. Objectio. 1. *Ratio entis est eadem in substantia & accidente, quæ sunt Entis inferiora: Ergo ens est univocum non analogum respectu substantiæ & accidentis:* cum univoca dicantur ea quorum ratio essentiæ est eadem seu communis.

9. Responsio. Eadem est ratio Entis in inferioribus, scilicet in substantia & accidente: Distinguo; est eadem specie, id est similis secundum terminum, Concedo; est eadem realiter, & secundum participationem, Nego; eò quòd Inferiora Entis participent rationem ejus inæqualiter, scilicet cum dependentia essentiali unius ab alio, quæ dependentia tollit puram univocationem, & constituit Analogiam.

Quomodo ratio entis est eadê, & quomodo non.

10. Instantia. *Si dependentia constitueret analogiam, sequeretur inter causam & effectum, putà inter Petrum patrem, & Paulum filium, esse analogiam, quia filius est effectus patris, & effectus dependet à sua causa: unde sequeretur hominem non esse purè univocum sed analogum*

respectu Petri & Pauli quod esse absurdum omnes agnoscunt.

Dependentia effectus à causa non est essentialis.

11. Responsio, Sola dependentia essentialis unius ab alio, constituit analogiam: Dependentia autem effectus à causa, præterquam à prima, non est essentialis, sed accidentalis: quia potuisset aliter evenire si Deus voluisset: Deus enim poterat producere Paulum qui fuit filius Petri ante ipsum Petrum: poterat enim unire omnes atomos corpus Pauli constituentes, & ipsum corpus Pauli unire animæ creatæ ante nativitatem Petri.

12. Instantia. *Dependentia essentialis non tollit puram univocationem: quia qualitas est purè univocum genus, cum tamen prædicetur de potentia vitali & actu vitali, qui dependet essentialiter ab ipsa putà verbum mentis ab intellectu: ergo &c.*

Qualitas æquivocè prædicatur de potentia vitali & actu vitali.

13. Responsio. Potentia vitalis est substantia saltem ex parte: eò quòd sit proprietas rei animatæ, à qua non distinguitur realiter; cum proprietates non distinguantur realiter intrinsecè à suis subjectis: atque adeo qualitas quæ prædicatur de potentia vitali est substantia, saltem ex parte; & per consequens qualitas quæ prædicatur de potentia vitali & actu vitali non prædicatur de illis nisi æquivocè; cum nulla possit dari distinctio qualitatis, quæ utrique conveniat.

14. Objectio 2. *Ens abstractum à Deo & creatura, substantia & accidente est purè univocum, non autem analogum; quia ens abstractum ab illis, consideratur sine illis, & sine relatione ad illa, & per consequens non dicit dependentiam essentialem unius ab alio, quæ dependentia definit analogiam.*

Ens abstractum nec est univocum, nec æquivocũ nec analogũ.

15. Responsio. Ens abstractum à Deo & Creatura, substantia & accidente, cum consideretur sine illis, & nullam dicat relationem ad illa, nec est univocum, nec analogum, nec æquivocum: siquidem univocum, analogum, & æquivocum dicunt relationem ad inferiora.

16. Objectio 3. *Ens est purè æquivocum respectu Dei & creaturæ, non autem analogum: Nam inter finitum & infinitum nulla est proportio aut analogia, Deus autem est infinitus, & creatura est finita.*

Inter finitũ & infinitum est proportio Metaphysica, non Mathematica.

17. Responsio. Inter finitum & infinitum nulla est proportio mathematica: quia non potest dici quantùm finitum superetur ab infinito: Attamen inter ea est aliqua proportio aut similitudo metaphysica eò quòd in ratione formali entis conveniant.

Quomodo summa genera prædicamentorum sunt diversa, & quomodo non.

18. Objectio 4. *Si substantia & accidens in ratione aliqua convenirent, putà in ratione entis; sequeretur decem summa genera prædicamentorum non esse primò diversa; eò quòd se totis non distinguerentur, quod est absurdum.*

19. Responsio. Vt decem summa genera prædicamentorum dicantur primò diversa, sufficit ut in nullo superiori genere purè univoco conveniant; atque adeo dicenda sunt primò diversa, non absolutè & simplis-

simpliciter, quia conveniunt in ratione entis: sed secundum quid, quatenus nihil habent commune quod sit purè univocum.

DE CONTRACTIONE ENTIS.

20. ENs contrahitur & restringitur ad inferiora ad modum compositionis metaphysicæ, scilicet per differentias essentiales ejus; quæ differentiæ, licet non distinguantur realiter intrinsecè ab ipso ente, distinguuntur tamen realiter extrinsecè & connotativè, idest secundum extrinseca connotata, ut suprà atque adeo distinguuntur ratione secundùm ejusmodi connotata: Idque probatur primò, quia conceptus entis est præcisus à conceptu proprio substantiæ & accidentis, atque adeo ens non includit in suo conceptu subsistentiam aut inhærentiam, quæ sunt primæ differentiæ, quibus ens contrahitur ad substantiam & accidens, quod intelligendum est, ut dixi, extrinsecè & connotativè tantùm: Probatur secundò, quia conceptus substantiæ, saltem distinctus, est resolubilis in duos conceptus, scilicet in conceptum entis & conceptum perseitatis seu subsistentiæ, quorum unus non repræsentat distinctè quod per alterum distinctè repræsentatur; quod semper intelligendum quoad extrinseca connotata quibus ista solent explicari.

Ens contrahitur per differentias inferiorum.

CAPUT TERTIUM.

De Principiis Entis.

HOc capite agetur primò de principio in communi: secundò de principiis complexis entis: tertiò de principiis incomplexis entis, ubi de essentia & existentia.

DE PRINCIPIO IN COMMUNI.

1. PRincipium quinque modis potissimùm sumitur. Primò, *pro initio, sive rei, sive temporis*; sic dicitur principium cujusque rei difficillimum, & Deus dicitur creasse in principio cœlum & terram. Secundò, *pro prima causa in aliquo genere*, juxta illud, *de ratione principii est, ut ipsum sit causa multorum, at ipsius nulla sit superior causa.* Tertiò, *pro qualibet causa*; sic Aristoteles in Metaphysicis ait, prin-

Principium sumitur quinque modis.

cipium & causam se habere ut eus & unum; ens autem & unum convertuntur, ut infrà. Quartò, *pro axiomate aut principio alicujus scientia*; unde illud *contra negantem principia non est disputandum*. Quintò, communiter sumitur *pro primo unde aliquid procedit*, & ab Aristotele in metaphysicis sic describitur, *principium est primum unde aliquid est, fit, aut cognoscitur*, ubi *primum* debet exponi *positivè, non autem negativè tantùm*: *Primum positivè* dicitur illud quod habet aliud respectu cujus dicitur primùm, ut Rex respectu subditorum: *Primum* autem *negativè tantùm* dicitur illud quod non habet prius, nec habet posteriora respectu quorum dicatur primum; & sic Christus dicitur primogenitus Mariæ virginis negativè tantùm, quia virgo non habuit priorem filium, nec alios posteriores. Ad rationem igitur principii propriè dicti duæ conditiones requiruntur; prima, ut sit primum positivè, id est ut habeat aliquid respectu cujus dicatur primum; atque adeo principium debet esse prius principiato, vel tempore, vel naturâ, vel origine, vel cognitione &c. nisi principium & principiatum sumantur relativè, quo casu sunt simul naturâ, definitione, & cognitione: secunda, ut principium habeat aliquam connexionem cum principiato; unde puer qui nascitur hodie, licet prior altero cras nascituro, non tamen est principium illius, quia cum illo nullam habet connexionem.

Definitio principii.
Definitio primi positivè & negativè.
Conditiones principii.

Distinctio principii & causæ.

2. *Principium & causa distinguuntur tanquam superius & inferius*, eò quòd principium latiùs pateat causâ: cum *omnis causa sit principium*, eò quòd à causa procedat aliquid, scilicet effectus; sed *omne principium non est causa*, quia omnis causa influit esse, & distinguitur saltem essentiâ numericâ à suo causato: at principium interdum non influit, ut privatio quæ dicitur principium generationis, & nihil influit in illam; & principium non semper distinguitur essentiâ numericâ à sua principiato, ut Pater æternus qui dicitur principium Filii, & uterque Spiritus Sancti, cum tamen eadem sit essentia divina numerica in illis.

Definitio principii rei & cognitionis.

3. *Principium in communi duplex est*, scilicet principium rei, & principium cognitionis. *Principium rei* dicitur illud unde res procedit in suo esse, id est quod facit ut res existat, ut Deus respectu mundi. *Principium cognitionis* dicitur illud ex quo mutuamur cognitionem principiati: id est quod facit ut res cognoscatur, ut creatio mundi respectu Dei: siquidem ex creatione mundi Deum creatorem cognoscimus, juxta illud Pauli Rom. 1. *Invisibilia Dei, scilicet omnipotentia & Divinitas, ex iis quæ facta sunt clarè conspiciuntur.*

Definitio principii complexi & incomplexi.

4. *Principium cognitionis*, vel incomplexum; vel complexum. Principium *incomplexum* est terminus aut res nos ducens in cognitionem alterius, diciturque incomplexum, quia non complectitur affirmationem aut negationem, ut fumus respectu ignis. Principium *complexum* est propositio affirmata aut negata, quæ nos ducit in

cogni-

cognitionem alterius : diciturque complexum, quia complectitur affirmationem aut negationem : Principium complexum, vel est axioma, vel thesis : *axioma* est principium commune omnibus aut pluribus scientiis, ut impossibile est idem simul esse & non esse, totum est majus sua parte &c. diciturque axioma, id est dignitas, eò quòd axioma per se dignum sit ut ei fides adhibeatur : *Thesis* est principium proprium alicujus scientiæ : dividiturque in definitionem & hypothesim : Sumitur etiam thesis pro quacunque propositione quæ in scholis agitanda proponitur.

5. *Principium rei* sive physicum, sive mathematicum, sive metaphysicum &c. vel est intrinsecum, vel extrinsecum: idque vel essentialiter, vel definitivè. *Intrinsecum essentialiter* dicitur illud quod constituit rem in suo esse, & ideo est pars essentialis illius, ut materia & forma respectu compositi naturalis : *Intrinsecum* verò *definitivè* dicitur quod ponitur in definitione rei, sive sit de essentia, sive non: & sic vita potest dici intrinseca definitivè morti, quia ponitur in definitione mortis, mors enim definitur privatio vitæ : sic materia, forma, & privatio, dicuntur principia intrinseca definitivè generationis, quia ponuntur in definitione ejus, generatio enim definitur transitus materiæ à privatione ad formam. *Extrinsecum essentialiter* dicitur illud quod est extra essentiam rei, ut causa efficiens, causa finalis, accidentia &c. *Extrinsecum* verò *definitivè*, dicitur illud quod non ponitur in definitione rei, ut accidentia contingentia aut communia. *Intrinsecum essentialiter & definitivè.*

DE PRINCIPIIS COMPLEXIS ENTIS.

6. PRincipia complexa Entis sunt principia generalia Metaphysica, quibus probantur principia reliquarum scientiarum. Præcipua autem principia complexa Entis hæc sunt. Primum sic se habet : *Impossibile est idem simul esse non esse, verbi gratiâ, Impossibile est idem simul esse hominem & non hominem* ubi vocabulum *idem*, extendi debet ad quodlibet quod mente concipi aut verbis exprimi potest: Debet autem esse *idem*, id est idem subjectum: *secundum idem*, id est secundum eandem partem subjecti ; *ad idem*, id est eodem respectu: & *eodem tempore* : quæ omnia fusè explicata sunt in Logicis dum de oppositis. Hoc autem principium esse omnium primum probatur: quia habet duas conditiones ad rationem primi principii necessarias: prima est quòd circa illud nemo possit errare ob certitudinem & evidentiam ejus maximam : secunda est quod non supponat aliud principium tanquam notius per quod probari possit. Quod si quis dicat dari aliud principium prius, scil. necesse est quodlibet esse vel non esse, eò quòd affirmatio sit prior negatione: Respōdetur, affirmationem

Explicatio primi principii, Impossibile est idem simul esse & non esse.

Cur hoc principium est primum.

esse priorem negatione ordine generationis & compositionis, non tamen semper ratione certitudinis & evidentiæ ac rationis probativæ. Huic principio & axiomati æquivalent ista, impossibile est idem simul affirmari & negari de eodem, contradictoria non possunt esse simul vera, altera pars contradictionis est falsa.

Explicatio secundi principii quolibet vel non est.

21. Secundum principium complexum seu axioma tale est: *Quodlibet est vel non est, necesse est quodlibet esse vel non esse*, verbi gratia necesse est quodlibet esse hominem vel non hominem: ubi per vocem *quodlibet*, intelligendum est quicquid mente concipi aut verbis exprimi potest: Quod enim verbis exprimi potest ut chimæra, hippocentaurus, & alia impossibilia, sunt vel non sunt, sunt homines vel non sunt homines, neque de iis dici potest quòd simul sint & non sint, simul sint homines & non homines.

Explicatio tertii principii.

22. Tertium Principium seu axioma est ejusmodi: *Omne quod est, quando est, necesse est esse: & omne quod non est, quando non est necesse est non esse:* Quæ necessitas, si agatur de re contingenti est, tantùm hypothetica, non absoluta, & non tollens contingentiam rerum, putà Petrus, qui sedet, quando sedet, & quandiu sedet necessariò sedet.

Quarti principii limitationes, scilicet non entis nulla prædicata.

23. Quartum principium seu axioma ita se habet: *Non entis nulla sunt prædicata, non entis nullæ effectiones aut affectiones:* Distinguo, non entis puri, quod scilicet est purum nihil & impossibile absolutè, concedo; non entis actualis quod est possibile: Distinguo, non sunt prædicata essentialia & necessaria, nego: Licet enim nullus homo actu existeret, hæc tamen propositio esset vera, homo est rationalis: Non sunt prædicata accidentalia aut contingentia: Distinguo; si ejusmodi prædicata sint purè negativa, nego; cum de Adamo jam non actu existente verè dicatur, Adamus est non ambulans, vel Adamus non est ambulans; quoniam enim inter contradictoria non datur medium, sed necesse est ut de quolibet sive existente sive non existente, unum verum sit, & alterum falsum; falsum autem sit quòd Adamus sit ambulans, necessariò verum est quòd Adamus sit non ambulans, vel Adamus non sit ambulans; si verò ejusmodi prædicata non sint purè negativa, sed sint privativa aut positiva: Distinguo, si ejusmodi prædicata accidentalia positiva aut privativa denominent intrinsecè, concedo; putà si Petrus non est, neque etiam est albus, neque doctus, neque ambulans; si verò denominent extrinsecè, distinguo, si denominationes ejusmodi extrinsecæ desumantur ab actibus intellectus & voluntatis, phantasiæ aut appetitus, nego; eò quòd hæ facultates possint exercere actus suos circa res non actu existentes, putà sanitas non actu existens potest dici cogita & amata ab ægro; si verò ejusmodi denominationes extrinsecæ desumantur ab actibus sensuum externorum, concedo, quia sensus externi percipiunt tantùm objecta actu existentia; sic color, qui non est, non videtur, sonus

nus qui non est non auditur &c.

Limitationes quinti principii, scilicet non entis nulla est scientia.

10. Quintum principium hoc est : *Non entis nulla est scientia.* Distinguo, non entis puri seu nihil puri quod est impossibile absolutè, concedo; Non entis actu, sed potentiâ existentis, nego : Rursus, non ens prout respondens compositioni & divisioni, quod nihil aliud est quam non verum seu falsum, non cadit sub scientiam, concedo; sæpe enim quod non est, & quod non est verum promiscuè sumuntur; sicut quod est & quod est verum sæpe pro eodem usurpantur; Non ens verò actu, sed potentiâ existens respondens primæ mentis operationi potest cadere sub scientiam per se; at non ens purum, ut infinitum, cadit tantùm sub scientiam per accidens.

11. Sextum principium tale est ; *quod affirmatur vel negatur necessariò de ente universali, etiam affirmatur vel negatur necessariò de ente particulari* ; quod principium ab aliis vocatur dictum de omni, & dictum de nullo, quibus dictis tota vis syllogistica nititur.

Indivisibile duobus modis accipitur.

12. Septimum principium seu axioma est ejusmodi : *Essentia rerum consistunt in indivisibili, & se habent tanquam numeri* ; quod ut intelligatur sciendum est aliquid dici *indivisibile* duobus modis ; primò, *absolutè* pro eo quod non habet partes in quas possit dividi, quomodo punctum est indivisibile : Secundò, *certo modo & secundum quid* ; cùm scilicet aliquid, licet divisibile, non potest ita dividi ut idem maneat, quomodo mensura & numerus dicuntur indivisibiles ; si enim a linea pedali verbi gratia aliquid auferatur, non erit ampliùs pedalis ; & si à numero ternario verbi gratiâ aliquid tollatur non erit amplius ternarius. Priori modo, non est verum in universum essentias rerum consistere in indivisibili, id est esse indivisibiles, cum multa sint composita essentialia & integralia quæ sunt divisibilia : Posteriori modo, essentiæ consistunt in indivisibili, quia ut sint & maneant, nihil essentiale potest ab iis tolli. Essentiæ autem rerum sunt sicut numeri : Quia sicut si aliquid addatur aut detrahatur numero, non est ampliùs idem numerus, sed alius : putà si ternario addatur unitas, non est ampliùs ternarius, sed quaternarius : & si tollatur unitas, non est ampliùs ternarius, sed binarius : Ita si addatur aut detrahatur rei aliquid essentiale, non est ampliùs eadem essentia, nec eadem res : putà si addatur homini intuitivum, non est ampliùs homo, sed veluti Angelus : si detrahatur ei rationale, non est ampliùs homo, sed brutum aut quasi brutum.

Quomodo essentia rerum consistunt in indivisibili & quomodo non.

13. Octavum principium est istud : *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se* : Sed hoc axioma commodius explicabitur infrà, dum de unitate, identitate & distinctione rerum.

DE PRINCIPIIS INCOMPLEXIS ENTIS.

Definitio actus & potentiæ.

14. **P***Rincipia incomplexa cujuslibet entis, duo ponuntur* à Philosophis, scilicet actus & potentia: *Actus* est determinans potentiam, aut determinativus potentiæ: *Potentia* verò ex se est indeterminata, & est determinabilis per actum. *Potentia in genere duplex* est, scilicet activa & passiva. Potentia *activa* est virtus agendi, qualis est virtus calefaciendi in igne, quæ dicitur calor; hujus potentiæ actus proximus & immediatus est actio, putà calefactio respectu caloris: Remotus verò & mediatus est terminus actionis seu effectus. Potentia *passiva* est capacitas recipiendi actum, ut capacitas recipiendi calorem in ligno vel in manu: Hujus potentiæ actus proximus est receptio, remotus actus qui recipitur. *Potentia passiva duplex* est, scilicet physica & metaphysica: Potentia passiva *physica* est capacitas recipiendi actum physicum seu formam physicam, & sic materia dicitur habere potentiam passivam formarum, de qua fusè agetur in physicis dum de materia. Potentia passiva *metaphysica* est capacitas recipiendi actum metaphysicum; sicut autem actus metaphysicus triplex statuitur à Philosophis, scilicet existentia, differentia, & subsistentia incommunicationis, quæ dicitur suppositalitas: sic triplex ponitur à Philosophis potentia passiva metaphysica, scilicet potentia essentiæ respectu existentiæ quæ ab aliis dicitur potentia objectiva; potentia generis respectu differentiæ; & potentia naturæ substantialis singularis respectu suppositalitatis; quibus alii addunt potentiam subjecti respectu accidentis aut alterius adjuncti; hinc fit ut triplex communiter statuatur compositio metaphysica, scilicet ex essentia & existentia, ex genere & differentia, & ex natura & supposito: Quibus alii addunt compositionem ex subjecto & accidente aut alio adjuncto: De genere & differentia, nec non de subjecto & accidente aut adjuncto, actum est in logicis dum de universalibus in particulari: De natura substantiali & supposito agetur fusè in secunda parte Metaphysicæ; hic autem breviter agetur de essentia & existentia.

Definitio potentiæ activæ & passivæ.

Definitio potentiæ passivæ physicæ & metaphysicæ.

Actus & potentia metaphysica triplex.

DE ESSENTIA ET EXISTENTIA.

Descriptio essentiæ in ordine ad ens.

15. **E***Ssentia quatuor modis potest considerari*, scilicet in ordine ad ens quod constituit in ordine ad conceptus nostros, in ordine ad locutiones nostras, & in ordine ad proprietates & operationes ejus. *Essentia considerata in ordine ad ens quod constituit*, sic describitur:

describitur: Essentia est id per quod res est id quod est, verbi gratiâ animal rationale est essentia hominis, quia per animal rationale homo est homo: Item essentia est id quod constituit intrinsecè ens, & ipsum primariò distinguit ab omni alio, sic animal rationale est essentia metaphysica hominis, vel corpus humanum & anima rationalis unita sunt essentia physica hominis, quia intrinsecè constituunt ipsum, & eum primariò distinguunt ab omni alio. *Essentia considerata in ordine ad conceptus nostros*, sic describitur: Essentia est id quod ita est in re ut sine eo res nec esse nec concipi possit, sic animal rationale est essentia hominis, quia sine iis homo distinctè concipi non potest: Item, essentia rectè describitur id quod concipitur esse primum in re: Essentia enim est primum unde reliqua procedunt, putà operationes aut alia accidentia; Malè autem à nonnullis essentia describitur id quod primò concipitur in re; siquidem sæpius primò cognoscimus effectum rei, & ex cognitione effectus devenimus ad cognitionem rei seu causæ: Denique, essentia vulgò describitur id quod per definitionem explicatur; sicut enim definitio est oratio explicans essentiam rei; Ita essentia est id quod explicatur per definitionem, putà essentia hominis explicatur per animal rationale, quod est ejus definitio. *Essentia considerata in ordine ad locutiones nostras* sic describitur: Essentia est id per quod respondetur ad quæstionem factam per quid, verbi gratiâ animal rationale est essentia hominis; quia si quis quærat quid sit homo, respondetur esse animal rationale; & hinc factum est ut Philosophi essentiam & quidditatem semper promiscuè usurparint. *Essentia in ordine ad operationes* dicitur natura, quæ est principium operationis; & essentia tunc describitur id unde procedunt proprietates & operationes; sed id tantùm verum est de essentia activa aut passivâ, non autem de omni essentia; quia multa sunt entia saltem modalia quæ non sunt activa; & ipsa actio aut passio non potest dici principium actionis aut passionis, & proprietas non potest dici principium proprietatis; cum tamen actio, passio, & proprietas rei sint entia.

Descriptio essentiæ in ordine ad conceptum.

Descriptio essentiæ in ordine ad locutiones.

Descriptio essentiæ in ordine ad operationes.

16. *Existentia*, quæ ordinariè sumitur pro existentia actuali, *variè describitur à Philosophis. Primò*, existentia dicitur, id quo res est extra nihil simpliciter, seu id quo res non est nihil simpliciter, atque adeo est ea quæ constituit ens simpliciter; Ens enim simpliciter dicitur illud quod actu existit. *Secundò*, existentia dicitur id quo res est formaliter & intrinsecè extra statum possibilitatis, & est in statu actualitatis. *Tertiò*, existentia est id quo res formaliter & intrinsecè est extra suas causas, non autem efficienter & extrinsecè, id enim fit per actionem. Prima descriptio existentiæ convenit omni existentiæ actuali tam creatæ quàm increatæ; duæ verò posteriores conveniunt tantùm existentiæ creatæ; cum enim Deus sit absolutè independens nullas causas habere potest extra quas ponatur & nunquam

Tres descriptiones existentiæ.

est in statu possibilitatis physicæ, sed necessariò est, fuit, & erit in statu actualitatis. Cæterùm essentia & existentia tot modis dividitur quot ens, de cujus divisione infrà agetur cap. 5.

Essentia & existêtia non distinguũtur sola ratione.

17. Hic quæri solet *an essentia & existentia distinguantur realiter, an verò distinguantur sola ratione.* Ad quod respondetur primò, *essentiam & existentiam non distingui sola ratione*; quia nulla datur distinctio rationis quæ non sit realis, ut fusè probatum est dum de ente rationis, & distinctio quæ non est realis, sed rationis tantùm, est ens rationis, at ens rationis esse impossibile fusè demonstravimus suprà dum de ente rationis.

Essentia & existentia distinguuntur realiter extrinsecè.

18. Respondetur secundò, *essentiam rei, existentiam rei, & rem ipsam distingui realiter extrinsecè, idest secundum connotata extrinseca quibus solent explicari*: Nam res solet explicari per accidentia quædam ei peculiaria, putà homo aut species humana solet explicari per staturam rectam, per vultum erectum in cœlum, per certam figuram & certa lineamenta à figura & lineamentis cæterorum animalium diversa; existentia rei solet explicari per coëxistentiam cum tempore præsenti, vel per negationem nihili simpliciter: Essentia verò rei solet explicari per id quod est nobilissimmm in re, putà essentia hominis per rationale, aut per animal rationale. Et sic eadem res, putà homo, consideratus cum tali statura, figura, & lineamentis, vocatur homo: consideratus in ordine ad tempus præsens quo quasi vestitur, vel in ordine ad negationem nihili simpliciter, vocatur existentia hominis, & consideratus in ordine ad sensationem & ratiocinationem, quæ sunt id quod est nobilissimum in homine vocatur essentia hominis. Nonnulli distinguunt existentiam ab essentia, quòd existentia dicat entitatem rei prout extra nihil, non considerando ordinem quem res existens obtinet in prædicamentis; essentia verò dicat naturam rei considerando ordinem quem obtinet cum aliis rebus in prædicamentis; verbi gratia cum dicitur, homo existit, idem est ac homo est actu extra nihil, at cùm dicitur, homo est animal rationale, declaratur natura & essentia hominis per tale genus & per talem differentiam, & indicatur ordo quem homo obtinet in prædicamento substantiæ sub genere animalis, hinc fit ut maximè ignari, imò & ipsæ bestiæ, facile percipiant existentiam rerum, at soli docti naturam & essentiam earum cognoscant. *Alii explicant existentiam per actualitatem, & essentiam per possibilitatem: Sed malè*, quia res quæ existit actu, atque adeo habet suam actualitatem, non habet statum possibilitatis, qui destructus est per statum actualitatis, cum tamen retineat suam essentiam: & quamvis res quæ existit actu, retineat possibilitatem logicam, quæ consistit in non repugnantia: Non retinet tamen possibilitatem physicam, quæ includit negationem aut privationem existentiæ, cum capacitate eam recipiendi: Imò possibilitas logica non explicat essentiam prout distin-

Essentia & existentia malè explicantur per possibilitatem & actualitatem.

ctam

ctam ab existentia, cum existentia ejusmodi possibilitatem semper includat.

19. Respondetur tertiò, *essentiam & existentiam non differre realiter intrinsecè:* Quia omnis productio est alicujus rei productio, quæ res dicitur terminus aut effectus productionis; & per consequens una productio est productio unius rei, seu unius termini aut effectus, & duæ productiones sunt productiones duarum rerum, seu duorum terminorum aut effectuum &c. verbi gratiâ productio unius Angeli est unica actio, unica productio, unica creatio; & per consequens habet pro termino aut effectu unam rem: At in creatione Angeli Deus producit & Angelum, & existentiam, & essentiam ejus; Ergo Angelus, existentia & essentia ejus, sunt unica res, & unicus terminus aut effectus ejusmodi creationis; & per consequens non distinguuntur realiter intrinsecè, quod autem dicitur de Angelo, dici potest de reliquis rebus citatis. *Essentia & existētia non differūt realiter intrinsecè.*

20. Dices, *rem produci quoad existentiam, non autem quoad essentiam: Atque adeo existentiam esse terminum & effectum productionis non autem essentiam.* Verùm contra, dico quòd essentia rei sit ipsa res; putà ignis qui est res, & elementum calidissimum, quod est essentia ignis, sunt idem realiter; homo qui est res, & animal rationale, quod est essentia hominis, sunt etiam idem realiter &c. Sed res sunt à Deo creatæ & productæ, & fuerunt termini aut effectus creationis aut productionis: Nam *in principio creavit Deus cœlum & terram,* Gen. 1. Et *per Deum verbum omnia facta sunt*, Ioan. 1. Ergo & essentiæ rerum sunt creatæ & productæ, & fuerunt termini aut effectus creationis aut productionis. Nec prodest dicere res esse productas in tempore ratione existentiæ, non autem ratione essentiæ: Nam si res producantur duntaxat ratione existentiæ, non autem ratione essentiæ, sequetur essentiam creaturæ absolutè non fieri, sed esse æquè ens à se ac Deus ipse: Rem enim aut essentiam fieri tantùm secundum aliquid ab ipsa distinctum, potest componi cum negatione absoluta productionis sui; ut patet in verbo divino, quod factum est caro: Id enim tantùm significat carnem factam, non verbum: Ergo similiter si essentia tantùm fiat existens, idest ratione existentiæ distinctæ, ipsa essentia non erit in se facta, sed existentia duntaxat; & sic essentia creaturæ erit æquè ens à se & independens ac Deus, & Deo eripietur dominium in Creaturam, cum qua essentia identificatur, aut saltem cujus præcipua pars est essentia. *Essentia est terminus productionis.*

21. Dices, *essentiam Creaturæ, licet in se improductam & improducibilem, non tamen esse ens à se simpliciter, sed esse ab alio, scilicet à Deo, non quidem per veram & realem actionem seu productionem, sed per resultantiam duntaxat*; ex eo enim quòd Deus sit potens resultat necessariò essentiam rei creatæ esse possibilem: Possibilitas autem illa, quæ est proprietas essentiæ, & per quam essentia solet explicari,

non pendet à Deo per veram actionem aut productionem, cum possibilitas rerum non producatur à Deo, sed tantùm earum actualitas: unde sicut omnipotentia Dei est æterna, sic possibilitas rerum debet dici æterna actu, non actu existentiæ, sed actu essentiæ.

22. Verùm contra dico, *possibile duobus modis sumi*, scilicet physicè & logicè; Possibile *physicè* dicitur illud quod non actu existit, sed potest existere, ut alter Sol: Possibile verò *logicè* est quodlibet Ens non repugnans, sive actu existat, sive non: Possibilitas igitur physica dicit necessariò negationem existentiæ actualis, atque adeò status possibilitatis physicæ non potest consistere cum statu actualitatis seu actualis existentiæ: Possibilitas verò logica est indifferens ad existentiam actualem & negationem ejus, atque adeo status possibilitatis logicæ potest consistere cum statu actualitatis & cum negatione ejus successivè. Quare possibilitas quæ tribuitur essentiæ, & dicitur proprietas ejus, vel est physica, vel logica; si sit physica, sequetur essentiam, à qua talis potentia est inseparabilis, non posse consistere cum existentia actuali, & existentiam actualem non posse consistere cum essentia; sicut ejusmodi possibilitas non potest consistere cum existentia actuali, nec existentia actualis cum tali possibilitate: si verò sit possibilitas logica, non minùs conveniet existentiæ quàm essentiæ: cum existentia actualis rei sit non repugnans, & nunquam involuat contradictoria. Deinde: possibilitas physica pendet à Deo, cum destruatur productione actualitatis, & producatur destructione actualitatis, quod non convenit essentiæ secundum Adversarios: Denique, singularitas purà Perreitas, quæ secundum Scotistas est existentia, æquè habet possibilitatem existendi, ac humanitas, quæ dicitur essentia: sicut enim ex eo quòd Deus sit potens, resultat essentiam, putà humanitatem, esse possibilem, sic ex eo quòd Deus sit potens, resultat existentiam putà Perreitatem, esse possibilem: Et sicut possibilitas essentiæ non potest produci à Deo: Ita nec possibilitas existentiæ ante ullam actualitatem.

Possibilitas non est proprietas essentiæ.

23. Dices, *existentiam Creaturæ esse tantùm possibilem aut factibilem terminativè, essentiam verò subjectivè.* Verùm contra dico, illud vocari *possibile terminativè* quod est tale per potentiam in alio residentem, cujus ideo est terminus aut effectus: Illud verò vocari *possibile subjectivè*, quod est tale per potentiam in se residentem: At non tantùm existentia, sed etiam essentia Creaturæ est possibilis, id est producibilis, per potentiam in alio residentem, scilicet per potentiam Dei; sicut enim homo alterius generativus dicitur pater possibilis subjectivè, scilicet per potentiam in se residentem, homo verò generabilis dicitur filius possibilis terminativè, scilicet per potentiam in alio residentem, quæ est potentia generativa patris: Ita Deus dicitur creator aut factor possibilis subjectivè, scilicet per potentiam in se residentem, Creaturæ verò dicuntur possibiles terminativè, sub-

Essentia est possibilis terminativè.

dicatur

licet per potentiam Dei, cujus actio terminatur ad essentiam non minùs quàm ad existentiam. Quod si humanitas, quæ dicitur essentia, habeat ex se & in se possibilitatem seu potentiam entitativam respondentem potentiæ activæ Dei, quàm chimæra, aut aliud impossibile non habet etiam Petreitas, quæ dicitur existentia, ejusmodi possibilitatem aut potentiam entitativam ex se & in se habebit; uno verbo nihil potest dici de essentia quod non dicatur de existentia: & non sunt multiplicanda aut distinguenda entia sine necessitate: nulla autem est necessitas distinguendi essentiam & existentiam ejusdem rei.

24. *Proprietates essentiæ & existentiæ præcipuæ hæ sunt.* Prima talis est: *Sicut res se habet in esse, sic se habet in fieri:* quia momentum productionis rei est initium existentiæ ejus: unde colligitur, substantiam quæ semper existit independenter à subjecto, fieri etiam independenter à subjecto, atque adeo creari: & cum formæ essentiales compositorum naturalium non producantur per creationem: sed per eductionem aut generationem, sequitur non esse substantias, sed accidentia. *Axiomata essentiæ & existentiæ.*

25. Secunda proprietas est ejusmodi: *Esse est propter operari, & unaquæque res est propter suam operationem:* Deus enim in hunc finem produxit res ut exerceant suas operationes, putà produxit ignem ut calefaciat hominem ut ratiocinetur &c. Hinc fit ut ea quæ habent omnes omnino easdem operationes, habeant etiam idem esse; & hac ratione probamus proprietates & potentias naturales identificari cum suis subjectis, ut demonstravimus in logicis dum de differentia & proprio. *Cur esse est propter operari.*

26. Tertia proprietas sic se habet: *Operari sequitur esse: & causa ut causet debet existere; cum non entis nulla effectiones aut affectiones seu proprietates:* Hinc fit ut causa sit semper prior tempore suo effectu quoad entitatem; ut mundus non potuerit creari à Deo ab æterno: & ut potentiæ naturales aut aliæ proprietates non sint effectus essentiæ, cum sint simul tempore cum illis, imò identificentur cum illis, ut fusè probatum est in logicis dum de differentia & proprio. Hoc autem axioma potissimùm verum est in iis quæ agunt per motum localem, oportet enim ut res sit priùs in loco, quàm moveatur è loco in alium locum: Lux Solis, calor ignis, humiditas aquæ &c. non sunt effectus, sed proprietates eorum, quæ ideo identificantur cum ipsis: & sunt partes tenuiores substantiæ eorum, quæ moventur successivè, & semper existunt antequàm localiter moveantur. Rursus, hoc axioma potest aliter explicari, scilicet quòd operari sequatur esse, id est quòd res operetur prout est, & quod modus operandi sequatur modum essendi: adeo ut si res sit corporea operatio ejus sit corporea, & modus ejus operandi sit corporeus: sive dicit ipsi- *Cur operari sequitur esse.* *Alia explicatio hujus axiomatis.*

lis, operatio & modus operandi ipsius sit spiritualis: Inde fit ut Angeli qui sunt spirituales non possint generare & cibos concoquere in corporibus assumptis, quia generatio & concoctio ciborum sunt actiones corporeæ: hinc etiam fit ut anima sensitiva hominis sint principium visionis, auditionis, ambulationis &c. non autem anima rationalis, quia ejusmodi actiones sunt corporeæ, anima verò rationalis est spiritualis. Cæterùm cùm diximus, non entis nullas esse effectiones aut affectiones, intelligendum est de non ente puro: nam de non ente actuali, quod est ens possibile dicitur quod possit aliquid, cum possit recipere esse ab alio, quod non convenit impossibili aut nihilo puro: Rursus, de non ente actuali dici potest quod sit causa actu, non per se, sed per aliud, putà homo qui statim à concubitu cum uxore moritur, & post quadraginta dies aut circiter generat filium, non per se, sed per virtutem formatricem in semine existentem: Denique, de non ente actuali, sed possibili, dici potest quod habeat proprietates & attributa essentialia aut necessaria, putà de rosa non actu existente dicitur quod sit flos, de homine non actu existente quod sit rationalis &c. Item, quòd habeat attributa accidentalia externa, putà de rosa non actu existente dicitur quòd sit actu cognita, de homine non actu existente quòd sit amatus &c. Imò, quòd habeat attributa accidentalia interna negativa, putà de homine non actu existente dici potest quòd non videat, quod non sedeat &c. sed id etiam dici potest de non ente puro; necnon attributa accidentalia interna positiva respicientia tempus præteritū aut futurum, putà de Dario non actu existente dicitur quòd victus sit ab Alexandro, de Iudicio ultimò quòd erit horrendum &c.

Limitatio huius axiomatis non entis nullas effectiones aut affectiones.

27. Quarta proprietas, scilicet *essentiæ rerum consistunt in indivisibili*, explicata est suprà dum de principiis complexis entis. Quinta proprietas, scilicet *essentiæ rerum sunt æternæ*, explicata est in logicis dum de universalibus. Huc referri possunt omnia principia entis complexa, de quibus suprà. Huc etiam referri possunt axiomata quæ traduntur de potentia & actu, cum Adversarii velint essentiam & existentiam se habere ut potentiam & actum, & potentia & actus sint principia incomplexa entis.

Limitatio huius axiomatis, à posse ad esse non valet consequentia.

28. *A potentia ad actum, seu à posse ad esse non valet consequentia*, verbi gratiâ, licet alter Sol possit esse, non tamen sequitur alterum Solem esse, & si quis habeat visum qui est potentia videndi, non tamen sequitur eum actu videre. Hoc autem axioma intelligendum est de consequentia affirmativa: Nam à posse ad esse, & à potentia ad actum valet consequentia negativa; sed sic meliùs diceretur, à non posse esse ad non esse, à negatione potentiæ ad negationem actus valet consequentia; verbi gratiâ lapis non potest ambulare, ergo non ambulat, cæcus non habet potentiam videndi, ergo non videt. Dices, *à posse ad esse non valere consequentiam negativè, quia non sequi-*

tur,

tur, ego possum non esse, ergo non sum, Petrus potest non loqui, ergo non loquitur &c. Verùm respondetur, has consequentias non procedere à posse ad esse negativè; nam ut fiat processus ejusmodi negativus, antecedens debet esse negativum; at in exemplis allatis antecedens est affirmativum; licet enim aliqua negatio in adjuncto prædicati reperiatur: non tamen est in vero prædicato, quod est potens; cum sensus antecedentis, sit ego sum potens non esse, Petrus est potens non loqui; quare consequentia à potentia non essendi ad non esse, & à potentia non loquendi ad non loqui est affirmativa: licet enim non esse, & non loqui, sit negatio actus, scilicet actus essendi & actus loquendi, attamen respectu potentiæ non essendi & potentiæ non loquendi, habent rationem actus: Nam sicut se habet esse ad posse esse, & loqui ad posse loqui: Ita se habet non esse ad posse non esse, & non loqui ad posse non loqui, adeo ut negatio sit quasi forma, quæ ad modum actus recipitur in potentia.

29. *A potentia ad negationem actus*, seu *à posse ad non esse non valet consequentia:* verbi gratiâ hæc consequentia non est bona, habet potentiam videndi, ergo non videt; quod intelligendum est primò, de potentia affirmata: Nam à potentia negata ad negationem actus valet consequentia ut suprà, putà non habet potentiam videndi, ergo non videt; secundò, intellegendum est à potentia entitativa logica ad negationem actus non valere consequentiam, putà non sequitur, Petrus habet potentiam entitativam logicam, seu Petrus est possibilis logicè, id est Petrus non repugnat esse, ergo non est: Nam de Petro actu existente, dici potest quod habeat potentiam entitativam seu possibilitatem logicam aut non repugnantiam: A potentia autem entitativa seu possibilitate physica ad negationem actus valet consequentia: siquidem possibile physicè dicit negationem actus existendi & capacitatem ipsum recipiendi. *Limitatio huius axiomatis à posse ad non esse non valet consequentia.*

30. *Ab actu ad potentiam*, seu *ab esse ad posse valet consequentia;* verbi gratiâ actu videt, ergo habet potentiam videndi: Sed hic advertendum primò, hæc duo non esse confundenda, scilicet esse in potentia, & habere potentiam, quia habere potentiam & habere actum possunt esse simul; putà idem potest habere potentiam & actum videndi simul: & idem qui habet actum, necessariò habet potentiam & qui non habet potentiam non habet actum ut suprà: At esse in potentia & esse in actu seu habere actum non possunt esse simul; adeo ut qui habet unum non habeat alterum, & qui non habet unum, habeat alterum, putà qui est in actu ambulandi seu qui actu ambulat, non est in potentia ad ambulandum, licet habeat potentiam ambulandi; & qui non actu ambulat, seu qui non est in actu ambulandi, est in potentia ambulandi, si sit quæstio de animali: Item, qui est in potentia ad ambulandum non actu ambulat; & qui non est in potentia ad ambulandum est in actu ambulandi seu actu ambulat. Observandum & *Limitatio huius axiomatis ab esse ad posse valet consequentia.*

avertendum secundò, idem tempus esse debere in antecedente & in consequente, verbi gratiâ Petrus natus est, ergo potuit nasci, non autem ergo potest nasci: hi lateres sunt cocti, ergo potuerunt coqui, non autem ergo possunt coqui.

Limitatio axiomatis, frustra est potentia quæ non est reducitur ad actum.

31. *Frustrà est illa potentia, quæ non reducitur in actum*; quoniam illud dicitur esse frustra, quod non obtinet finem propter quem est aut productum est, at potentiæ & habitus sunt propter suos actus. Hoc axioma intelligendum est primò, de tota specie, non autem de uno individuo: verbi gratiâ potentia generandi non est frustra, licet non reducatur in actum in Petro; modò reducatur in actum in aliquo alio homine: esset autem frustra si in nullo homine nunquam reduceretur in actum. Secundò, frustra est illa potentia, quæ in tota specie in nullum unquam actum reducitur; at si in aliquem actum, licet non in omnem reducatur, non propterea est frustra; putà potentia locomotiva non est frustra, licet ad certum locum aliquem ad quem progrediendo accedere posset, nullum animal unquam accesserit aut accessurum sit; eò quòd potentia illa reducatur in actum respectu aliorum locorum; & ratio hujus rei est quia finis potentiæ est actus indifferenter & indeterminatè, & respectu objecti indifferentis seu indeterminati, non autem hic vel ille actus certus determinatus, aut respectu hujus aut illius objecti determinatè: Nam si ad hoc ut potentia non esset frustra requireretur ut reduceretur in omnem actum in quem reduci potest, omnes aut saltem plurimæ potentiæ essent frustra, cum ad tot actus non deducantur, quin ad alios vel plures saltem numero diversos, & respectu plurium aliorum objectorum numero saltem distinctorum deduci possint. Tertiò, frustra est illa potentia quæ non reducitur in aliquem actum pro omni tempore, id est quæ nunquam reducitur in aliquem actum: at si pro aliquo tempore, licet non pro omni reducatur in actum, non propterea est frustra, putà potentia augmentativa non est frustra in vivente, licet postquam vivens ad justam magnitudinem perduxit, toto vitæ tempore quiescat. Quartò, frustra est illa potentia quæ non reducitur in actum aliquem pro aliquo tempore in tota specie, si sit potentia naturalis, non autem si sit potentia obedientialis, quod rectè explicat Thomas 3. dist. 1. quæst. 1. art. 3. his verbis: *Capacitas alicujus creaturæ potest intelligi dupliciter: vel secundum potentiam naturalem quæ pertinet ad rationem seminalem, & sic nullam capacitatem naturæ vacuam dimittit Deus in genere, quamvis capacitas alicujus creaturæ particularis non impleatur propter aliquod impedimentum: vel secundum potentiam obedientiæ secundum quam qualibet creatura habet ut ex ea posset fieri quod Deus vult, & hoc modo in humana natura est capacitas hujus dignitatis ut in unitatem divinæ personæ assumatur, nec oportet quod talem omnem capacitatem ad impleat, sicut non oportet quòd Deus faciat quicquid potest, sed quod congruit ordini sapientiæ ejus*: Ita in lapidibus est potentia obedientialis, qua apti sunt

sunt, ut ex ipsis filii surgant Abrahamo, Matth.3.9. Licet hoc nunquam Deus fecerit nec facturus sit; quod autem talis potentia obedientialis non sit frustra, licet in tota specie nunquam reducatur in aliquem actum, desumitur ex eo quod potentia obedientialis est ipsa rei essentia quæ frustra non est, licet ad actum ad quem per absolutam Dei potentiam deduci potest non deducatur, eò quòd ad istum actum non sit primò ordinata: quemadmodum Deus essentiam hominis eò non ordinavit primò ut assumeretur in unitatem personæ divinæ, nec lapides ad hoc fecit ut ex iis excitarentur filii Abrahamo. Quintò, frustra est illa potentia quæ non reducitur in actum incompletum, licet non reducatur in actum completum, sic numerus dicitur infinitus potentiâ, licet nunquam possit esse infinitus actu, quia cuilibet numero possunt addi semper aliquæ unitates quæ sunt actus incompletus, nunquam tamen ei possunt addi omnes unitates collectivè, quæ sunt actus completus.

32. *Actus & potentia sunt in eodem genere*; hoc docet Thomas pag.1. quæst.77. art.1. & ex eo vult probare potentias animæ realiter differre ab anima, his verbis: *Cum potentia & actus dividat ens, & quodlibet genus entis: oportet quod ad idem genus referatur potentia & actus, & ideo si actus non est in genere substantiæ, potentia quæ dicitur ad illum actum non potest esse in genere substantiæ, operatio autem animæ non est in genere substantiæ, sed in solo Deo, cujus operatio est ejus substantia: unde Dei potentia quæ est operationis principium est ipsa Dei essentia: quod non potest esse verum neque in anima, neque in aliqua creatura.* Hæc *doctrina Thomæ falsa est*, primò quia necesse est dari potentiam receptivam quæ substantia sit, & ejus actum quem recipit in aliquo prædicamento accidentis collocari: Nam quodlibet accidens est in substantia tanquam in subjecto, & quod est in subjecto est receptum in ipso; quod autem in aliquo recipitur per potentiam receptivam recipitur: Substantia igitur recipit accidens per potentiam receptivam quæ est substantia, vel aliud accidens: si sit substantia, habetur intentum; si verò sit accidens, recipietur talis potentia accidentalis in substantia tanquam in subjecto, & erit recepta in ipsa per aliam potentiam receptivā; de qua redit quæstio an sit substantia, vel accidēs; & sic vel dabitur progressus in infinitū, vel sistendū in aliqua potentia receptiva accidentis quæ sit substantia; atq; adeo potētia & actus non erūt in eodem genere. Secundò, potētiæ activæ sunt in prædicamento qualitatis in secūda specie; actus verò ejusmodi potentiarū sunt actiones, & per consequēs in prædicamento actionis; ergo potentia & actus non sunt in eodem genere seu prædicamento: Nos dicimus potentiam & actum duobus modis considerari: primò in abstracto & secundum se, quo pacto potentia & actus non sunt in eodem genere seu prædicamento, ut suprà probatum est: secundò in concreto, ratione rerum quæ dicuntur esse actu vel potentia; & sic non tantùm sunt in eodem genere, sed sunt una

Potentia & actus non sunt in eodem prædicamento.

& eadem numero res, quæ modo est potentia, modo est actu, putà idem homo qui jam actu est seu est actualis, antea erat potentiâ seu erat possibilis, ut suo loco dictum est.

Limitatio axiomatis, cujus est potentia ejusdem est actus.

33. *Cujus est potentia ejusdem est actus*, idest *cui potentia tribuitur, ei quoque actus tribuitur*; quod verum est sive actus sit in eodem ac potentia, sive non: Contingit enim sæpissime ut actus in eo fit in quo est potentia; sed id non est perpetuum; determinatur autem hoc pacto: In quo est potentia passiva, in eo est actus: In quo est potentia activa actione transeunte, in eo non est actus; tunc enim actus seu actio est in patiente, & quasi transit ab agente ad patiens, putà calefactio quâ ignis aquam calefacit non est in igne, sed in aqua. A nonnullis axioma suprà allatum intelligitur de potentia objectiva seu de possibilitate physica: idem enim est quod olim in potentia erat & jam est in actu. Ab aliis intelligitur axioma de actu & potentia consideratis ratione objecti, scilicet quòd potentia & actus, necnon habitus & actus respiciant idem objectum: putà visus & visio habent idem objectum, scilicet colorem: & Physica ac actus physicus habeant idem objectum, scilicet corpus naturale.

Limitatio axiomatis, à potentia ad actum fit mutatio.

34. *Quod transit de potentia ad actum mutatur*; quod intelligendum est de potentia passiva, putà homo qui ex philosopho potentiâ fit philosophus actu, mutatur; non autem de potentiâ purè activa, putà Deus, qui ex creante potentiâ fit creans actu, non mutatur.

Potentia non excedit suum objectum.

35. *Potentia non excedit suum objectum adæquatum*: quia objectum adæquatum dicitur illud quod est æquale potentiæ: Inde colligitur Deum non videri oculo corporeo seu visu corporeo; quia objectum adæquatum visus est visibile corporeum, scilicet color aut lumen: At Deus non est visibile corporeum: Inde etiam infertur Deum non posse facere ut qui vixerit non vixerit, & alia impossibilia facere non posse rectè colligitur: quia objectum adæquatum omnipotentiæ divinæ est omne possibile distributivè, non autem impossibile: imò nec omne possibile collectivè, quia tale possibile collectivè dicit contradictionem in adjecto, & est impossibile, ut probabitur in physicis dum de Infinito.

Causa potentia & actus est diversa.

36. *Non est eadem causa potentia & actus*: putà non est eadem causa risibilitatis & risus. Potentia potest dici actus, non tamen quæ satisfaciat quæstioni propter quid sit: ut si quæratur cur aliquis rideat? non rectè respondetur, quia est risibilis aut rationalis: si enim ea esset causa propter quid, cur hoc potiùs tempore quàm alio ridet, cum semper sit rationalis & risibilis? sed bene respondetur, quia res quædam ridicula ipsi est oblata.

Potentia activa respondet passiva.

37. *Cuilibet potentia activa respondet passiva*; si enim potentia activa existeret in rerum natura non existentia potentia passiva ipsi responden-

pondente, tunc illa potentia esset frustra. Quidam limitant hoc axioma ad potentiam activam creatam; nam per potentiam increatam Dei potest aliquid fieri ex nihilo, id est nulla præsupposita materia aut potentia passiva alicujus subjecti: verùm dici potest potentiæ divinæ & increatæ respondere potentiam passivam entitativam seu possibilitatem physicam, quatenus res possibilis physicè potest recipere esse à Deo, quæ possibilitas ab aliis dicitur potentia objectiva.

38. *Cuilibet potentiæ passivæ respondet activa*; nam sicut ut potentia activa reducatur in actum, necesse est adesse potentiam passivam in quam agat. Ita ut potentia passiva deducatur in actum requiritur potentia activa. *Potentiæ passivæ respondet activa.*

CAPUT QVARTUM.

De Proprietatibus Entis.

HOc capite agetur primò, de proprietatibus Entis in communi; secundò, de uno tertiò, de vero: quartò, de bono.

DE PROPRIETATIBVS ENTIS in communi.

1. *Dari aliquas proprietates Entis, probatur* ex eo quòd objectum cujuslibet scientiæ habeat aliquas proprietates quæ demonstrantur de ipso, per causas reales vel virtuales, rei vel cognitionis: Sed Ens est objectum metaphysicæ: Ergo Ens habet aliquas proprietates, quæ ab aliis dicuntur passiones Entis, attributa entis. *Cur dantur proprietates entis.*

2. *Tres vulgò numerantur proprietates Entis*, scilicet Vnum, Verum & Bonum; quibus alii addunt Aliquid & Rem: Et hæc omnia simul cum Ente faciunt sex transcendentia: Attamen *Res latè sumpta*, prout comprehendit etiam modum, *solo nomine differt ab Ente*, atque adeo non est ejus proprietas: *Res verò strictè sumpta*, prout opponitur modo, nec est transcendens, *nec proprietas entis, sed ejus species*, quando scilicet ens dividitur in re & modum rei, seu in ens fundamentale & modale, de quibus suo loco agemus: Item, *Aliquid, vel non differt ab Ente, vel ab Vno indeterminatè.* Supradictis proprietatibus quidam addunt Intelligibile, quod refertur ad verum, & Appetibile aut Amabile, quod refertur ad bonum, ut probabitur infrà: Alii addunt Identitatem & Similitudinem, quæ referuntur ad unitatem, ut dicitur infrà. *Tres sunt proprietates entis.*

Proprietates Entis non distinguuntur intrinsecè ab ente. 3. *Proprietates Entis nihil positivum superaddunt enti ab eo distinctum, nisi secundum id quod dicunt extrinsecè & connotativè*: quia ea non distinguuntur realiter intrinsecè, quæ de se invicem non negantur, sed affirmantur: At Ens non negatur de proprietatibus suis; alioquin proprietates entis non essent entia, atque adeo nihil essent, quod est absurdum. Adde quod proprietates Entis suprà allatæ convertuntur & reciprocantur cum Ente, & ei soli & semper conveniunt, ut infrà: Quòd verò distinguantur realiter extrinsecè ab Ente, probabitur infrà, dum de iis sigillatim agemus.

Ordo proprietatum entis. 4. *Inter proprietates Entis hic ordo statuitur, ut Vnitas primum locum teneat, Veritas secundum, & bonitas tertium*; quia unitas convenit Enti absolutè: veritas autem & bonitas relativè; siquidem veritas connotat intellectionem, & bonitas appetitionem, ut infrà: At absoluta sunt priora relativis; veritas verò dicitur prior bonitate; quia bonitas veritatem, sicut amabilitas aut appetibilitas intelligibilitatem præsupponit, cum nihil volitum quin præcognitum, & cognitio rei necessariò præcedat amorem illius.

DE VNO SEV VNITATE.

Definitio unius & unitatis. 5. VNum est ens indivisum in se, & *unitas* est indivisio rei in se: Alii addunt divisionem à quolibet alio; sed malè, quia quælibet pars compositi naturalis est una, nec tamen est ab aliis divisa: Alii addunt distinctionem à quocunque alio; sed malè, quia unum non desineret esse unum, licet non esset aliud à quo distingueretur; verè tamen dicitur divisum & distinctum à quolibet alio; quia nihil aliud est quàm illud ipsum quod est, putà Petrus nullum habet esse aliud à suo esse, scilicet ab esse Petri; unde negat omne aliud esse præter suum esse, negat (inquam) de se; quia non potest dici de Petro quòd sit Paulus, Iacobus &c. *Indivisum in se* dicitur illud quod nihil habet in se quod sit divisum; unde cumulus lapidum non est propriè unum ens; licet enim sit indivisus à se, eò quòd nihil dividatur à seipso; attamen non est indivisus in se, quia habet in se lapides non unitos, sed divisos: Quare ad rationem unius non tantùm requiritur ut sit indivisum à se, sed etiam ut sit indivisum in se: Et ideo quod est indivisum à se, sed divisum in se, non est propriè Ens, sed entia; nec propriè unum, sed multa, ut grex, exercitus, & alia entia collectiva seu aggregativa. Dixi indivisum non indistinctum in se, quia multa sunt verè una, & indivisa in se, quæ non sunt indistincta in se, putà Petrus qui est verè unus & indivisus in se, non est indistinctus in se, quia habet in se partes realiter intrinsecè distinctas, licet non divisas.

Definitio Indivisi & indistincti in se.

6. *Vnum est proprietas Entis*, quia convenit omni, soli, & semper

hue.

Enti, omne enim solum, & semper ens est unum; cum nullum sit ens de quo dici non possit esse unum ens; quod sic demonstratur. Quodlibet Ens vel plura dicit, vel unum : si unum, ergo quodlibet ens est unum : si plura, vel quodlibet eorum dicit adhuc plura, vel unum tantùm : si illud, dabitur processus in infinitum, quod est impossibile: si hoc, habebitur intentum; & quodlibet ens erit unum, quod erat demonstrandum. Dices *unitatem convenire alteri quàm Enti ; eò quòd conveniat non enti, putà uni chimeræ, quæ est unum non ens.* Verùm respondetur, hîc tantùm esse quæstionem de unitate entitativa & reali ; Adde quòd chimæra est purum nihil, atque adeo non est unum quid propriè loquendo.

Cur unum est proprietas entis.

7. *Unum nihil positivum superaddit enti* ; quia illud positivum esset ens, atque adeo unum, idque per seipsum : si autem aliquod ens, scilicet illud positivum, sit unum per seipsum sine additione alterius positivi ; omne etiam aliud ens erit unum per seipsum sine additione alterius positivi. Igitur unum aut unitas realiter intrinsecè dicit quidem aliquid positivum, scilicet ipsam entitatem aut ipsum Ens ; at extrinsecè seu connotativè dicit aliquid negativum, scilicet negationem omnis alterius seu negationem pluralitatis aut multitudinis; atque adeo non consistit talis unitas in negatione negationis, sed in negatione multorum positivorum, seu in negatione omnis alterius positivi ; si enim aliquis velit probare esse unum tantùm hominem in cubiculo id tantùm probabit ex eo quòd non sint plures homines in cubiculo, vel ex eo quòd nullus alius homo sit in cubiculo : at *nullus alius*, vel *non esse plures*, dicunt manifestè negationem omnis alterius & pluralitatis. *Differunt* tamen *unum* & *unitas* quòd unum in recto dicat ipsum ens, in obliquo verò negationem pluralitatis ; at unitas in recto dicat negationem pluralitatis in obliquo verò ipsum ens quod dicitur unum. Dices, *idem non posse dicere ens simul & negationem entis, quia sunt contradictoria.* Verùm respondetur, unum in recto dicere ens, in obliquo verò non dicere negationem illius Entis quod dicit in recto prout requireretur ad contradictionem, sed dicere negationem omnis alterius entis. Dices ; *sic fieri circulum vitiosum ; eò quòd unum dicat negationem plurium, & plura dicant negationem unius; atque adeo esse negationem negationis utrinque.* Verùm respondetur, unum in recto dicere ipsum ens quod est unum, in obliquo verò dicere negationem plurium entium ; at plura in recto dicere plura entia, in obliquo verò negationem unius aut illius entis quod est unum, unde utrumque in recto dicit ens, & in obliquo negationem entis; non tamen idem ens, nec eandem negationem : unum enim dicit in recto illud ens, cujus negationem plura dicunt in obliquo : dicit verò in obliquo negationẽ illius entis, vel potiùs illorum entium quæ plura dicunt in recto : at plura dicunt in recto plura entia quorum negationem unum dicit in obliquo; dicit verò negationem illius;

Unum nihil positivum superaddit enti.

Quid dicit unum intrinsecè & extrinsecè.

Distinctio unius & unitatis.

entis quod unum dicit in recto: Ideo unum non dicit negationem illius negationis quam dicunt plura, nec plura dicunt negationem illius negationis quam dicit unum, ut patet attendenti. Hinc patet *quomodo ens & unum distinguantur, & quomodo non*: Non distinguuntur realiter intrinsecè & in recto, cum unum intrinsecè & in recto nihil aliud dicat quàm ipsum ens; distinguuntur verò realiter extrinsecè secundum connotata extrinseca quibus ens & unum solent explicari: Nam ens explicatur per negationem repugnantiæ, unum verò per negationem pluralitatis; At negatio repugnantiæ & negatio pluralitatis distinguuntur realiter, sicut repugnantia & pluralitas, cum negationes distinguantur tantùm per ea quorum sunt negationes.

Distinctio entis & unius.

Omne unum est determinatum.

8. *Quod unum est, determinatum est*: Quia quod unum est, est hoc & nihil aliud: Sed quod est hoc, & nihil aliud, est determinatum: Indeterminatio enim idem est quod indifferentia, quæ semper est ad plura: Quod igitur unum est non est indifferens, atque adeo est determinatum. Hinc fit ut quicquid existit physicè determinatum sit: Nam quod existit physicè est ens: At quod est ens est unum: Et quod est unum est determinatum: Ergo quicquid existit physicè determinatum est: Præterea, quod physicè existit est singulare, cum universale physicè & realiter non existat, ut probatum est fusè in logicis, dum de universalibus: At quicquid est singulare, est hoc, & nihil aliud: Ergo quod physicè existit est hoc & non aliud, atque adeo est determinatum. Inde colligitur nullas esse partes indeterminatas realiter in quantitate, quia nulla pars existit quæ non sit hæc, & non alia, atque adeo quæ non sit determinata.

9. Divisiones unitatis in unitatem identitatis & similitudinis, in unitatem realem & rationis, in unitatem positivam & negativam, in unitatem singularem universalem & formalem, in unitatem per se & per accidens, in unitatem simplicem & compositam, in unitatem essentiæ & existentiæ, in unitatem transcendentalem & prædicamentalem, fusè traditæ & explicatæ sunt in logicis dum de universali in communi. Alii addunt divisionem unitatis in logicam, moralem, & entitativam: *unitas logica* est quâ multa sunt unum in ordine ad scientias humanas; quæ unitas est tantùm unitas similitudinis; similium enim est una & eadem scientia, idem conceptus, & idem judicium: *unitas moralis* est quâ plura sunt unum in ordine ad rectam hominum existimationem; sic multi cives faciunt unam civitatem, multi milites unum exercitum. *Unitas entitativa* est qua quodlibet ens est unum idest indivisum in se, de qua tantùm nunc.

Unitas logica, moralis, & entitativa.

Definitio multitudinis.

10. *Unitati opponitur multitudo*, quæ nihil aliud præter plures entitates aut unitates: *Ad unitatem refertur unio* qua composi-

cum

tum est unum, de qua fusè agetur in physicis dum de unione & composito. *Denique ad unitatem & multitudinem refertur identitas & distinctio*, de quibus in logicis.

11. *Primum axioma de identitate* tale est : *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, verbi gratiâ animal rationale & animal risibile sunt eadem uni tertio, scilicet homini, ergo sunt eadem inter se. Quidam limitant hoc axioma hoc pacto : Quæ sunt eadem uni tertio singulari & incommunicabili, sunt eadem inter se : Quæ verò sunt eadem uni tertio universali, aut uni tertio singulari communicabili, non sunt eadem inter se : verbi gratiâ Petrus & Paulus sunt unum in homine, & tamen non sunt idem inter se : Item Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt idem in Divinitate, cum sint idem numero Deus, & tamen non sunt idem realiter inter se : Quia homo est universale respectu Petri & Pauli, & Deus est singulare communicabile tribus personis divinis, cum sint tres personæ realiter distinctæ. *Verùm has limitationes rejiciendas esse censeo* : Nam probavimus in logicis nullum dari universale, & Petrum & Paulum verbi gratiâ non esse unum & idem in homine, sed tantùm similes: & existimamus personalitates divinas distingui, saltem modaliter, à Divinitate, ut censent doctiores Theologi. *Meliùs limitaretur hoc axioma hoc pacto*. Quæ seorsim sumpta sunt eadem uni tertio, sunt etiam eadem inter se : At quæ simul sumpta sunt eadem uni tertio, non tamen sunt eadem inter se; verbi gratiâ tectum parietes, & fundamentum, simul, non seorsim, sumpta, sunt ipsa domus, & sunt eadem realiter uni tertio, scilicet domui, non tamen sunt eadem inter se: Pariter fundamentum & terminus, simul, non seorsim, sunt eadem uni tertio, scilicet relationi prædicamentali, cum relatio prædicamentalis identificetur cum fundamento & termino simul sumptis, non tamen fundamentum & terminus sunt eadem inter se 2. Quæ seorsim sumpta sunt eadem uni tertio adæquatè sunt eadem inter se : At quæ seorsim sumpta sunt tantùm eadem uni tertio inadæquatè, non sunt eadem inadæquatè inter se ; verbi gratiâ corpus humanum & anima rationalis seorsim sumpta, sunt eadem inadæquatè uni tertio, scilicet homini, cum sint partes ejus : Nec tamen sunt eadem inadæquatè inter se, eò quòd corpus & anima se totis, atque adeo adæquatè distinguantur 3. Quæ seorsim sumpta sunt eadem vni tertio adæquatè, tam in concreto, quam in abstracto, sunt etiam eadem adæquatè inter se, ut rationale & risibile respectu hominis : At quæ seorsim sumpta sunt eadem adæquatè uni tertio in concreto, non tamen in abstracto, non sunt eadem inter se, nisi materialiter & in concreto, non autem formaliter & in abstracto : verbi gratiâ album & dulce seorsim sumpta sunt eadem adæquatè uni tertio, scilicet lacti, in concreto, non in abstracto; & ideo album & dulce non sunt eadem inter se, nisi materialiter & in concreto, ta-

Limitatio falsa, axiomatis, quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.

Limitationes vera prædicti axiomatis.

tione subjecti, scilicet lactis, non tamen formaliter & in abstracto, cum albedo & dulcedo realiter distinguantur. Cæterùm hoc axiomate nititur tota vis syllogistica, saltem affirmativa: Ideo enim minus extremum & majus extremum identificantur inter se in conclusione, quia identificata sunt cum medio in præmissis. Dices, *quomodo duo possunt esse eadem cum uno tertio:* Nam si sint idem, quomodo possunt esse duo, & si sint duo, quomodo possunt esse unum & idem, & si sint eadem uni tertio, quomodo potest esse tertium? Respondetur, quæ sunt duo & tria realiter extrinsecè, posse esse unum & idem realiter intrinsecè: verbi gratiâ, homo rationale, & risibile, sunt unum & idem realiter intrinsecè; quia unum nihil habet in se, quod alia duo non habeant: Non sunt tamen idem, sed distinguuntur realiter extrinsecè, scilicet per extrinseca connotata quibus solent explicari: Cum homo explicetur in ordine ad erectum vultum, certam figuram, & certa lineamenta; ratione verò explicetur in ordine ad ratiocinationem; & risibile in ordine ad risum, quæ connotata extrinseca sunt realiter diversa.

Fundamentum doctrinæ syllogisticæ.

Identitas maior includit minorem.

12. Secundum axioma de identitate est ejusmodi: *Identitas major includit minorem:* Identitas autem numerica est maxima atque adeo includit specificam & genericam; & identitas specifica est major genericâ, atque adeò identitas specifica includit genericam: hinc fit ut quæ sunt unum & idem numero, sint etiam unum & idem specie & genere; putà hic candor & hæc albedo, quæ sunt idem numero, sunt etiam idem specie & genere, idest ponuntur sub eadem specie, scilicet sub albedine, & sub eodem genere, scilicet sub colore; & quæ sunt unum & idem specie, sunt etiam unum & idem genere, putà Petrus & Paulus, qui sunt idem specie, sunt etiam idem genere, idest Petrus & Paulus qui ponuntur sub eadem specie, scilicet sub homine, ponuntur etiam sub eodem genere, scilicet sub animali. Quod intelligendum est de Individuis sub aliqua specie contentis: Nam si aliqua Individua identitatem numericam habentia, non habeant speciem, non habebunt identitatem specificam, ut Deitas & Infinitas, saltem positivè; licèt valdè impropriè dicantur eam habere negativè, quatenus scilicet non habent diversitatem specificam. Cæterùm, licet identitas major includat minorem: *Non tamen identitas minor includit majorem:* Atque adeo quæ sunt idem genere tantùm, non sunt idem specie, putà homo & brutum quæ sunt idem genere in animali, non sunt idem specie, sed sunt diversæ species animalis; & quæ sunt idem specie tantùm, non sunt idem numero, putà Petrus & Paulus, qui sunt idem specie in homine, non sunt idem numero, sed sunt duo Individua numero distincta. Denique, ea quæ sunt eadem numero realiter intrinsecè possunt differre genere, specie & numero realiter extrinsecè, & formaliter, ut actio & passio, supposito quod sint una & eadem entitas, & tamen constituant

Eadem numero realiter sunt diversa specie & genere formaliter.

duo

duo diversa prædicamenta.

13. Tertium axiomata de identitate sic se habet : *Illa sunt eadem quorum conjugata sunt eadem , & ea non sunt eadem quorum conjugata non sunt eadem* ; sic candor & albedo sunt idem , quia candidum & album sunt idem ; albedo verò & nigredo non sunt idem, quia album & nigrum non sunt idem. *Ego existimo hoc axioma non semper valere affirmativè* , cum album & dulce in lacte sint idem , & tamen albedo & dulcedo non sint idem : Limitandum igitur axioma hoc pacto, illa sunt eadem quorum conjugata sunt semper & ubique eadem. *Limitatio axiomatis. Illa sunt eadem quorum coniugata sunt eadem.*

14. Quartum axioma de identitate ita se habet : *Illa sunt eadem quorum opposita sunt eadem , & illa non sunt eadem quorum opposita non sunt eadem* ; & sic album & candidum sint eadem , quia atrum & nigrum iis opposita sunt eadem ; & album ac dulce non sunt eadem, quia nigrum & amarum iis opposita non sunt eadem , saltem semper & ubique : Item , aliquid & ens idem sunt, quia nihil & non ens iis opposita idem sunt. *Illa sunt eadem quorum opposita sunt eadem.*

15. Quintum axioma de identitate his verbis traditur. *Quæ sunt eadem habent easdem causas effectivas & corruptivas , & simul oriuntur ac intereunt ; & quæ non sunt eadem non habent easdem causas effectivas & corruptivas , nec easdem origines & interitus : Ego existimo hoc posterius membrum negativum esse falsum* : Nam Petrus & Paulus , qui non sunt idem , possunt habere eandem causam effectivam & corruptivam, putà Deum , & simul possunt oriri & interire. *Quæ sunt eadem habent omnia eadē.*

16. Sextum axioma de identitate sic formatur : *Quæcumque sunt eadem , habent eadem accidentia imò habent omnia omnino eadem prædicata* : Inde fit ut Divinitas & personæ diuinæ non sint idem , quia non habent eadem prædicata : Divinitas enim est communicabilis , non autem persona divina ; persona divina generat , generatur , aut spiratur, non autem Divinitas,&c.

17. *Primum axioma de non identitate seu distinctione* tale est : *Illa non sunt idem , sed distinguuntur , quorum unum sine altero esse potest*: Nullum enim (inquiunt omnes Philosophi majus) signum distinctionis dari potest quam separabilitas. Quidam addunt, ea non distingui, quorum unum sine altero esse non potest ; sed malè , quia tres personæ divinæ distinguuntur, & tamen una non potest esse sine altera; forma materialis & compositum distinguuntur , & tamen unum non potest esse sine altero. *Separabilia distinguuntur*

18. Secundum axioma de distinctione est ejusmodi ; *Illa distinguuntur quæ habent diversas definitiones* ; Nam definitio explicat essentiam rei, & essentia rei est ipsa res ; & ob eandem rationem , quæ habent easdem definitiones sunt idem, & non distinguuntur : Quod debet intelligi de definitionibus objectivis ratione intrinsecæ enti- *Diversæ definitiones obiectivæ verè arguunt earum distinctionem.*

tatis, non autem ratione extrinsecorum connotatorum, nec de definitionibus formalibus.

Diversa operationes, accidentia &c. arguunt distinctionem.

19. Tertium axioma de distinctione sic se habet: *Illa distinguuntur quæ habent diversas proprietates, diversas operationes, diversa accidentia & diversa prædicata*; quia quæ sunt idem, debent habere omnia omnino eadem prædicata, ut suprà.

Distinctio major includit minorem

20. Quartum axioma de distinctione sic se habet: *Distinctio major includit minorem*, putà distinctio generica includit specificam & numericam, & distinctio specifica includit numericam: Ideò quæcúmque distinguuntur genere, distinguuntur etiam specie & numero; & quæ distinguuntur specie, distinguuntur etiam numero.

DE VERO SEU VERITATE.

Definitio veritatis formalis.

21. Veritas vel formalis, vel objectiva, vel entitativa. Veritas *formalis* est conformitas conceptus cum re, dicitúrque veritas cognitionis; cum enim cognitio sit alicujus cognitio, certè si cognoscatur res sicuti est, cognitio est formaliter vera: Ad hanc veritatem refertur veritas significationis, quæ est in vocibus & scripturis significantibus conceptus & res, imò secundùm alios reperitur etiam in conceptibus non ultimatis, qui sunt conceptus vocum aut scripturarum; conceptus enim ultimati sunt conceptus rerum. *Veritati formali opponitur falsitas formalis*, quæ est difformitas conceptus cum re; ad quem refertur falsitas significationis, quæ est in vocibus & scripturis falsis. *Veritas & falsitas formalis*, vel *complexa*, quæ est cum affirmatione aut negatione, vel *incomplexa*, quæ est sine affirmatione & negatione; hæc reperitur in prima; illa vero in secunda & tertia mentis operatione. Ab aliis veritas formalis dicitur conformitas conceptus cum objecto; & falsitas formalis dicitur difformitas conceptus cum objecto; verùm sic propriè nulla esset falsitas formalis, & omnes conceptus essent veri; quia omnis conceptus est conformis suo objecto. Plura de veritate & falsitate formali tradita sunt in quarta parte Logicæ, dum de enunciatione.

Definitio falsitatis formalis.

Divisio veritatis & falsitatis formalis.

Definitio veritatis objectivæ.

22. *Veritas objectiva* est conformitas rei vel objecti cum vera cognitione; *Estque duplex*, scilicet in actu primo, & in actu secundo; *in actu primo* est quâ objectum est cognoscibile prout est in se, *in actu* vero *secundo* est quâ objectum est cognitum prout est in se: Veritas igitur objectiva est quâ objectum dicitur verum in ratione objecti; estque habitudo seu relatio quædam conformitatis objecti ad cognitionem, sive actualem, sive possibilem, quæ habitudo dicit in recto objectum repræsentatum aut repræsentabile, prout est in se, in

obliquo verò dicit cognitionem ipsam; sicut veritas formalis est veritas cognitionis quâ scilicet cognitio est vera; estque habitudo seu relatio quædam conformitatis cognitionis ad rem aut objectum, quæ habitudo dicit cognitionem in recto, & dicit in obliquo objectum repræsentatum prout est in se.

23. *Veritas entitativa* est quâ ens dicitur non habere tantùm speciem exteriorem entis, sed habere realitatem aut veritatem entis, verbi gratiâ nummus aureus dicitur verus nummus aureus, non tantùm quia habet speciem aut imaginem exteriorem nummi aurei, sed quia habet veram & realem naturam nummi aurei; unde si de vero nummo aureo quis quærat, an constet vero auro; respondebit alius peritus, esse verum aurum, hoc est non esse cuprum aut argentum deauratum, nec quicquam aliud quod auri tantùm exteriorem speciem præ se ferat. *Definitio veritatis entitativæ.*

24. *Veritas formalis non potest dici proprietas entis*, cum illa actui tantùm intellectus insit, vel comprehendat tantùm actum & objectum repræsentatum prout est in se; at actus intellectus, vel actus intellectus & objectum repræsentatum prout est, non complectuntur omne ens; quod tamen requiritur ad constituendam proprietatem entis; & ideo non omne ens est verum veritate formali. *Veritas formalis non est proprietas entis.*

25. *Veritas entitativa, quâ scilicet ens dicitur verum ens, est proprietas entis*; quia omne ens est verum eo modo. Quòd *si dicatur, aliquod ens esse falsum, putà falsum nummum*: Respondetur, idem posse esse simul verum & falsum, sed sub diversa ratione, verbi gratiâ falsus nummus est falsum ens in ratione auri, cujus speciem exteriorem duntaxat, non verò intimam naturam habet, cum tamen sit verum ens in ratione cupri aut æris. Cæterùm hic agimus de veritate reali; Non enim negamus non ens posse dici verè non ens, & esse verum non ens, non autem fictum. *Veritas entitativa est proprietas entis.*

26. *Veritas objectiva, quâ ens est cognoscibile prout est in se est proprietas entis*; quia omne ens est cognoscibile vera cognitione, idest omne ens est cognoscibile prout est in se; imò non potest cognosci aliter quàm est secundùm essentialia, ut probavimus dum de ente rationis; & licet aliquando cognoscatur aliter quàm est secundum accidentalia; attamen ens conceptum aliter quàm est secundum accidentalia, est verum ens possibile; quia ejusmodi accidentalia habere potest, fusè autem demonstravimus dum de ente rationis, non ens non posse cognosci. *Veritas objectiva est proprietas entis.*

27. *Veritas entitativa superaddit enti negationem apparentis duntaxat, seu negationem speciei tantùm exterioris*, verbi gratiâ illud aurum dicitur verum aurum quòd non habet tantùm speciem exteriorem seu apparentiam auri; species quidem exterior potest conjungi cum vero ente, at sola species exterior, seu sola apparentia, non potest conjungi cum vero ente. *Falsitas entitativa dicit speciem* *Veritas entitativa superaddit enti negationem apparentis.* *Quid dicunt verum & falsum entitativum, tam in recto & in obliquo*

exteriorem alicuius entis cum negatione illius entis; verbi gratiâ aurum falsum est quod habet speciem exteriorem auri, non tamen est realiter aurum, unde falsum ens dicit in recto speciem exteriorem entis, in obliquo verò negationem illius entis cujus habet speciem exteriorem, at verum ens dicit in recto esse entis, in obliquo verò negationem exterioris tantùm speciei.

Veritas obiectiva superaddit enti denominationem ext: secam.

28. *Veritas objectiva superaddit tantùm enti denominationem extrinsecam realem desumptam ab actu vero seu à cognitione vera intellectus*, atque adeo propriè veritas objectiva est tantùm denominativè in rebus, formaliter verò in intellectu, saltem secundum id quod dicit in obliquo. Cæterùm veritas objectiva, & veritas entitativa, sunt veritates transcendentales quæ conveniunt omni enti: Cum igitur omne ens sit verum transcendentale, sequitur nullum esse falsum transcendentale.

Definitio veritatis extrinseca.

29. *Veritas objectiva, quæ constituitur per cognoscibilitatem, duplex est*, scilicet extrinseca & intrinseca: Veritas seu cognoscibilitas *extrinseca* includit essentialiter ens quod cognosci potest, & cognitionem quâ ens potest cognosci; quæ cognitio est quidem extrinseca enti cognito aut cognoscibili, sed est intrinseca & essentialis veritati extrinsecæ, quæ dicitur extrinseca, quia includit cognitionem extrinsecam enti, non tamen extrinsecam veritati extrinsecæ: Unde veritas formalis, & veritas objectiva extrinseca non differunt realiter & entitativè, cum dicant easdem entitates, sed differunt in modo eas significandi: Nam veritas formalis dicit primariò cognitionem, & secundariò objectum quod extrinsecum est cognitioni, non tamen veritati formali; veritas verò objectiva extrinseca dicit primariò objectum, & secundariò cognitionem, quæ extrinseca est objecto, non tamen veritati objectivæ extrinsecæ: *Veritas objectiva seu cognoscibilitas intrinseca*, quæ ab aliis dicitur veritas fundamentalis, quia fundat veritatem extrinsecam quæ à cognitione desumitur, nihil aliud est quam ipsa ratio entis quæ terminat cognitionem; hæc autem veritas est intrinseca objecto, licet illi extrinsecè accidit terminare cognitionem; veritas extrinseca non terminat cognitionem saltem directam, sed tantùm veritas intrinseca, quia id quod terminat cognitionem, distinguitur à cognitione & eam non includit, at veritas extrinseca includit cognitionem, ergo non terminat ipsam. Ideo solum verum intrinsecum quod est ipsum ens terminat cognitionem directam: Dixi *directam* nam cognitione reflexâ potest cognosci veritas extrinseca, ut patet attendenti. Cæterùm veritas seu cognoscibilitas intrinseca & fundamentalis non potest distingui formaliter seu conceptu ab ente, nisi cognoscatur in ordine ad aliquod extrinsecum, scilicet in ordine ad cognitionem, per quam tamen non constituitur. *Utraque autem veritas tam intrinseca quam extrinseca, est passio seu proprietas aut attributum entis, ab eo distincta formaliter & per* con-

Veritas formalis & objectiva sunt idem entitativè.

Definitio veritatis extrinseca.

Utraque veritas extrinseca & intrinseca est proprietas entis.

connotata intrinseca, Quòd sit proprietas entis suprà probatum est: Quòd distinguatur ab ente formaliter & per connotata extrinseca, patet ex eo quòd connotatum extrinsecum entis sit repugnantia negata, connotatum verò extrinsecum veritatis sit cognitio.

Multiplicatis cognitionibus multiplicantur veritates extrinsecæ non intrinsecæ.

30. Hic quæritur *an multiplicatis cognitionibus multiplicentur veritates?* Respondetur, multiplicari veritates extrinsecas, quia tales veritates includunt essentialiter cognitiones: sicut enim multiplicatis terminis multiplicantur relationes inadæquatè, putà multiplicatis filiis multiplicantur paternitates, ut probabitur infrà dum de relatione: Ita multiplicatis cognitionibus multiplicantur veritates extrinsecæ, quæ constituuntur partialiter per cognitiones; non tamen multiplicatur ens verum: quia concreta accidentalia non multiplicantur per formas, sed per subjecta; putà homo qui habet plures filios habet plures paternitates inadæquatè, est tamen unus pater; & homo qui habet plures artes, est tamen unus artifex: At multiplicatis cognitionibus non multiplicantur veritates intrinsecæ, quia non constituuntur per cognitiones, licet distinguantur ab ente in ordine ad cognitionem eo modo quo suprà.

Definitio falsi artificialis.

31. *Falsum* vel artificiale, vel objectivum, vel formale, vel entitativum. Falsum *artificiale* dicitur quod non est juxta regulas artis, & non habet omnia requisita ad sui perfectionem; & sic falsas merces & pecuniam falsam dicimus: *Verum talis falsitas impropriè tantùm dicitur falsitas*; eò quòd non opponatur veritati, sed bonitati, rectitudini aut integritati rei; & ideo debet potiùs dici defectus aut malitia opposita integritati. *Falsum formale* est actus intellectus repræsentans rem aliter quàm est secundum accidentalia, atque adeo nihil est aliud quàm judicium falsum de re aliqua, quàm Enunciatio falsa, ut si quis judicaret Regem Hispaniæ esse in America: Dixi *secundum accidentalia*; res enim non potest repræsentari aliter quàm est secundum essentialia: nam tunc non repræsentaretur essentia rei; & cum essentia rei sit ipsa res, non repræsentaretur res illa, sed alia. *Falsum objectivum*, est objectum actus aut judicii falsi, vel Enunciationes falsæ, atque adeo est illud quod cognoscitur aut cognosci potest aliter quàm est, ut existentia Regis Hispaniæ in America: *Falsum entitativum* est quod apparet id quod non est, atque adeo fundat probabiliter cognitionem falsam sui; fundamentum autem illud probabile est similitudo cum alio ente, ut cum aurichalcum dicitur falsum aurum eo quòd Intellectus confundat ipsum cum auro, propter similia quædam accidentia quæ in utroque reperiuntur: Talis autem falsitas objecti semper oritur ex imperfectione Intellectus cognoscentis; quia etsi aliqua accidentia similia aliquod fundamentum præbeant, ut unum objectum confundatur cum alio, putà aurichalcum cum auro, & judicetur esse aliud quàm est: nihilominus ex se objectum ap-

Definitio falsi formalis.

Definitio falsi obiectivi.

Definitio falsi entitativi.

rum est terminare cognitionem veram, & accidentia quæ similitudinem referunt cum alio ente, sufficientia non sunt ad Intellectum perfectum decipiendum, ut patet in Deo qui propter sui perfectionem decipi non potest.

Nullum falsum est transcendentale aut proprietas entis.

32. *Nullum datur falsum transcendentale:* Nam primò falsum artificiale convenit tantùm artefactis, atque adeò non convenit omni enti. Secundò, falsum formale non convenit omni enti, cum conveniat tantùm actibus intellectus. Tertiò, falsum objectivum accidentale convenit duntaxat propositioni objectivæ falsæ, quæ potest esse vera, atque adeo tale falsum objectivum est semper ens possibile; nam falsum objectivum essentiale, id est res concepta aliter quàm est secundum essentialia, est impossibilis, purum non ens, & purum nihil, cujus non potest formari imago, ut ostendimus dum de ente rationis. Denique falsum entitativum non convenit omni enti, cum omne ens non sit simile alteri, sed dentur multa entia notabiliter dissimilia.

DE BONO SEU BONITATE.

Bonum morale & transcendentale.

33. **B***Onum* vel morale, vel transcendentale. Bonum *morale* dicitur illud quod congruit rectæ rationi, ut actio virtutis, de quo fusè agetur in Ethicis. *Bonum transcendentale*, vel in se, vel alteri

Bonum in se & alteri.

bonum est. Bonum *in se* aliter dicitur perfectum, & describitur id cui nihil deest: *Perfectum* autem vel est tale simpliciter, vel secundum

Definitiones & divisiones perfectionũ.

quid tantùm: Perfectum *simpliciter* dicitur illud quod habet omnes perfectiones sine ulla imperfectione, sicque solus Deus dicitur bonus & perfectus: Perfectum *secundùm quid, seu in suo genere,* dicitur illud cui nulla deest perfectio speciei suæ debita ut homo cui mens sana & corpus integrum sanum & validum: *Perfectio* etiam, vel essentialis, vel accidentalis, vel integralis: Perfectio *essentialis* consistit in prædicatis essentialibus quibus res constituitur, ut animalitas & rationalitas respectu hominis: Perfectio *accidentalis* consistit in accidentibus omnibus naturæ rei requisitis. Perfectio *integralis* consistit in partibus materialibus rei & sic hominem *integraliter perfectum* dicimus, qui habet omnes partes corporis humani: *Imperfectum* verò integraliter qui est mutilus, & aliquo membro privatus. Rursus *perfectio*, vel est *simpliciter simplex*, quæ nullam dicit imperfectionem, & in quolibet melior est ipsa quàm non ipsa, ut bonitas, sapientia &c. vel *secundum quid*, quæ quidem est perfectio in aliquo, habet tamen aliquam admixtam imperfectionem, ut ratiocinatio in homine, & ideo in quolibet non est melior ipsa quàm non ipsa, purà in Deo. Prætetea, *perfectio* vel *positiva*, ut intellectus in homine, calor in igne &c. vel *negativa*, ut impeccabilitas, incorruptibilitas, carentia habitus vitiosi &c.

34. Bonum

34. *Bonum alteri* dicitur illud quod est conveniens alteri, ex qua bonitate oritur potissimùm appetibilitas aut amabilitas; ideo enim res est appetibilis & amabilis ab aliquo, quia est ei bona & conveniens: & hinc fit ut ab Aristotele bonum dicatur id quod omnia appetunt. *Bonum alteri triplex* est, honestum, utile, & delectabile. *Honestum* est quod naturam rationalem decet, vel quod congruit rectæ rationi, & ideo non distinguitur à bono morali, quod laude & honore dignum est, ut actiones virtutum; ex quibus honestum derivatur etiam in alia externa, vestitum enim honestum vocamus, qui est præscriptus à ratione recta. Bonum *utile* est quod inservit ad assecutionem alterius. Bonum *delectabile* est quod affert voluptatem, ad quod communiter refertur pulchrum: *pulchrum* autem dicitur illud quod tale est ut rationabiliter placere possit, supposito scilicet vel actu intellectus quo possit repræsentari, vel actu visus aut auditus quo possit sentiri, excludo actus reliquorum sensuum; nec enim sapor qui palatum delectat dicitur pulcher, sed bonus, gratus, & jucundus: nec odor qui olfactui arridet dicitur pulcher; nec quicquam aliud quod afficit tactum dicitur pulchrum; at verò musica pulchra dicitur, quæ gratam affectionem imprimit auri; & vultus pulcher, qui gratam affectionem imprimit oculo: sed de pulchritudine fusè agetur in Ethica, dum de causis amoris, cujus præcipua est pulchritudo: Addam tantùm eos errare qui eam definiunt per proportionem partium, vel per proportionem proportionum; licet enim hoc verum sit de quadam pulchritudine putà de pulchritudine vultus humani: non tamen verum est de qualibet pulchritudine; cum multa sint pulchra sine ulla proportione, ut vox simplex, color simplex, & Deo simplicissimo sua pulchritudo non deest. Dixi *rationabiliter*, quippe nulla est deformitas sine amatore, & omne ferè pulchrum suos hostes habet.

Bonum alteri definitur & dividitur.

Definitiones boni honesti, utilis, delectabilis & pulchri.

35. *Alii dividunt bonum* in objectivum, physicum, morale, & entitativum. *Bonum objectivum* est quod terminat, vel potest terminare actum potentiæ appetitivæ, id est quod appetitur aut potest appeti, quod amatur aut potest amari sub propria ratione: Nam sicut datur ratio objectiva in ordine ad intellectum: Ita etiam datur ratio objectiva in ordine ad voluntatem: Et sicut posse cognoscere non potest esse, nisi sit posse cognosci, nec actu cognoscere potest esse, nisi sit actu cognosci: Ita etiam posse appetere non potest esse, nisi sit posse appeti nec actu appetere potest esse, nisi sit actu appeti. Quare ratio objectiva rei in ordine ad voluntatem est quâ aliquid est objectum voluntatis: idque vel in actu primo, & dicitur potentia objectiva rei respectu voluntatis; vel in actu secundo, & dicitur actus objectivus: Et sicut ratio objectiva rei in ordine ad Intellectum, considerata in actu primo, scilicet ratione potentiæ objectivæ, facit intelligibile; considerata verò in actu secundo, ratione actus objectivi, facit actu intellectum seu cognitum: Ita etiam ratio objectiva rei in ordine ad volun-

Boni objectivi explicatio.

voluntatem, considerata in actu primo, scilicet ratione potentiæ objectivæ, facit volibile; considerata verò in actu secundo, scilicet ratione actus objectivi, facit actu volitum: Et sicut cognoscibile aut intelligibile, vel est verum, vel falsum: verum quidem, quatenus est cognoscibile prout est; falsum verò, quatenus est cognoscibile aliter quàm est secundum accidentalia: Ita etiam volibile vel est bonum, vel malum, bonum quidem, quod sub propria ratione, scilicet sub ratione boni volibile est: malum verò, quod non est volibile sub ratione propria, scilicet sub ratione mali, sed sub alia, scilicet sub ratione boni apparenter tantùm boni.

Boni physici, moralis & entitativi explicatio.

36. *Bonum physicum seu bonum reale*, est quod physicè seu realiter est conveniens alteri, id est ad suum esse physicum vel conservandum, vel perficiendum vel illustrandum &c. Ab aliis dicitur bonum naturæ, quod complectitur bonum honestum, utile, & delectabile de quibus suprà. *Bonum morale* est bonum honestum, quod scilicet congruit rectæ rationi. *Bonum entitativum* est perfectum, de quo suprà.

Bonum morale non est proprietas entis. Bonum entitativum, physicum & objectivum sunt proprietates entis.

37. *Bonum morale non est proprietas Entis*; cum non conveniat omni enti; convenit enim tantùm virtutibus aut actionibus virtutum. *Bonum entitativum, quod est bonum in se, id est perfectum, est proprietas Entis*: quia omne Ens est perfectum in suo genere, saltem essentialiter. *Bonum physicum seu reale, quod est bonum alteri, id est conveniens alteri, est proprietas entis*; quia convenit omni Enti: nam accidens est bonum substantiæ quam perficit aut ornat; & substantia est bona accidentibus, quæ sustentantur ab ipsa: Deus est bonus creaturis, quibus dat & conservat esse: Et creaturæ sunt bonæ Deo aliquo modo cujus perfectiones manifestant. *Bonum objectivum est proprietas Entis*, eò quòd omne ens sit amabile & appetibile ab aliquo.

Quid bonum objectivum, & bonum entitativum, super addunt Enti.

38. *Bonum objectivum superaddit tantùm Enti denominationem extrinsecam desumptam remotè ab amore aut appetitione* cum tale bonum nihil aliud sit quàm appetibile aut amabile. *Bonum entitativum seu perfectum, superaddit tantùm Enti negationem defectus*, sic bonus miles dicitur cui nihil deest ad esse militis, *Bonum physicum* revocari potest ad bonum objectivum; cum enim tale bonum sit conveniens alteri, est appetibile ab ipso; & ideo *est proprietas Entis.*

Imperfectum privativè & negativè.

39. *Bono opponitur malum. Bono entitativo*, id est *perfecto*, *opponitur malum entitativum*, id est *imperfectum*: *Imperfectum* autem duobus modis sumitur, scilicet privativè, & negativè: Imperfectum *privativè* est id quod caret perfectione debitâ, ut homo carens virtute, membro, sanitate &c. Imperfectum verò *negativè* dicitur illud quod caret perfectione, quam vel non potest, vel non debet habere, ut homo carens spiritualitate: His adde malum aut imperfectum positivum,

sitivum, ut calor qui est malus aquæ. Cæterùm hoc *malum entitativum seu imperfectum non est proprietas entis*, cum non conveniat omni enti, scilicet Deo. *Bono morali opponitur malum morale*, id est *inhonestum*, quod scilicet est difforme rectæ rationi : & quod *non potest esse proprietas entis* : cum conveniat tantùm vitiis aut actibus vitiosis. *Bono physico opponitur malum physicum*, quod est disconveniens rei, & comprehendit inhonestum, inutile, & molestum aut injucundum: *& tale malum non est proprietas entis*, cum non conveniat omni enti, putà Deo, Angelo &c. *Bono objectiuo opponitur malum objectiuum*, quod nec terminat nec terminare potest actum potentiæ appetitivæ, id est quod non est appetibile seu amabile : *& tale malum non est proprietas entis*, cum non conveniat omni enti, ut patet. Obiter hic notandum *diuisionem entis in bonum & malum, & diuisionem bonorum & malorum esse tantùm præcisiuam, non autem esse in membra physicè seu realiter opposita* : Quia idem ens potest esse bonum & malum diverso respectu, puta nummus aureus levior, potest dici bonus in ratione auri, & malus in ratione nummi : idem homo potest esse & dici bonus seu perfectus essentialiter, & malus seu imperfectus accidentaliter aut integraliter &c. Idem etiam bonum, & idem malum potest sub diversis rationibus ad diversas species pertinere.

Malum entitativum, morale, physicum, & obiectivum explicantur: & non sunt entis proprietates.

Divisio entis in bonum & malum, & divisio bonorum & malorum est tantùm præcisiva.

40. Ex superioribus patet *ens, unum, verum, bonum, non distingui realiter intrinsecè* ; cum unum eorum nihil dicat aut contineat in se, quod alia non dicant & contineant in se : *Sed distingui realiter extrinsecè*, scilicet per extrinseca connotata quibus solent explicari : Nam ens solet explicari in ordine ad negationem repugnantiæ, aut ad positionem, unitas in ordine ad negationem pluralitatis : veritas in ordine ad cognitionem aut negationem apparentiæ : bonitas vero in ordine ad volitionem aut negationem defectus.

Quomodo proprietates entis distinguuntur ab ente & inter se.

CAPVT QVINTVM.

De Divisionibus Entis.

1. ENs *variis modis diuiditur*. Primò ens dividitur in ens reale & ens rationis, *ens reale* interdum sumitur pro eo quod est à parte rei, id est quod existit nemine cogitante de ipso, sive sit positivum, sive non, ut homo, cæcitas &c. Interdum pro ente positivo, id est quod ponit aut ponere potest aliquid in rerum natura, ut homo, & hoc modo cæcitas non est ens, quia nihil ponit, sed potiùs

Divisio entis in ens reale & rationis refutatur.

tollit, cùm tollat visum ab oculo: *Ens rationis est* quod existit tantùm objectivè in intellectu. Verùm cum ens rationis sit purum non ens & purum nihil, nihilque possit habere esse tantùm objectivè in intellectu, & per consequens ens rationis non possit dari, rejicimus diuisionem entis in ens reale & ens rationis.

Ens positivum, negativum & extrinsecè denominativũ explicantur.

2. *Ens reale sumptum pro eo quod est à parte rei*, solet dividi in positivum, negativum, & extrinsecè denominativum: *Ens positivum* ponit aut ponere potest aliquid in rerum natura, ut visus: *Ens negativum* nihil ponit, sed tollit, ut cæcitas tollens visum: *Extrinsecè verò denominativum*, nec ponit, nec tollit, sed extrinsecè afficit, ut esse visum respectu parietis. De denominatione extrinseca, necnon de intrinseca, & mixta ex utrâque, actum est in

Negatio absoluta & secundum quid explicantur.

Logicis dum de denominativis. *Negatio*, vel est absoluta, vel secundum quid: Negatio *absoluta*, seu *negatio pura*, quæ dicitur negatio simpliciter, est absentia formæ in subjecto inepto ad eam recipiendam, ut carentia visus in lapide: *Negatio* verò *secundum quid*, quæ aliter dicitur *priuatio*, est absentia formæ in subjecto apto ad eam recipiendam, ut cæcitas in oculo. Denique, ens positivum rectè dividitur in substantiam & accidens. Verùm cum privationes & negationes non sint propriè entia, sed potiùs negationes entium & non entia: *Rejicimus diuisionem entis realis in positiuum & negatiuum.*

Definitio entis per se & per accidens necnon utriusque divisio

3. Secundò, ens dividitur in ens per se & ens per accidens. *Ens per se*, vel metaphysicum, vel physicum, quibus alij addunt artificiale, morale, & supernaturale. Ens per se *metaphysicum*, quod aliter dicitur ens per se simplex, est vnica natura, & dicit tantùm unicam entitatem partibus prorsus carentem, ut Deus, Angelus, anima rationalis, & punctum mathematicum: Ens per se *physicum* est compositum naturale, quod scilicet constat pluribus naturis partialibus naturaliter ordinatis ad vnum totum constituendum, ut homo, leo &c. Ens per se *artificiale*, dicitur illud quod constat pluribus naturis totalibus, non ex natura, sed ex arte ordinatis ad unum totum artefactum constituendum, ut domus, calceus: Ens per se *morale*, dicitur illud quod constat pluribus naturis totalibus, non ex natura aut arte, sed ex voluntate ordinatis ad unum totum constituendum, ut Respublica: Ens per se *supernaturale* est unicum, scilicet Christus constans ex pluribus naturis totalibus, scilicet Divinitate & humanitate supernaturaliter ordinatis ad unicam personam aut unum totum personale constituendum: Cæterùm *entia moralia & artificialia meliùs reuocantur ad entia per accidens. Ens per accidens* dicitur illud quod constat pluribus naturis totalibus non ordinatis naturaliter ad unum totum constituendum, ut cumulus lapidum. *Cum autem ens per accidens non sit ens, sed entia, male diuiditur ens, in ens per se & ens per accidens.*

4. Ter-

4. Tertiò, ens dividitur in ens actuale, & possibile: *Ens actuale* est quod actu existit vt hic mundus: Ens *possibile* duobus modis sumitur: Primò provt opponitur actuali: Secundò provt opponitur impossibili: Ens possibile *provt oppositum actuali* est id quod non actu existit, sed potest existere, vt alter mundus: Aliterque dicitur possibile physicè & proximè: Sicut autem impossibile dicitur id quod non potest esse, quod est repugnans, & contradictorium, vt ignis frigidus, asinus rationalis &c. Ita *possibile provt opppositum impossibili* dicitut illud quod potest esse, quod non est repugnans, quod non involvit prædicata contradictoria, sive actu existat, sive non, vt homo, ignis &c. Aliterque dicitur possibile logicè & remotè, sic dici potest quòd ego sim possibilis, quatenus non sum impossibilis: & quod non sim possibilis, quatenus sum actualis, idest quatenus actu existo. Cum autem divisio debeat fieri in membra opposita: & idem ens simul sit actuale & possibile logicè: Idémque ens quod est jam actuale fuerit possibile physicè, & idem quod fuit possibile jam sit actuale, atque adeo ens actuale & ens possibile non sint opposita: *Non rectè dividitur ens in actuale & possibile:* Cum non sint opposita ratione entitatis, sed tantùm ratione diversi status. Illi autem multò magis errant, qui dividunt ens in actuale, possibile, & impossibile: & qui dicunt ordinariè, *res est impossibilis*: Quoniam ens & impossibile, res & impossibilis, sunt contradictoria, cum ens seu res sit id quod est, vel potest esse: Impossibile verò non possit esse: Vnde ex eo quòd Christus dixerit, omnia esse possibilia Deo, non rectè infertur, vnum numero corpus posse esse simul in pluribus locis: Cum enim talis existentia sit impossibilis absolutè, est putum non ens & putum nihil. *Entita actualis & possibilis explicatio.*

5. Ens possibile tot modis ferè dividi potest quot impossibile. Impossibile autem variis modis dividitur. Primò, in impossibile supernaturaliter, naturaliter & moraliter: *Impossibile supernaturaliter*, est quod nequidem virtute divina esse potest, vt lapis sensitivus, homo irrationalis &c. *Possibile* verò *supernaturaliter*, est quod saltem divinitus esse potest, vt resurrectio mortuorum. *Impossibile naturaliter*, est quod non potest esse viribus naturæ, idest virtute causarum naturalium, potest tamen esse virtute supernaturali & divina, vt creatio alterius mundi, suscitatio mortui &c. *Possibile* verò *naturaliter*, est quod potest esse viribus naturæ, vt destructio Imperij Turcici. *Impossibile moraliter*, est quod non potest esse juxta regulas prudentiæ, & ex judicio prudentium, & ideo debet judicari impossibile, licet revera sit possibile etiam naturaliter, vt destructio regni Hispanici intra paucos annos: *Possibile* verò *moraliter*, est quod prudenter judicatur tale, vt pax inter Gallos & Hispanos. *Possibile & impossibile supernaturaliter, naturaliter & moraliter explicantur.*

Possibile & impossibile absolutè & ex hypothesi explicantur.

6. Rursus, duplex statuitur impossibile, scilicet impossibile absolutè, & impossibile conditionatè seu ex hypothesi. *Impossibile absolutè,* est quod nulla virtute siue naturali siue supernaturali potest esse, ob contradictionem directam & explicitam, vel indirectam & implicitam; explicitam, vt ignis non est ignis; implicitam, vt ignis est frigidus, quod enim est frigidum non est ignis. *Possibile* verò *absolutè*, est quod aliquâ virtute, saltem diuinâ, potest esse, vt alter mundus. *Impossibile conditionatum seu hypotheticum*, est quod absolutè quidem est possibile, sed positâ aliqua conditione, seu factâ aliqua hypothesi non potest esse vt creatio alterius mundi, quæ est absolutè possibilis, sed supposito quòd Deus decreuerit non creare alterum, mundum, talis creatio est impossibilis, scilicet ex hypothesi decreti diuini. *Impossibile absolutè, & impossibile supernaturaliter, sunt purum nihil*, & ideo non possunt hab-re locum inter entia: At impossibile conditionatum seu ex hypothesi, & impossibile naturaliter aut moraliter, cum sint possibilia absolutè, non sunt pura non entia, aut pura nihila, & ideo habent locum inter entia possibilia.

Impossibile ex hypothesi triplex.

7. Prætereа, *triplex* distingui potest *impossibile conditionatum* seu ex hypothesi *Primum,* cùm res habens vires sufficientes ad agendum, non potest agere, quia impeditur à fortiori; sic ignis fornacis Babylonicæ non poterat comburere tres juvenes, quia licet ignis, vim haberet eos comburendi, non tamen eos poterat comburere, quia causa fortior, scilicet Deus, impediebat ne ignis se insinuaret in eorum corpora, eosque combureret. *Secundum,* cùm res ex se non habet vires sufficientes ad agendum, & causa quæ habet vires sufficientes eas adhibere non vult; sic impossibile est hominem manibus & pedibus vinctum vinculis suis solui, si ipse non habeat vim solvendi vincula & qui possent nolint soluere; sic etiam impossibile est vt sapientes hujus sæculi credant Euangelio, quia ex se non habent vim credendi & Deus qui solus potest dare vim credendi, non vult eam dare, vt habetur in Euangelio. *Tertium,* cùm res non habet vires sufficientes & causa quæ habet vires sufficientes, nec eas vult adhibere nec potest velle, eò quòd actio aut effectus repugnet naturæ ipsius: sic impossibile est eos qui peccant in Spiritum Sanctum, renovari ad pœnitentiam, & ad Deum conuerti, quia ex se non habent vim sese conuertendi, & Deus qui solus dat resipiscentiam, nec vult, nec potest velle ipsorum conuersionem: quia talis conuersio aut donum pœnitentiæ repugnaret justitiæ & sapientiæ diuinæ, quatenus ejusmodi peccatores in Spiritum Sanctum, sponte & voluntariè rejecerunt sacrificium Christi, quo solo salutem consequi poterant. *Denique impossibile sæpius sumitur pro difficili.*

Entis absoluti & relatiui explicatio.

8. Quartò, Ens diuiditur in absolutum, & relatiuum. *Ens relatiuum* refertur ad aliud, & non potest concipi sine alio ad quod refertur, vt pater qui non potest concipi sine filio ad quem refertur:

De

De tali autem ente relatiuo, & de relatione, fusè agetur in secunda parte Metaphysicæ dum de Relatione. *Ens absolutum* non refertur ad aliud, & est quasi ens solutum & liberum à relatione, vt substantia, putà homo. Verùm, quia relatio identificantur cum fundamento & termino simul sumptis, vt probabitur dum de relatione; fundamentum verò & terminus sunt duo entia absoluta; clarum est divisionem entis in absolutum & relatiuum non esse in membra physicè seu realiter opposita: atque adeo *divisionem entis in absolutum & relatiuum non esse exactam.*

Entis completi & incompleti explicatio.

9. Quintò, Ens dividitur in completum & incompletum. *Ens completum* dicitur illud quod est totum aut concipitur per modum totius, vt homo. *Ens* verò *incompletum* dicitur illud quod est pars, aut concipitur per modum partis, vt caput. Secundum alios ens completum dicitur illud cui nihil deest vt connaturaliter existat, vt homo: Ens incompletum verò est cui aliquid deest, & compleri potest vlteriùs; vno verbo secundum illos completum & incompletum non differunt à perfecto & imperfecto. Ego ens completum & incompletum confundo cum toto & parte, de quibus fusè actum est in Logicis dum de divisione, & aliquid dicetur in Physicis dum de composito. *Hæc divisio Entis in completum & incompletum non videtur esse legitima*, cum non fiat in membra physicè seu realiter distincta: siquidem eadem res quæ est completa potest fieri incompleta, & incompleta potest fieri completa; puta gutta aquæ ab aliis omnibus separata est completa, conjuncta verò cum aliis est pars, atque adeò incompleta.

Divisio entis ens à se & ab alio, creatum & increatum, reÿcienda.

10. Sextò Ens dividitur in Ens à se & ab alio, in increatum & creatum, in infinitum & finitum, vno verbo in Deum & Creaturam. Verùm, *Deus nec est ens à se, nec ab alio*; quia non dependet ab alio vt fatentur omnes: nec etiam dependet à se, quia nihil dependet à seipso. Datur etiam ens quod non est ens increatum, scilicet non est Deus; nec creatum, sed creabile, scilicet ens possibile physicè.

Divisio Entis in decem prædicamenta reÿcienda

11. Septimò, Ens diuiditur, in decem prædicamenta, quæ sunt substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, vbi, quando, situs & habitus. *Verùm, hæc diuisio non videtur esse legitima*, quia non fit in membra realiter opposita & distincta, cum multa ejusmodi prædicamenta non differant realiter intrinsecè, vt probabitur suis locis.

12. Octauò, Ens dividitur in singulare & vniuersale, de quibus fusè actum est in logicis. Ens etiam diuiditur in ens essentiæ & existentiæ, de quibus suprà. *Ejusmodi autem diuisiones non sunt legitimæ*; quia essentia & existentia sunt vnum & idem ens, atque adeò non diuidunt ipsum; vniuersale verò sumptum pro vno in pluribus

divisim est impossibile, atque adeo non est ens, sed purum nihil, ut probatum est in logicis dum de universalibus; sumptum verò pro rebus similibus, non est ens, sed entia.

Vera divisio entis, 13. Nonò, *Ens immediatè & rectè dividitur in substantiam & accidens:* Nam omne ens vel inhæret, & est accidens; vel non inhæret, sed existit aut subsistit per se, & est substantia. Alii dividunt Ens in rem & modum, in ens fundamentale & modale: verùm, cum res aut ens fundamentale provt opponitur modo, sit substantia: & modus sit accidens, ut probabitur suo loco, talis divisio concidit cum nostra.

Finis primæ partis Metaphysicæ.

SECVNDA PARS METAPHYSICÆ

De Ente communi Corpori & Spiritui.

HÆC ſecunda pars Metaphyſicæ dividitur in tria capita: Primo agitur de Subſtantia & Accidente: Secundo de Qualitate: Tertio de Relatione. De reliquis prædicamentis agetur in Phyſicis; Nam quantitatis eſt proprietas corporis naturalis neceſſario tractanda in Phyſica. Actio & paſſio tractabuntur in Phyſicis dum de motu, cum quo ſæpiùs identificantur; ubi & quando tractabuntur in Phyſicis dum de loco & tempore: ſitus verò referetur ad vbi. Habitus ſumptus pro veſte aut alio adjacente nihil habet notatu dignum.

CAPVT PRIMVM.

De Subſtantia, & Accidente.

HOc capite agitur primò, de nomine ſubſtantiæ & accidentis. Secundò, de definitione ſubſtantiæ & accidentis. Tertiò, Inhærentia aptitudinalis impugnatur. Quartò, agitur de ſuppoſito. Quintò, agitur de proprietatibus ſubſtantiæ. Sextò, de diuiſionibus ejus.

ARTICVLVS PRIMVS.

De nomine Substantiæ & Accidentis.

Quatuor acceptiones substantiæ.

1. *SVbstantia quatuor modis potissimum sumitur.* Primò, *pro essentia cujuslibet rei:* unde Græci utuntur vocabulo οὐσία ad denotandam essentiam non minùs quàm substantiam, ut Aristoteles in Antepædicamentis, cùm dicit λόγον τῆς οὐσίας, id est rationem essentiæ aut substantiæ in univocis esse eandem, in æquivocis esse diversam; quoniam autem essentia & ens identificantur, juxta hanc acceptionem dicendum est substantiam & ens identificari: hincque factum est ut multi Philosophi dixerint accidens non esse ens, id est substantiam, sed modum entis, id est modum substantiæ. Secundò, substantia sumitur *pro eo quod substat accidentibus*, quæ acceptio videtur desumpta ab etymologia: Et hinc factum est ut Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 5. dixerit Deum non esse substantiam; eò quòd nulla habeat accidentia; cum enim sit simplicissimus, quicquid est in Deo est Deus ipse. Tertiò, substantia sumitur *pro supposito, quod dicitur substantia singularis vltimò completa:* unde Græci utuntur vocabulo ὑποστάσεως ad denotandam substantiam, cum tamen hypostasis & suppositum, olim apud plerosque Doctores Græcos, & hodie apud omnes ferè Theologos & Philosophos identificentur. Quartò, substantia sumitur *pro ente per se existente aut subsistente*, quo pacto nos sumemus substantiam in hoc capite.

Accidentis logici & physici explicatio.

2. *Accidens* vulgò distinguitur in logicum & physicum. Accidens *logicum* dicitur illud quod λόγῳ seu ratione duntaxat, non autem realiter distinguitur à suo subjecto; & ideo non est verè & realiter accidens, sed concipitur à nobis, per modum accidentis; sic attributa divina putà justitia & misericordia Dei, dicuntur accidentia logica Divinitatis, quia solâ ratione distinguuntur ab illa: Deus enim non recipit in se vera accidentia; nam cum sit simplicissimus, & omnis compositionis expers, quicquid est in Deo est Deus ipse. *Accidens physicum* dicitur illud quod realiter & ante omnem mentis operationem distinguitur à suo subjecto; sic ambulatio est accidens physicum hominis, quia distinguitur realiter ab homine qui ambulat. Alij volunt accidens logicum esse illud de quo agitur in Logica, scilicet accidens prædicabile, de quo posteà.

Refutatio distinctionis accidentis in logicum & physicum.

3. *Contra hanc distinctionem accidentis in logicum & physicum: Dico, nullum dari accidens logicum, quod non sit physicum, & nullam dari distinctionem rationis quæ non sit realis:* Nam si Intellectus distingueret quæ non possunt realiter distingui, & apprehenderet

deret distinctionem, vbi distinctio est impossibilis, sequeretur intellectum apprehendere impossibile. Sed intellectus non potest apprehendere impossibile; siquidem impossibile est purum nihil; purum autem nihil non potest apprehendi, cum non possit dici quomodo se habeat imago puri nihili in intellectu ipsum apprehendente, vt fusè probavimus dum de ente rationis. Adde quòd accidens logicum dicitur substantia quæ apprehenditur tanquam accidens: At non potest apprehendi substantia tanquam accidens, nec unum ens tanquam aliud ens, vt probatum est dum de ente rationis. Quod spectat ad attributa diuina, dicendum est ea vel distingui realiter & ratione simul, tam inter se, quàm à Diuinitate; vel neque realiter neque ratione distingui: Nam misericordia Dei, verbi gratiâ repræsentatur tanquam principium miserendi seu parcendi. Iustitia verò vindex repræsentatur tanquam principium puniendi: Quod si misericordia & justitia Dei considerentur tantùm ratione principij, quod est ipsa Diuinitas, tunc non formantur diuersi conceptus, atque adeò nec re, nec ratione distinguuntur: Si considerentur ratione operationum, quæ sunt parcere & punire; formantur diversi conceptus, & distinguuntur ratione, sed distinguuntur etiam realiter: Si verò considerentur ratione vtriusque, scilicet ratione principij & operationum simul, idest ratione principij vestiti ejusmodi diversis operationibus; distinctio realis & rationis cadit supra operationes, neutra verò supra principium: Sicut enim quando dicimus lac distingui à lacte albo, vel lac album distingui ab eodem lacte dulci; distinctio cadit in lac & albedinem, vel in albedinem & dulcedinem, quæ distinctio est realis & rationis: Ita cum dicimus Deum distingui à Deo justo, vel Deum justum distingui à Deo misericordi; distinctio cadit in Deum & effectum Dei, vel in ipsos effectus aut actiones Dei, quæ sunt parcere & punire; quæ distinctio est realis & rationis simul: Quare si attributa diuina considerentur absolutè & intrinsecè ratione principij; tunc nec realiter, nec ratione distinguuntur, sive inter se, sive à Diuinitate: At si considerentur extrinsecè & connotatiuè juxta diuersas operationes in obliquo connotatas, tunc & realiter & ratione distinguuntur inter se & à Diuinitate: Eodémque modo philosophandum est de iis omnibus quæ solâ ratione distingui creduntur. *Distinctio attributorum diuinorum à Diuinitate & inter se explicatur.*

4. Accidens distinguitur etiam in accidens prædicabile, & prædicamentale. *Accidens prædicabile* dicitur illud quod est extra essentiam rei cui attribuitur, & contingenter seu separabiliter de ea prædicatur, vt album respectu parietis: Nam accidens prædicabile, & prædicabile accidentale sunt idem: Sicut autem prædicabile essentiale dicitur illud quod est de essentia rei, & necessariò seu inseparabiliter prædicatur de ea, ut rationale respectu homi- *Accidens prædicabile & prædicamentale explicantur.*

nis: Ita prædicabile accidentale dicitur illud quod est extra essentiam rei de qua contingenter & separabiliter prædicatur, vt esse doctum respectu hominis. *Accidens prædicamentale* dicitur illud quod ponitur in prædicamento accidentis, non autem in prædicamento substantiæ: Atque adeò quicquid non est substantia dicitur accidens prædicamentale seu categoricum, quod posteà definiemus ens alteri inhærens; sic actio & situs, putà ambulatio & sessio, dicuntur accidentia prædicamentalia, quia non sunt substantiæ, sed inhærent substantiæ, putà homini. Accidentia prædicamentalia seu categorica vulgò nouem ponuntur, scilicet quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, vbi, quando, situs & habitus. Accidens verò prædicabile in scholis diuidi solet in proprium & commune.

Refutatur distinctio accidentis in prædicabile & prædicamentale.

5. *Contra hanc distinctionem accidentis in prædicabile & prædicamentale:* Dico primò, *Accidens non esse prædicabile, saltem distinctum à genere aut specie:* Nam accidens, putà albedo, vel respicit inferiora, putà hanc & illam albedinem, & sic non est accidens earum, sed est species essentialiter prædicabilis de ipsis: vel respicit subjecta, putà niuem, chartam &c. Et sic non est prædicabilis de ipsis, siquidem nix non est albedo, charta non est albedo. *Nec dicas accidens in concreto*, putà album, *prædicari de illis*, cum nix sit alba, charta sit alba: Nam album non est accidens, sed concretum ex subjecto seu substantia & accidente: Quare *concretum accidentale debet constituere quintum vniuersale seu prædicabile, non autem accidens:* & concretum accidentale debet simili latè & impropriè pro concreto contingenti, quod comprehendit concretum accidentale, concretum substantiale adhærens, concretum substantiale adjacens, concretum substantiale intus existens, concretum substantiale extraneum, & concretum integrale non necessarium, vt probatum est in Logicis dum de numero vniuersalium.

6. Dico secundò, *Accidens malè diuidi in proprium & commune:* cum proprietates substantiarum non sint accidentia, sed identificentur cum substantiis: Eò quod proprietates non distinguantur realiter intrinsecè à suis objectis, vt probatum est in logicis dum de differentia & proprio.

7. Dico tertiò *Accidentium prædicamentalium non esse nouem genera;* cum multa ex illis nouem accidentibus prædicamentalibus sint veræ substantiæ, vt probabitur suis locis

ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS.

De definitione ſubſtantiæ & accidentis.

8. V*Ariæ ſunt Philoſophorum ſententiæ de ratione formali ſeu definitione ſubſtantiæ & accidentis. Prima eſt Veterum*, qui conſiderantes ex duplici entium genere, vnum eſſe quod ſtat & manet altero accedente & recedente aut deſinente: Illud quod ſtat ſub altero accedente aut recedente, vocarunt ſubſtantiam: illud verò quod accedit ad ſubſtantiam, aut ab ipſa permanente recedit, vocarunt accidens: Inde ortæ hæ vulgaræ definitiones *Subſtantia eſt quæ ſubſtat accidentibus: Accidens verò quod poteſt adeſſe & abeſſe à ſubjecto ſine ejus interitu.* ***Definitio ſubſtantiæ & accidentis ſecundum Veteres.***

9. *Contra definitionem ſubſtantiæ à Veteribus traditam:* Dico, *definitionem ab ijs allatam non eſſe adæquatam*, ſiquidem ſubſtare accidentibus, neque omni, neque ſoli ſubſtantiæ conuenit. Non quidem omni; quia Deus, qui eſt vera ſubſtantia, nulla habet accidentia; cum enim Deus ſit ſimpliciſſimus, quicquid eſt in Deo eſt Deus ipſe. Non etiam ſoli communiter loquendo; quia quantitas, quæ vulgò creditur accidens, ſubſtat figuræ quæ eſt verum accidens; & reliqua accidentia creduntur ſubſtare vbicationi & durationi, quæ communiter putantur eſſe accidentia. In hoc tamen excuſandi ſunt aliquo modo Veteres, quòd rectè definiuerint ſubſtantiam quam cognouerunt, ſcilicet ſubſtantiam creatam, quæ verè loquendo, & omnis, & ſola, & ſemper, per ſe ſubſtat aut ſubſtare poteſt accidentibus. ***Refutatio eiuſmodi definitionum.***

10. *Contra definitionem Accidentis à Veteribus ſuprà traditam:* Dico, *eam non eſſe adæquatam*: ſiquidem accedere ad ſubſtantiam & ab ea permanente recedere, vel poſſe adeſſe & abeſſe à ſubjecto ſine ejus interitu, neque ſoli, neque omni accidenti conuenit. Quòd non ſoli accidenti conueniat, patet ex eo quòd pinguedo quæ dicitur ſubſtantia, poteſt adeſſe & abeſſe à ſubjecto, putà ab homine, ſine ejus interitu: Quod anima rationalis, quæ eſt vera ſubſtantia, poſſit adeſſe & abeſſe à materia, quæ eſt ſubjectum omnium formarum, atque adeò animæ rationalis, ſine deſtructione materiæ. Quod etiam omni accidenti non conueniat, probatur quia conſeruatio ſubjecti, quæ eſt accidens illius, non poteſt abeſſe à ſubjecto ſine ejus interitu: & eſſe alicubi & aliquandò, non poſſunt abeſſe à ſubſtantia: Quicquid enim eſt alicubi & aliquando eſt, at vbi & quando ponuntur inter accidentia. ***Accidens malè definitum eſſe à Veteribus demonſtratur.***

Vera definitio substantiæ & accidentis.

11. *Secunda sententia est omnium ferè Recentiorum philosophorum*, qui rationem formalem substantiæ ponunt in subsistentia aut existentia per se, rationem verò formalem accidentis in inhærentia; vnde substantiam & accidens definiunt hoc pacto: *Substantia est Ens per se Existens aut Ens per se subsistens: Accidens verò est Ens alteri inhærens. Hanc sententiam ego amplector*, non tantùm quia communis, sed quia rationi consentanea. Verùm cùm varii variè explicent subsistentiam & inhærentiam, de vtraque paulò accuratiùs agendum, ac quidem primò de inhærentia tanquam de faciliori.

Existentia in alio est essentialis accidenti, non tamen specifica.

12. *Inhærentia* dicit essentialiter existentiam in alio, & *inhærere* dicit essentialiter existere in alio, cum inhærere sit quasi hærere in alio; atque adeo accidens quod constituitur per inhærentiam, postulat essentialiter existere in alio. Verùm licet existentia in alio sit essentialis inhærentiæ & accidenti: Attamen ratio illa formalis nimis est generalis; cum etiam conveniat pluribus substantiis, quæ existunt in alio, vel tanquam partes in toto, vt manus in homine; vel tanquam partes in compartibus, vt animæ rationales in corporibus; vel tanquam locata in locis, vt pisces in mari &c. Quare inquirenda est ratio magis specialis existendi in alio conveniens solis accidentibus, per quam constituatur accidens in esse accidentis, & distinguatur à substantia.

Existentia in alio vt in subiecto est essentialis accidenti generice non specificè.

13. *Existentia in alio magis specialis, quæ essentialiter convenit inhærentiæ & accidenti, est existentia in alio tanquam in subiecto*; partes enim substantiales non sunt in toto tanquam in subjecto, nec locata in locis tanquam in subjectis. Verùm hæc ratio formalis est adhuc nimis generalis; cum alicui substantiæ, scilicet animæ rationali, si sit forma hominis, convenire possit; si quidem materia est subjectum primum receptivum omnium formarum; atque adeo animæ rationalis, si sit forma hominis. Quare inquirenda est ratio formalis specialissima, quæ constituat accidens in esse accidentis, & ipsum distinguat à substantia.

Ratio formalis specifica accidentis.

14. *Ratio formalis specialissima, quæ constituit essentialiter accidens in esse accidentis, & ipsum distinguit à substantia; est existentia in alio tanquam in subjecto dependenter ab ipso*: per *existentiam in alio tanquam in subjecto*, distinguitur à partibus substantialibus quæ existunt in alio, vel tanquam in toto, scilicet partes; vel tanquam in loco, scilicet corpora; & per *existentiam in alio tanquam in subjecto dependenter ab ipso*, distinguitur ab anima rationali, quæ existit quidem in materia tanquam in subjecto, si sit forma hominis; non tamen dependet ab illa, cum possit existere sine ea, & reverà post mortem hominis separata à materia & corpore existit.

15. De-

Quid dependere & quot modis vnum dependeat ab altero.

15. *Dependere eſt egere alio ad exiſtendum : Vnum autem dependet ab alio tribus modis potiſſimùm :* Primò *tanquam à cauſa* ; & ſic omnes ſubſtantiæ creatæ dependent à Deo tanquam à cauſa efficiente & conſeruante : Secundò, *tanquam à conditione* ; & ſic combuſtio ligni dependet ab approximatione ignis ad lignum : Tertiò, *tanquam à ſubjecto* ; & ſic omnia accidentia dependent à ſubſtantia tanquam à ſubjecto ea ſuſtentante ; eò quòd indigeant ſubſtantia ad exiſtendum, & non poſſint exiſtere ſine ſubſtantia : Vnde hoc loco per ſubjectum intelligi debet ſubſtantia, quæ ita recipit & ſuſtentat accidens, vt accidens nullo modo poſſit exiſtere ſine ipſa.

Quid inhærentia & inhærere.

16. Ex ſuperioribus patet *inhærentiam* rectè explicari per exiſtentiam in ſubjecto dependentem ab ipſo, ſeu per dependentiam à ſubjecto ; & *inhærere* nihil aliud eſſe quàm exiſtere in ſubjecto dependenter ab ipſo, ſeu dependere à ſubjecto : quod indicat vocabulum (inhærere) nihil aliud ſonans quàm ita hærere in alio vt non poſſit exiſtere ſine ipſo, vt fusè probabitur poſteà impugnando inhærentiam aptitudinalem ; quòd autem talis inhærentia ſeu dependentia à ſubjecto ſit ratio formalis accidentis, patet ex eo quòd omne ens eſſentialiter poſtulet inhærentiam ſeu dependentiam à ſubjecto, vel non inhærentiam ſeu independentiam à ſubjecto, vt demonſtrabitur poſteà : ſi primum, dicitur accidens : ſi ſecundum, dicitur ſubſtantia.

Duplex ſubſiſtentia, vna independentia à ſubiecto, & altera incommunicationis.

17. Sic explicatâ inhærentiâ, quæ eſt ratio formalis accidentis : facilè poteſt cognoſci ſubſiſtentia, quæ eſt ratio formalis ſubſtantiæ. Vt tamen plenius intelligatur, *Duplex ſubſiſtentia* eſt diſtinguenda : *Vna*, quâ conſtituitur ſubſtantia in eſſe ſubſtantiæ ; *altera*, qua conſtituitur ſubſtantia in eſſe ſuppoſiti ; *prior* explicari ſolet per non inhærentiam, ſeu per independentiam à ſubjecto : Vnde à quibuſdam dicitur *ſubſiſtentia independentiæ à ſubjecto* ; & ſubſtantia ab iis definitur Ens per ſe ſubſiſtens, id eſt non inhærens ſeu non dependens à ſubjecto ; ſicut accidens ab iis definitur Ens alteri inhærens ſeu dependens à ſubjecto, id eſt ita affixum ſubjecto vt ſine eo exiſtere non poſſit. *Poſterior* verò ſolet exponi per incommunicationem aut incommunicabilitatem ; vnde vulgò dicitur *ſubſiſtentia incommunicationis aut incommunicabilitatis* ; & ſuppoſitum definitur ab iis ſubſtantia ſingularis incommunicabilis alteri, vel ſubſtantia ſingularis non vnita alteri ad compoſitionem totius, id eſt ſubſtantia ſingularis quæ non eſt pars alterius, quale eſt omne totum ſubſtantiale quod non eſt pars ; fortè meliùs hæc poſterior *ſubſiſtentia* explicaretur per negationem compoſitionis vnius naturæ ſubſtantialis & adjunctionis ; & *ſuppoſitum* definiretur ſubſtantia ſingularis quæ nec componit cum alio vnam naturam ſubſtantialem, nec adjungitur alteri ; & in intellectualibus dicitur etiam perſona. Rurſus *prior ſubſiſtentia* eſt ipſa exiſtentia ſubſtantiæ ; *poſterior* verò dicitur ſuperaddere

Definitio ſubſiſtentiæ & ſuppoſiti.

Humanitas Christi habet subsistentiam independentiæ non incommunicationis.

modum siue positiuum siue negatiuum existentiæ substantiæ singularis.

18. *Vtraque subsistentia illustratur exemplis* hoc pacto; humanitas Christi habet priorem subsistentiam quâ constituitur substantia in esse substantiæ: quia humanitas Christi est vera substantia, habens existentiam substantialem, id est independentem à subjecto, cum non sit in Verbo tanquam in subjecto nec dependeat à Verbo tanquam à subjecto, id est quia non inhæret Verbo nec est accidens ejus; at non habet posteriorem subsistentiam quæ constituit suppositum; quia non est actu suppositum humanum, sed est adjuncta & unita Verbo ad constitutionem Christi: alioquin essent duo supposita & duæ personæ in Christo, quod est hæreticum Eodem modo philosophandum est de omnibus partibus substantialibus, quæ sunt in toto, sed non tanquam accidentia in subjecto, cum ejusmodi partes possint separatæ existere, non autem accidentia; Christus verò, Petrus, Paulus, & aliæ substantiæ vltimò completæ, habent utramque subsistentiam, atque adeo sunt substantiæ & supposita.

Vtraque subsistentia potest esse simul

19. *Duas istas subsistentias non esse semper incompatibiles* probatur, quia posterior supponit priorem, & quicquid habet posteriorem subsistentiam, scilicet suppositalitatem, habet etiam priorem, scilicet independentiam à subjecto: Prior verò, licèt interdum sit sine posteriori, ut patet iu humanitate Christi, & in partibus substantialibus, quæ non dependent à subjecto, sed vniuntur ad compositionem totius: Attamen dicit ordinem & aptitudinem ad illam, quia potest illam habere; verbi gratiâ, partes substantiales, quæ non sunt actu supposita, eò quòd sint unitæ ad compositionem totius; possunt esse supposita, quia possunt separari & separatæ existere, ut patet in partibus aquæ aut vini singularis, quæ unitæ non sunt supposita, sed componunt unum totum quod est suppositum, separatæ verò sunt actu supposita; Verùm plura de iis infra, dum de supposito.

Distinctio hypostasis.

20. Hæc distinctio subsistentiæ seu perseitatis traditur à Suare disp. 34. Metaph. sect. 4. num. 28. & à multis aliis Iesuitis, qui eam desumpserunt ex Veteribus Ecclesiæ Doctoribus, qui hypostasim seu subsistentiam primò acceperunt pro substantia, posteà pro supposito: Vnde alii dixerunt duas esse hypostases in Christo, id est duas substantias, seu duas naturas substantiales; alii vero unicam hypostasim, id est unum suppositum.

Quænam subsistentia constituit substantiam.

21. Ex his patet *rationem formalem qua constituit substantiam in esse substantiæ actualis, esse priorem subsistentiam actualem*, quæ explicatur per existentiam actualem substantiæ, per existentiam actualem per se, per independentiam actualem à subjecto, & per negationem inhærentiæ actualis, à qua priori subsistentia actuali, quasi emanat tanquam proprietas cum ea identificata, aptitudo ad posteriorem subsistentiam; quæ aptitudo à quibusdam dicitur subsistentia

aptitu-

aptitudinalis, suppositalitas aptitudinalis quæ clariùs explicatur per separabilitatem. Quare *tota differentia inter substantiam & accidens est*, quod *substantia actu existens habeat essentialiter actualem subsistentiam*, id est independentiam à subjecto, & separabilitatem: *Accidens verò actu existens, habeat essentialiter inhærentiam actualem*, id est dependentiam actualem à subjecto & inseparabilitatem ab eo. Hanc doctrinam nostram de ratione formali substantiæ & accidentis tradiderunt Aristoteles in antiprædicamentis & lib. 1. post. Anal. c. 4. text. 9. & lib. 1. phys. c. 2. & 7. Metaph. cap. 1. Thomas part. 5. qu. 77. art. 1. ad 2. & 1. parte qu. 3. art. 5. ad 2. & in dist. 8. quæst. 4. art. 2. ad 2. & 7. Metaph. text. 4. Suarez disp. 37. Metaph. sect. 2. nu. 13. & 15. Conimbricenses in c. 4. Arist. de decem prædic. qu. 1. Toletus in c. 5. de subst. qu. 2. Hurtadus de Mendosa disp. 13. Metaph. sect. 1. Eustachius à S. Paulo 4. parte Metaph. disp. 1. qu. 1. & 2. & alij innumeri. *Differentia inter substantiam & accidens.*

ARGVMENTVM PRIMVM.

Contra inhærentiam aptitudinalem.

22. DOctores Romani, qui fatentur inhærentiam esse de essentia accidentis, sicut subsistentia est de essentia substantiæ; metuentes ne sic labefactaretur aut euerteretur dogma transsubstantiationis, quo docent accidentia panis & vini post consecrationem manere sine subjecto, atque adeo sine inhærentia: *Commenti sunt duplicem inhærentiam*, scilicet *actualem* & *aptitudinalem*, & asserunt *inhærentiam aptitudinalem esse de essentia accidentis*; atque adeo neque naturaliter neque supernaturaliter esse separabilem ab accidente, *inhærentiam verò actualem esse tantùm proprietatem accidentis*, non naturaliter sed supernaturaliter separabilem ab accidente, vt pater inquiunt, in Sacramento Eucharistiæ, in quo accidentia panis & vini post consecrationem manent diuinitùs sine sua substantia aut subjecto, & per consequens sine inhærentia actuali. *Contra hanc doctrinam hæc præcipua argumenta profero.* *Inhærentia duplex secundùm Pontificios.*

23. *Primum argumentum sic procedit* Existentia actualis in alio actu tanquam in subjecto inhæsionis, est de essentia specifica & constitutiua accidentis actu existentis: Sed inhærentia actualis est existentia actualis in alio actu tanquam in subjecto inhæsionis: Ergo inhærentia actualis est de essentia specifica & constitutiua accidentis actu existentis. Minor clara est, cum desumatur ex definitione ipsius inhærentiæ: Major autem sic probatur Omne ens actu existens habet essentialiter, vel existentiam actualem in alio actu, tanquam in subjecto *Primum argumentum contra inhærentiam aptitudinalē.*

inhæsionis, non autem in se & per se actu; vel existentiam actualem in se & per se actu, non autem in alio actu tanquam in subjecto inhæsionis: Sed accidens actu existens non habet essentialiter existentiam actualem in se & per se actu: Ergo accidens actu existens habet essentialiter existentiam actualem in alio actu tanquam in subjecto inhæsionis; hæc minor clara est; si enim accidens actu existens haberet essentialiter existentiam actualem in se & per se actu, non autem in alio actu tanquam in subjecto inhæsionis, sequeretur accidens actu existens nunquam esse posse in subjecto inhæsionis; atque adeo nequidem habere inhærentiam aptitudinalem, quod nolunt Adversarii; quæ enim sunt de essentia rei nulla virtute, possunt tolli ab ipsa: Major igitur sic probatur.

24. Duæ differentiæ divisivæ alicujus generis aut alterius superioris, conveniunt essentialiter illius speciebus aut inferioribus; si quidem differentia divisiva generis est constitutiva speciei: verbi gratiâ rationale & irrationale, quæ sunt differentiæ divisivæ animalis, conveniunt essentialiter speciebus animalis, scilicet homini & bruto; homo enim est essentialiter rationalis, & brutum est essentialiter irrationale: Cujus rei ratio est quòd species componatur essentialiter ex genere & differentia. Sed existentia actualis in alio actu tanquam in subjecto inhæsionis, non autem in se & per se actu; & existentia actualis in se & per se actu, non autem in alio actu tanquam in subjecto inhæsionis; sunt duæ differentiæ divisivæ Entis actu existentis, immediatè & adæquatè ipsum dividentes; eò quòd necesse sit ut omne Ens actu existens alterutram habeat. Ergo existentia actualis in alio actu tanquam in subjecto inhæsionis, & existentia actualis in se & per se actu, non autem in subjecto inhæsionis; conveniunt essentialiter speciebus aut inferioribus Entis actu existentis, scilicet substantiæ actu existenti, & accidenti actu existenti; quare cum substantia actu existens, habeat necessariò & essentialiter existentiam actualem in se & per se actu, non autem in alio actu tanquam in subjecto inhæsionis; adeò ut nequidem divinitus possit esse in ejusmodi subjecto inhæsionis; sequitur accidens actu existens habere necessariò & essentialiter existentiam actualem in alio actu tanquam in subjecto inhæsionis, adeò ut nequidem divinitùs possit habere existentiam actualem in se & per se actu; & per consequens habeat necessariò & essentialiter inhærentiam actualem, cum inhærentia actualis definiatur existentia actualis in alio actu tanquam in subjecto inhæsionis.

25. *Brevius sic potest formari argumentum:* Quod est de essentia propria specifica & constitutiva substantiæ in esse substantiæ; nulla virtute, sive naturali, sive supernaturali, potest convenire accidenti; propria enim essentia rei est ipsa res; & ideo sicut accidens non potest esse substantia; sic non potest habere propriam essentiam substantiæ:

ſtantiæ: Sed exiſtere per ſe actu, & non in alio actu tanquam in ſubjecto inhæſionis, eſt de eſſentia propria, ſpecifica & conſtitutiva ſubſtantiæ actu exiſtentis in eſſe talis, ut patet ex definitione ſubſtantiæ ſuprà allata & probata: Ergo exiſtere per ſe actu, & non in alio actu tanquam in ſubjecto inhæſionis, nulla virtute ſive naturali ſive ſupernaturali poteſt convenire accidenti actu exiſtenti; & per conſequens neceſſe eſt ut accidens actu exiſtens ſit in alio actu tanquam in ſubjectio inhæſionis; atque adeo neceſſariò & eſſentialiter habeat inhærentiam actualem.

26. *Reſpondent adverſarii primò*, perſeitatem ſeu ſubſiſtentiam actualem non eſſe de eſſentia propria ſpecifica & conſtitutiva ſubſtantiæ actu exiſtentis, ſed tantùm ſubſiſtentiam aptitudinalem; quia ſubſiſtentia actualis eſt ſeparabilis à ſubſtantia actu exiſtente, ut patet in humanitate Chriſti, quæ caret propria ſubſiſtentia actuali, & ſubſiſtit tantùm per ſubſiſtentiam verbi; ſi enim haberet propriam ſubſiſtentiam actualem humanam eſſet ſuppoſitum humanum; & ſic duo eſſent ſuppoſita, & duæ perſonæ in Chriſto, quod eſt hæreticum. Vnde retorquere ſolent argumentum hoc pacto; ſicut ſe habet ſubſiſtentia ad ſubſtantiam; ſic ſe habet inhærentia ad accidens, ſicut enim ſubſtantia conſtituitur per ſubſiſtentiam, & definitur ens per ſe ſubſiſtens; ſic accidens conſtituitur per inhærentiam, & definitur ens alteri inhærens; ſed ſubſiſtentia actualis non eſt de eſſentia ſubſtantiæ actu exiſtentis, cum ſit ſeparabilis ab ea, ut patet in humanitate Chriſti, quæ non habet ſubſiſtentiam actualem humanam; ſed ſubſiſtit per ſubſiſtentiam verbi: Ergo inhærentia actualis non eſt de eſſentia accidentis. *Reſponſio prima Adverſariorum ad primum argumentum.*

27. *Contra hanc reſponſionem*: Dico perſeitatem ſeu ſubſiſtentiam actualem quæ naturaliter aut ſupernaturaliter eſt ſeparabilis à ſubſtantia etiam completa in ratione naturæ, non eſſe ſubſiſtentiam, quâ conſtituitur ſubſtantia in eſſe ſubſtantiæ, de qua tantùm jam quæſtio eſt; ſed eſſe ſubſiſtentiam, quâ conſtituitur ſubſtantia in eſſe ſuppoſiti; verbi gratiâ humanitas Chriſti quæ eſt completa in ratione naturæ, eò quòd habeat omnes perfectiones naturæ humanæ; non habet ſubſiſtentiam actualem humanam quâ conſtituitur in ratione ſuppoſiti humani; cum non ſit actu ſuppoſitum humanum; alioquin eſſent duo ſuppoſita, & duæ perſonæ in Chriſto, quod eſt hæreticum; ſed habet ſubſiſtentiam actualem humanam quâ conſtituitur in eſſe ſubſtantiæ humanæ; quæ ſubſiſtentia actualis explicatur per exiſtentiam per ſe actu, ideſt non in alio actu tanquam in ſubjecto inhæſionis; humanitas enim Chriſti non eſt in verbo divino tanquam in ſubjecto inhæſionis, nec dependet ab ipſo tanquam à ſubjecto inhæſionis. *Refutatio reſponſionis.*

28. Hanc doctrinam & diſtinctionem ſubſiſtentiæ agnoſcunt ipſi Adverſarii; & Suares Ieſuita celeberrimus id clarè oſtendit diſp. 34. *Suares ponit duplicem ſubſiſtentiam ſeu perſeitatem.*

metaph. sect. 4. n. 28. his verbis; *hic modus seu terminus (esse per se) est æquivocus: Vno enim modo sumitur ut distinguit contra accidens, & opponitur modo essendi in alio prout est de essentia accidentis; & in hoc sensu verum est existentiam substantialem essentialiter constitui per modum per se: & sic etiam verum est existentiam in communi non esse indifferentem ad hunc modum tanquam potentiam realem, neque physicè per illum affici tanquam per actum reipsa distinctum, sed solùm abstrahi & contrahi per rationem; Alio autem modo sumitur, τ' per se, prout excludit unionem cum aliquo sustentante; & de hoc modo negamus esse essentiale existentia propria substantialis natura: Quandoquidem ablato hoc modo potest existentia natura conservari, ut in Christi humanitate factum est.*

29. *Quare ad argumentum adversariorum*, respondetur majorem veram esse duntaxat de subsistentia independentiæ à subjecto inhæsionis, quâ scilicet constituitur substantia in esse substantiæ; non autem de subsistentia incommunicationis, quâ scilicet constituitur in esse suppositi: Minorem verò è contrà tantùm veram esse de subsistentia incommunicationis, non autem de subsistentia independentiæ à subjecto inhæsionis. In forma autem sic respondetur: sicut se habet subsistentia ad substantiam, sic se habet inhærentia ad accidens, distinguo; sicut se habet subsistentia independentiæ à subjecto inhæsionis ad substantiam, sic se habet inhærentia ad accidens, concedo; sicut se habet subsistentia incommunicationis ad substantiam, sic se habet inhærentia ad accidens, nego; sed subsistentia actualis non est de essentia substantiæ actu existentis, distinguo; subsistentia actualis incommunicationis non est de essentia substantiæ actu existentis, concedo; subsistentia actualis independentiæ à subjecto inhæsionis non est de essentia substantiæ actu existentis, nego. Sed de his plura dum de supposito.

Responsio 2. Adversariorum.

30. *Respondent Adversarii secundò*, hanc esse differentiam inter substantiam & accidens in ratione subsistentiæ; quod substantia subsistat per se naturaliter: Accidens verò subsistat per se supernaturaliter, tantùm: idque probant triplici argumento. Primò quia quod Deus potest cum causis secundis, potest etiam sine illis: At Deus potest accidens cum subjecto inhæsionis quod est causa secunda: Ergo Deus potest accidens sine subjecto inhæsionis. Secundò, quia ex duobus entibus realiter distinctis, Deus qui est liberrimus, potest præbere concursum suum uni, non alteri, putà potest præbere concursum Petro non Paulo; quo casu unum existet sine altero, putà Petrus sine Paulo; sed substantia & accidens sunt duo entia realiter distincta: Ergo Deus potest præbere concursum uni, non alteri, putà accidenti non substantiæ; quo casu accidens existet sine substantia. Tertiò, quia quod Deus fecit, potest adhuc facere: Sed Deus fecit accidens sine subjecto; quando scilicet creavit lucem quæ est accidens, & quæ fuit prima creatura, atque adeo sine substantia, quæ

Rationes Pontificiorum pro existentia accidentis sine subjecto.

tunc

tunc nulla fuit: Ergo Deus potest facere accidens sine substantia aut subjecto.

3. *Contra hanc responsionem :* Dico nullatenus fieri posse, ut quod est de essentia unius speciei, supernaturaliter seu divinitùs communicetur alteri, sic rationalitas quæ est de essentia hominis non potest supernaturaliter communicari bruto; & immaterialitas, quæ est de essentia spiritus, non potest divinitus communicari corpori; ex eo enim quòd rationalitas communicaretur bruto, desineret esse brutum; & ex eo quod immaterialitas communicaretur corpori, desineret esse corpus : Ergo cum subsistere per se sit de natura & essentia substantiæ, non potest supernaturaliter communicari accidenti, quod est species diversa à substantia : Ex eo enim quòd subsistentia communicaretur accidenti, desineret esse accidens adde quòd sicut substantia non potest divinitus inhærere actu; sic accidens non potest divinitus subsistere actu; Non quidem ex defectu Dei, sed ex defectu rei.

Substantia non potest supernaturaliter communicari accidenti.

32. *Ad primum argumentum* sic respondetur : *Quod Deus potest cum causis secundis, potest etiam sine illis*, distinguo : In eo genere in quo Deus potest esse causa, scilicet in genere causæ efficientis & finalis, concedo: In eo genere in quo Deus non potest esse causa, scilicet in genere causæ formalis materialis aut subjectivæ, nego : Cum enim Deus sit primum efficiens, & ultimus finis rerum omnium potest supplere defectum causarum secundarum efficientium & finalium : Atque adeo quod potest cum causis efficientibus & finalibus, potest etiam sine illis, verbi gratiâ, Deus potest cum uno homine producere alium hominem, & cum Architecto potest efficere domum : Ergo etiam Deus potest producere unum hominem sine alio homine, & efficere domum se solo sine architecto : At cum Deus non possit esse subjectum materia aut forma, non potest supplere defectum subjecti, materiæ aut formæ, & non potest causare quod causat subjectum, materia aut forma : siquidem subjectum & materia sunt receptiva, & materia & forma componunt totum : Deus autem nihil potest recipere & componere : Atque adeo quod Deus potest cum subjecto, materia aut forma, non potest sine illis; putà Deus potest efficere sessionem Petri cum Petro & in Petro, sed non potest efficere sessionem Petri sine Petro. Quare sic potest retorqueri argumentum : Quod Deus potest cum causis secundis potest etiam sine illis: Sed Deus potest accidens modale seu modum cum suo subjecto modificato quod est causa secunda, putà potest unionem cum extremis unitis, paternitatem cum patre, passionem cum subjecto patiente, sessionem cum homine sedente, ubicationem & durationem cum re ubicata & durante &c. Ergo Deus potest accidens modale seu modum sine subjecto, putà unionem sine extremis, sessionem sine sedente, &c. quæ omnia sunt absurda & impossibilia ex confessio-

Limitatio axiomatis, quod Deus potest cum causis secundis, potest sine illis.

ne adversariorum, Quare cum Deus dicitur sustentare omnia potenti verbo suo Heb. 1. id debet intelligi efficienter, id est tanquam causa efficiens aut conservans; non autem subjectivè id est tanquam subjectum recipiens.

Deus potest prabere concursum uni non alteri, si non dependeat ab ipso.

33. *Ad secundum argumentum* sic respondetur. *Ex duobus Entibus realiter distinctis, Deus potest prabere concursum uni, non alteri, atque adeo conservare unum sine altero*, distinguo, si unum non dependeat essentialiter ab altero, ut patet in Petro & Paulo, concedo; si verò unum dependeat essentialiter ab altero, nego: At accidens dependet essentialiter à substantia, ut probatum est sup. à, idque clarum est in accidente modali, quod ex confessione omnium adversariorum omnimodam dependentiam habet à subjecto. Vnde sic potest retorqueri argumentum ex duobus Entibus realiter distinctis Deus qui est libertimus potest præbere concursum uni, non alteri; atque adeò conservare unum sine altero: sed substantia seu subjectum & accidens modale seu modus sunt duo Entia realiter distincta: Ergo Deus potest præbere concursum uni, non alteri, putà accidenti modali, non substantia aut subjecto: quo casu accidens modale existet sine substantia aut subjecto; quod esse absurdum & impossibile agnoscunt omnes Adversarii.

Lux non est prima creatura, nec accidens.

34. *Ad tertium argumentum* sic respondetur. *Nec lux fuit prima creatura, cum cœlum Empyreum, terra & aqua priùs creata sint*, ut fusè probavi libro Gallico de lumine rationis: *Nec lux est verum accidens physicum*, sed est ipsum corpus lucidum, cum sit proprietas ejus: proprietates autem non distiguuntur à suis subjectis, ut probavi in logicis dum de proprio.

Responsio 3. Adversariorum.

35. *Respondent adversarii tertiò* aliquid posse per se existere aut subsistere duobus modis, scilicet negativè & positivè. Illud dicitur per se existere aut subsistere negativè, quod est tale, non per aliquem modum perseitatis aut subsistentiæ in eo existentem, aut ei superadditum sed per negationem actualis inhærentiæ in subjecto duntaxat. Illud verò dicitur existere per se aut subsistere positivè, quod est tale, per modum positivum perseitatis aut subsistentiæ in eo existentem, aut ei superadditum. Nonnulli autem ex adversariis dicunt accidentia separata à subjecto, existere per se positivè, substantiam verò negativè; alii verò dicunt accidentia separata existere per se negativè, substantiam verò positivè.

Quid subsistere negativè & positivè.

Opinio Caietani de subsistentia positiva accidentis per modum substantialem.

36. Cajetanus Cardinalis, ut refert Ruvius lib. 2. de anima cap. 3. tract. de potentiis animæ in genere qu. 3. Existimat accidentia à subjecto separata, conservari sine subjecto per modum perseitatis substantialem superadditum, scilicet per existentiam substantialem actualem quæ licet non possit naturaliter convenire accidenti, potest tamen virtute divina; ita tamen ut licet communicatio talis modi substantialis sit supernaturalis; attamen postquam communicatus

est

est supernaturaliter, naturale sit accidenti per illum existere sine subjecto; sicut naturale est homini cui visus per miraculum restituitur, per eum videre.

37. *Contra hanc responsionem & sententiam Cajetani:* Dico impossibile esse tam naturaliter quàm supernaturaliter, ut modus substantialis aut existentia substantialis conveniat accidenti. *Modus substantialis incommunicabilis accidentis.*

38. Quia modus aut existentia substantialis nihil aliud est quàm modus aut existentia substantiæ, ut liquet ex terminis. Ergo non potest esse modus aut existentia accidentis. 2. Quia inde sequeretur accidens separatum à subjecto habere duas existentias; unam accidentalem quam antea habebat, & quam adhuc retinet, cùm tale accidens non perierit, alteram verò substantialem quæ ei superadditur à Deo. Nec dicas tolli existentiam accidentalem, & eodem instanti substitui substantialem. Nam id clarè refutatur hac tertia ratione. 3. Essentia & existentia non distinguuntur realiter intrinsecè secundum adversarios, idque probavi suprà dum de essentia & existentia; sed essentia substantialis, quæ est ipsa substantia (cum essentia rei sit ipsa res) non potest convenire accidenti, nec substitui essentiæ accidentali: Ergo etiam existentia substantialis non potest convenire accidenti, nec substitui existentiæ accidentali. 4. Quia inde sequeretur modum esse nobiliorem modificato; substantiale enim est nobiliùs accidentali: & cum modus inhæreat modificato habeatque omnimodam dependentiam ab ipso sequetur substantiale inhærere accidenti, & dependere essentialiter ab ipso, quæ omnia sunt absurda. Denique sicut repugnat substantiæ habere modum accidentalem quo actu inhæreat subjecto: sic repugnat accidenti habere modum substantialem quo actu subsistat aut existat per se.

39. Confirmantur supradicta ex eo quòd effectus formalis nulla virtute possit separari à sua causa formali, putà esse album non potest separari ab albedine, esse Iustum à Iustitia &c. & licet separabilis esset non tamen posset esse à specie opposita aut ei communicari, putà esse album non potest esse à nigredine, aut ipsi communicari, esse rationale non potest esse à bruto, aut ipsi communicari, &c. cum igitur effectus formalis substantiæ sit esse per se seu subsistere, certè esse per se seu subsistere non potest esse nisi in substantia & à substantia, & licet talis subsistentia esset separabilis à substantia, non tamen esset communicabilis accidenti, quod est species Entis prorsus diversa à substantia, ex eo enim quòd substantia communicaretur accidenti, desineret esse accidens, ut dictum est suprà.

40. Dices *existere per se actu seu subsistere actu, non esse effectum formalem substantiæ, sed esse actum secundum efficientis ortum à substantia aut à subsistentia aptitudinali, quæ est actus primus, atque adeo subsistentiam actualem esse separabilem à substantia;* si-

cut ratiocinatio quæ est actus secundus hominis aut rationalitatis, est separabilis ab homine aut rationalitate, cum homo rationalitatem habens non semper ratiocinetur.

Subsistere actu non est actus secundus.

41. *Verùm, contra dico,* quòd sicut existere actu non est actus secundus Entis actu existentis, sed est differentia essentialis constitutiva illius; sic subsistere actu subsistentia independentiæ à subjecto inhæsionis, non est actus secundus substantiæ actualis, sed est differentia essentialis & constitutiva illius. Et revera actus secundus est entis est actio: At subsistere actu non est actio: Ergo subsistere actu non est actus secundus efficientis ortus à substantia: Et quamvis esset actus secundus substantiæ separabilis ab ipsa; non tamen posset communicari accidenti, quod tantùm est in quæstione: Nam actus naturalis & proprius unius speciei non potest communicari alteri speciei: verbi gratiâ ratiocinatio, quæ est actus naturalis & proprius hominis, non potest communicari bruto: At si subsistere actu esset actus secundus substantiæ, esset actus naturalis & proprius illius: Ergo subsistere actu non potest communicari accidenti, cum sit species diversa à substantia.

42. His omnibus adde quod licet talis modus substantialis supernaturaliter communicaretur accidenti, quod tamen esse impossibile suprà probavimus; attamen talis modus non esset naturalis accidenti post communicationem; quia modus ille substantialis seu perseitatis opponitur modo essendi in subjecto inhæsionis, quem accidens naturaliter exigit: Ergo talis modus substantialis est contra naturam accidentis.

Opinio Suarii de subsistentia positiva accidentis per modum accidentalem.

43. *Suarez* tomo 3. in 3. partem Thomæ disp. 56. sect. 2. *Ferrariensis* lib. 4. contra gentes c. 66. & *multi alii Recentiores*, statuunt accidentia à subjecto separata, conservari sine subjecto, per modum realiter accidentalem, sed officio substantialem eis divinitus superadditum, & reddentem ea independentia à subjecto, ac per se existentia aut subsistentia.

Modus accidentalis non potest dare subsistentiã accidenti.

44. *Contra hanc responsionem & sententiam, dico,* impossibile esse tam naturaliter quam supernaturaliter, ut modus accidentalis superaddatur accidentibus, per quem existant per se aut subsistant. Prima ratio est, quia cuilibet entitati accidentali essentialis est inhærentia saltem aptitudinalis ad subjectum, ut fatentur Adversarii: Sed talis modus superadditus accidentibus separatis, est modus atque adeo entitas accidentalis, ut volunt Suarez, Ferrariensis & alii: Ergo tali modo superaddito accidentibus separatis, essentialis est aptitudinalis inhærentia. Inde argumentum sic formo; quod essentialiter aptum est dependere à subjecto inhæsionis, & natura sua postulat inhærentiam actualem, non autem subsistentiam, non potest reddere per se subsistens & independens à subjecto inhæsionis: repugnat enim eandem entitatem esse, essentialiter aptam inhærere & dependere a subjecto inhæsio-

inhæsionis, seu natura sua postulare inhærentiam seu dependentiam à subjecto inhæsionis, simulque esse modum quo aliud existat per se aut subsistat independenter à subjecto inhæsionis; quod enim natura sua postulat unum oppositum, non potest dare aliud oppositum, putà ignis qui naturâ suâ postulat calefacere non frigefacit: Atque adeo entitas accidentalis quæ naturâ suâ postulat inhærentiam, non potest dare subsistentiam, quæ est directè opposita inhærentiæ: Sed modus ille divinitùs superadditus accidentibus separatis ex eo quòd sit accidentalis, est essentialiter aptus inhærere seu dependere à subjecto inhæsionis, & naturâ suâ postulat inhærentiam actualem, non autem subsistentiam: Ergo modus ille qui creditur superadditus accidentibus separatis non potest ea reddere per se subsistentia & independentia à subjecto inhæsionis; & per consequens accidentia non possunt conservari sine subjecto per modum accidentalem.

45. Secunda ratio, vel potiùs confirmatio prioris est, quia vel modus ejusmodi accidentalis superadditus accidentibus separatis, subsistit per se, vel non; si hoc, id est si non per se subsistat, certè non potest reddere accidentia per se subsistentia: Nemo enim dat quod non habet, & forma habet saltem ut quo, id quod subjectum ab ea denominatum habet ut quod, putà album est id quòd disgregat visum, albedo verò est id quo disgregatur visus. Si illud, id est si subsistat per se, vel subsistit per alium modum, vel sine modo superaddito; si hoc, id est si talis modus qui est entitas accidentalis subsistat per se sine modo superaddito, cur non & accidentia, quæ falsò creduntur separata, subsistent per se sine modo superaddito; similium enim est idem judicium, & nulla potest reddi ratio sufficiens, cur unum accidens existat aut subsistat per se sine modo superaddito, non autem aliud? Si illud, id est si talis modus accidentalis subsistat per se per alium modum accidentalem, dabitur progressus in infinitum; nulla enim ratio assignari potest, cur unus modus accidentalis aliter subsistat quàm alius.

46. Tertia ratio est, quia implicat contradictionem ut aliquid sit realiter accidentale & officio substantiale: Nam quod est realiter accidentale & officio substantiale, est verè & realiter accidens, sed facit id quod solet effici à substantia aut subsistentia, ut liquet ex terminis: Sed impossibile est ut id quod est realiter accidens, faciat id quod efficitur à substantia aut subsistentia: Ergo impossibile est ut detur modus realiter accidentalis & officio substantialis. Minor patet, quia impossibile est ut una species, sit altera, & faciat id quod facit altera saltẽ naturali & propria actione; verbi gratiâ impossibile est ut brutum sit homo & ratiocinetur, ut planta aut lapis sit animal & sentiat, &c. Ergo impossibile est ut accidens sit substantia aut faciat id quod facit substantia aut subsistentia propriè & naturaliter; & per cõsequens impossibile est ut modus ejusmodi accidẽtalis qui creditur superadditus

accidentibus separatis, & qui verè secundum eos est entitas accidentalis, faciat id quod facit subsistentia, id est reddat aliquid per se subsistens & independens à subjecto inhæsionis: atque adeo impossibile est ut accidentia subsistant per se & beneficio illius modi.

47. Quarta ratio est, quia sicut substantia non potest habere modum realiter substantialem & officio accidentalem, per quem fiat actu inhærens, & dependens à subjecto inhæsionis; sic enim non esser ampliùs ens per se subsistens, atque adeo desineret esse substantia: Ita accidens non potest habere modum realiter accidentalem & officio substantialem, per quem fiat actu subsistens & independens à subjecto; sic enim non esset ampliùs ens inhærens, atque adeo desineret esse accidens.

Accidentia nullum possunt habere modum subsistendi.

48. *Denique contra quemlibet modum sive substantialem sive accidentalem superadditum accidentibus separatis; hæc possunt formari argumenta. Primum argumentum sic procedit:* Modus operandi sequitur modum essendi sicut operari sequitur esse; atque adeo ubi remanet idem modus operandi, remanet etiam idem modus essendi: Sed accidentia, quæ ab Adversariis falsò creduntur esse separata à subjecto, retinent eundem modum operandi ac anteà, ut patet in accidentibus panis & vini consecrati, quæ eodem modo agunt ac ante consecrationem, eodem modo alendo, corroborando, humectando vel exsiccando, lætificando, &c. Ergo retinent eundem modum essendi, atque adeo non superadditur eis novus modus essendi quo existant aut subsistant per se.

49. *Secùndum argumentum tale est,* existere per se & per aliud sunt opposita, atque adeo in eodem incompatibilia; ergo si accidentia panis & vini post consecrarionem existant per se, ut falsò credunt Adversarii, sequetur ea non existere per aliud, atque adeo non per modum iis superadditum, & revera sicut homo per se non est sedens, & ideo eget modo distincto, scilicet sessione ut dicatur sedens: sic accidens non debet dici subsistens per se, si egeat modo ad hoc ut dicatur subsistens.

50. *Tertium argumentum sic se habet,* vel accidentia panis & vini post consecrationem, conservantur eadem actione quâ priùs, scilicet eductione; vel diversa speciе actione, scilicet creatione; si eductione, sequetur accidentia non esse sine subjecto: siquidem eductio definitur productio rei dependenter à subjecto; si creatione, sequetur accidentia non indigere modo ut existant independenter à subjecto; cum creatio definiatur productio rei independenter à subjecto. His adde argumentum commune: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate & ratione, multò minùs contra rationem: At sine necessitate & ratione superadditur ejusmodi modus accidentibus, imò ponitur contra rationes suprà allatas; ergo in accidentibus non debet poni ejusmodi modus.

51. Scotus

51. *Scotus* in 4. dist. 12. quæst. 1. & 6. *Gregorius de Valentia* 3. parte disp. 6. quæst. 5. puncto 1. *Bellarminus* lib. 3. de Euchar. cap. 24. *Ruvius* lib. 2. de anima cap. 3. tract. de potentiis animæ in genere, quæst. 3. & *alii Recentiores philosophi non pauci*, dicunt accidentia separata à subjecto, esse per se seu subsistere, non per aliquem modum perseitatis supernaturaliter eis additum, sed per negationem actualis inhærentiæ in subjecto, & divinam efficientiam illa sine subjectis sustentantem. *Opinio Scoti de subsistentia negativa accidentiu.*

52. *Contra hanc responsionem & sententiam:* Dico, impossibile esse tam naturaliter quàm supernaturaliter ut accidens per se existat aut subsistat negativè, id est per solam negationem inhærentiæ actualis in subjecto. Prima ratio est, quia impossibile est ut accidens sit substantia; At si accidens subsisteret per se negativè esset vera substantia, siquidem haberet rationem formalem substantiæ, quâ scilicet constituitur substantia in esse substantiæ; substantia enim ex eo quòd est substantia, nullo addito aut detracto, per se existit & subsistit negativè, id est substantia ex eo quòd est substantia, præciso quocumque alio, non inhæret subjecto, nec dependet ab ipso. *Refutatio opinionis Scoti.*

53. Secunda ratio est, quia accidens existeret per se negativè, id est per solam negationem inhærentiæ actualis; sequeretur accidens ita separatum esse nobilius & perfectius accidente non separato; nobilius enim est esse per se & independens ab alio, quàm inhærere alteri & dependere ab ipso; sed accidens ita separatum & existens per se negativè per solam negationem inhærentiæ actualis, non est nobilius & perfectius accidente conjuncto, quòd sic ostendo. Quoties proprietas naturalis tollitur ab aliqua re, & tali rei nihil additur; tantùm abest ut illa res sit perfectior, ut potiùs imperfectior sit dicenda: verbi gratiâ si ab igne tollatur calor, & nihil ei addatur procuIdubio ignis erit imperfectior, si ab anima humana tollatur intellectus, & nihil ei addatur, anima erit imperfectior, &c. Sed Inhærentia actualis est proprietas naturalis accidentis, ut ipsi adversarii fatentur: Ergo si tollatur inhærentia actualis ab accidente, & nihil ei addatur, erit imperfectius.

54. Tertia ratio est quia sicut impossibile est ut substantia existat actu in subjecto inhæsionis, sive positivè, sive negativè: Ita impossibile est ut accidens actu per se existat seu subsistat sive positivè, sive negativè; idest sicut repugnat substantiæ inhærere actu sive positivè sive negativè: Ita repugnat accidenti subsistere actu sive positivè, sive negativè. Ratio paritatis petitur ex eo quòd inhærentia constituat accidens, & subsistentia constituat substantiam, ut suprà: & ambæ, scilicet subsistentia & inhærentiæ sint differentia divisivæ Entis, & constitutivæ substantiæ & accidentis, ut probatum est suprà.

55. Quarta ratio est, quia accidentia separata subsistere per so-

lam negationem inhærentiæ actualis, & eadem subsistere per divinam efficientiam sunt repugnantia: Nam si accidentia per se existant aut subsistant per solam negationem inhærentiæ actualis, proculdubio subsistent tantùm per solam subtractionem concursus divini ad inhærentiam actualem seu unionem cum subjecto, aut per solam subtractionem concursus divini ad subjectum ipsum; atque adeo non per efficientiam divinam; sed potiùs per non efficientiam aut non conservationem subjecti, vel unionis accidentis cum illo; efficientia enim divina, & quælibet actio Dei terminatur ad aliquid positivum, non autem ad negationem.

ARGVMENTVM SECVNDVM.

Contra Inhærentiam aptitudinalem.

Absurda quæ sequuntur ex inhærentia aptitudinali sine actuali.

56. Secundum *argumentum quo probatur accidens non posse actu existere sine subjecto, petitur ex variis absurditatibus quæ inde sequerentur. Prima talis est:* Si accidentia possint divinitùs existere sine subjecto, sequitur omnia accidentia mundi posse divinitus existere sine substantia mundi, sicque motus cœlorum fieri sine cœlis, diurnas & annuas conversiones astrorum sine astris, illuminationem solis sine sole, calefactionem & combustionem sine igne, humectationem aquæ sine aqua, incessum hominis sine homine, &c. Vno verbo mundum apparere eo prorsus modo quo nunc est, eum tamen non fore nisi mundum accidentium.

57. *Secunda absurditas sequitur ex prima* hoc pacto, Si accidentia possint divinitùs existere sine subjecto, & omnia accidentia mundi possint existere sine substantia mundi; quilibet poterit facilè defendere in mundo jam nulla prorsùs esse corpora, nullásque penitùs substantias, & mundum esse tantùm quid aggregatum ex accidentibus, & Deum produxisse tantùm accidentia, non autem substantias. Cujus rei ratio est, quia sicut Pontificii non possunt discernere & distinguere hostiam consecratam, in qua statuunt accidentia panis sine ejus substantia, ab hostia non consecrata, in qua sunt accidentia panis cum ejus substantia: Sic nos non possumus discernere, & distinguere mundum accidentalem, id est solis accidentibus constantem, à mundo substantiali, id est constante substantiis & accidentibus earum; quo posito certum est nullam posse reddi rationem, cur mundus sit potiùs substantialis quàm accidentalis duntaxat? & cur Deus produxerit potiùs collectionem substantiarum corporearum, quàm accidentium earum? Cum enim Deus habeat virtutem infinitam, non magis laborat in productione unius rei quàm alteriùs; & cum nihil

faciat

faciat frustrà, accidentia verò possint causare quæcumque causant substantiæ: certè substantiæ videntur inutiles, atque adeo non existere.

58. *Tertia absurditas cum prioribus connexa est in hunc modum* : Si accidentia mundi possent divinitus existere sine substantia mundi; etiam substantia mundi poterit subsistere sine accidentibus; cum accidens magis dependeat à substantia, quàm substantia ab accidente: sicque mundus divinitùs esse posset sine quantitate, sine qualitate, sine figura, sine ubicatione, sine duratione, &c. Et quia substantia mundi & accidentia mundi seorsim existere possunt: posset Deus omnia mundi accidentia ab eo sejungere; & in spatia illa infinita & inania quæ sunt extra mundi ambitum eodem ordine & situ quo nunc sunt transferre, ut ibi operationes suas exercerent, sicut accidentia panis & vini operantur in Eucharistia; sicque illic essent motus cœlorum, conversiones astrorum, illuminationes Solis, & Lunæ, elementorum mixtiones, universa denique quæ in hoc mundo apparent existerent: ubi tamen nec cœli, nec astra, nec Sol, nec Luna, nec elementa ulla existent; hic verò ubi cœlum, astra, elementa, mixta subsisterent, nullus motus, nulla prorsus actio exerceretur; & nos qui hic in media mundi substantia essemus, nihil possemus intelligere, nihil amare, nullum motum, nullamque actionem exercere; illic verò extra mundum ubi non essemus, de motu Solis, de mixtione elementorum, de Deo ipso egregiè philosopharemur.

59. *Quarta absurditas ex superioribus* deducitur hoc modo: Si substantia & accidentia possint seorsim existere, & in separatis locis constitui; poterit poni anima humana in media Europa, Intellectus in media Asia, & voluntas in media Africa: nam secundum omnes ferè Adversarios, anima est substantia, intellectus autem & voluntas sunt accidentia: Tali autem casu anima non poterit ratiocinari, nec cognoscere res, nec de earum bonitate judicare, nec amare bonum, nec odisse malum, nec ullam ejusmodi actionem exercere, siquidem esset destituta & magno intervallo separata à suis potentiis seu facultatibus: Intellectus verò posset ratiocinari & Iudicare de bonitate & malitia rerum: Et voluntas posset amare bonum & odisse malum; cum intellectus & voluntas sint ipsæmet potentiæ judicandi & amandi, & sicut secundum Adversarios accidentia panis & vini consecrati sine subjecto existentia possunt agere: Ita intellectus & voluntas sine anima existente possent operari sine illa. Inde autem sequenter hæc absurda.

60. Intellectus & voluntas quæ secundum Adversarios sunt tantùm accidentia, erunt nobiliora & perfectiora quàm anima quæ est vera substantia; siquidē activa sunt nobiliora & perfectiora non activis. 2. Cum anima in eo statu non possit ratiocinari desinet esse rationalis, & desinet esse anima humana; si quidem ratio est differentia

essentialis animæ humanæ. 3. Si intellectus semper judicet Deum esse amandum, & voluntas propter distantiam ab intellectu, ignorans quid intellectus judicaverit, & retinens suam libertatem indifferentiæ, ut volunt Adversarii, seipsam determinet ad non amandum Deum, & ad exercitium actuum vitiosorum; sequitur intellectum semper benè operantem fore in Paradiso, voluntatem semper malè operantem fore in inferis; & animam neque benè neque malè operantem, nec fore in Paradiso nec in inferis, quæ omnia sunt absurda.

RELIQVA ARGVMENTA.

Contra Inhærentiam aptitudinalem.

Substantia non possunt esse sine ullo accidente.

61. *Tertium argumentum quo probatur accidens non posse etiam supernaturaliter existere actu sine subjecto, atque adeo inhærentiam actualem esse de essentia accidentis*, est ejusmodi. Si accidentia possent esse supernaturaliter sine ulla substantia, atque adeo sine subjecto, sequeretur multò magis substantias creatas posse esse supernaturaliter sine ullo accidente; eò quòd accidens multò magis dependeat à substantia creata, quam substantia creata ab accidente, ut ipsi Adversarii fatentur. Sed substantiæ creatæ non possunt esse etiam supernaturaliter sine ullo accidente; cum non possint esse sine ubi & quando quæ vulgò creduntur accidentia, Iuxta illud, quicquid est alicubi & aliquando est. Ergo accidentia non possunt esse etiam supernaturaliter sine substantia aut subjecto.

Deus supplet defectum causæ secundæ, non tamen subjecti.

62. *Quartum argumentum quo probatur accidens non posse actu existere sine subjecto tale est.* Quando aliquid est, aut fit à causa secunda; si postea, sit, aut fiat sine illa; necesse est ut causa prima, scilicet Deus, suppleat vices ejusmodi causæ secundæ; & caulet quòd causa secunda causabat aut causare debebat: verbi gratià, causa secunda putà Architectus, construit domum; si verò domus fiat sine illa, Deus necessariò supplet virtutem aut vices illius, & se solo efficit domum. Ergo cum substantia creata sit subjectum recipiens & sustentans accidentia; certè si accidentia existant sine tali subjecto; necesse est ut Deus suppleat vices subjecti & subjectum efficiatur; atque adeò fiat albus albedine panis, qui secundùm adversarios in Eucharistia desiit esse post consecrationem; fiat rotundus rotunditate substantiæ hostiæ quæ creditur evanuisse, &c. quæ omnia absurda & impia esse manifestum est.

Operationes panis & vini sunt post consecrationem.

63. *Quintum argumentum quo probatur accidens non posse actu existere sine subjecto sic se habet.* Operatio rei non existit; nisi ipsa res existat: actio enim non est sine agente; & non entis nullæ effectiones

ctiones aut affectiones: Sed in Eucharistia etiam post consecrationem operationes panis & vini existunt; si quidem hostia consecrata & vinum consecratum nutriunt, corroborant, & lætificant; & si vinum in nimia quantitate consecraretur & sumeretur, etiam inebriaret. Ergo in Eucharistia etiam post consecrationem, panis & vinum existunt, atque adeo accidentia panis & vini non sunt actu sine subjecto. Dices, sola accidentia esse operativa. Sed contra, primò inde sequeretur substantias non esse activas, & formas panis & vini, quæ secundum Adversarios sunt substantiales non esse operativas; cum tamen ab iis communiter tradatur hoc axioma, formæ est agere, materiæ verò pati. Deinde hoc axioma est certissimum, modus operandi sequitur modum essendi: Sed accidentia panis & vini post consecrationem eodem prorsus modo apparent & operantur ac ante consecrationem: Ergo etiam eodem modo existunt ac ante consecrationem: At ante consecrationem existebant dependenter à subjecto: Ergo & post consecrationem, atque adeo post consecrationem non sunt actu sine subjecto.

64. *Sextum argumentum quo probatur accidens non posse supernaturaliter existere actu subjecto, atque adeo inhærentiam actualem esse de essentia accidentis*; petitur ex enumeratione omnium generum & specierum accidentium, quæ communiter novem ponuntur, scilicet quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, quando, situs & habitus: In quibus quatuor distingui solent, scilicet forma quæ exprimitur nomine abstracto, ut quantitas, qualitas &c. subjectum, quod afficitur & denominatur à tali forma, scilicet substantia; unio formæ cum subjecto seu substantia, quæ est inhæsio actualis, & concretum seu compositum ex subjecto & forma unitis: verbi gratiâ in categoria quantitatis, hæc quatuor solent distingui, scilicet ipsa quantitas, quæ est forma; materia, quæ creditur subjectum quantitatis; unio quantitatis cum materia; & quantum, quod dicitur concretum seu compositum ex materia & quantitate unitis. Hic autem non agitur de subjecto, quod est substantia, neque de unione quæ est actualis inhæsio, neque de concreto, quod includit essentialiter subjectum & formam, atque adeo nulla virtute potest esse sine subjecto sed agitur tantùm de forma, quæ afficit aut denominat subjectum, an scilicet possit divinitùs existere actu sine subjecto, putà an quantitas possit divinitùs existere sine materia. *In prædicamentis accidentium quatuor distinguuntur.*

65. Dico igitur, *formas prædicamentales, quæ vulgò creduntur accidentales, non posse divinitus existere sine subjecto aut substantia*: quia ejusmodi formæ, vel sunt substantiæ, vel modi substantiarum; si sint substantiæ, manifestum est non posse divinitùs existere sine substantia, cum nihil possit existere sine seipso: Potest quidem substantia existere sine alia substantia, non tamen sine substantia simpliciter; hîc autem non agimus de accidentibus quæ sunt substantiæ, sed *Prædicamenta accidentium vel sunt substantiæ, vel modi earum.*

de accidentibus physicis ab omni substantia realiter distinctis: Si verò ejusmodi formæ sint modi substantiarum, non possunt divinitùs existere sine subjecto, ut agnoscunt omnes adversarii, & probabimus in progressu. Quod autem omnes formæ prædicamentales, sint substantiæ, vel modi substantiarum, probabitur suis locis.

Iesuitæ existimant modos nequidē divinitùs posse existere sine subjecto.

66. *Dixi sæpius adversarios agnoscere modos, nequidem divinitùs existere posse sine subjecto: Qua de re ne quis ampliùs dubites, quatuor celeberrimorum Iesuitarum testimonia proferam.* Suares disp. 7. Metaph. sect. 1. num. 17. sub finem, hæc habet: *In rebus creatis dantur modi afficientes ipsas, quorum ratio consistit in hoc, quòd ipsi per se non sufficiant constituere ens seu entitatem in rerum natura, sed intrinsecè postulant ut actu afficiant aliquam entitatem sine qua esse nullo modo possunt.* Et num. 19. *Modus tam intimè includit conjunctionem cum re cujus est modus, ut per nullam potentiam sine illa esse possit.* Et sect. 2. num 8. *Si ex duobus unum ita se habeat ut per potentiam Dei absolutam non possit sine alio conservari, magnum argumentum est illud essentialiter esse tantùm modum quendam & non veram entitatem: Quia si esset vera entitas, non posset habere tam intrinsecam dependentiam ab alia entitate, ut non possit Deus illam supplere suâ infinitâ potentiâ: Ergo solùm id potest provenire, ex eo quòd illud extremum in sua intrinseca essentia non est entitas, sed tantùm modus.* Et disp. 37. Metaph. sect. 2. n. 10. *Accidens quod tantùm est modus entis, essentialiter includit non tantùm aptitudinem, sed etiam actualem affectionem seu conjunctionem cum re cujus est modus.*

67. Rodericus de Arriaga disp. 1. Metaph. sect. 1. num. 2. hæc ait: *Modus est entitas illa quæ ita per suam essentiam actuat subjectum, ut ab illo nequidem divinitùs separari queat: Res verò est illa quæ per se potest existere saltem divinitùs.* Et n. 8. & 9. *modus est essentialiter actualis informatio: & ad inquirendum an aliquid sit res an modus debet attendi an per suammet essentiam sit actualis informatio: Quod non meliùs probare possumus quàm à posteriori, inquirentes an divinitùs possit separari à subjecto: Si enim potest esse sine illo, non est actualis informatio: Si verò non potest, est actualis informatio & verus modus.*

68. Hurtadus de Mendosa disp. 2. Metaph. sect. 5. num. 41. hæc dicit: *Modus & res differunt, quod res potest esse sine hac numero albedine, sine hoc ubi, sine hac actione: Modus autem per potentiam absolutam non potest esse sine hoc numero re quam denominat: Quamobrem communiter dicitur modum esse qui nec divinitùs potest esse sine re cujus est modus.* Et num. 42. *Modus necessariò tribuit denominationem actualem & non aptitudinem.*

69. Franciscus de Oviedo controversia 4. Metaph. puncto 5. num. 4 sic loquitur: *In duabus entitatibus quæ possunt separari, & non mutuò: Illa quæ potest esse sine alia, res dicitur: Altera verò quæ sine illa existere nequit, dicitur modus: Exemplum habes in materia quæ unitur & in unione: Materia existere potest sine hac unione: Hæc autem unio non potest existere nec divinitùs sine hac numero materia: Ex qua fit unionem dici*

dici modum materiæ, & materiam dici rem respectu unionis.

ARTICVLVS QVARTVS.

De Supposito.

HOc articulo agetur primò, de distinctione vocabulorum ad intelligentiam doctrinæ de supposito necessariâ. Secundò, demonstrabitur suppositum creatum non superaddere substantiæ singulari aliquid reale, & positivum, sed tantùm negationem compositionis unius substantiæ, & adjunctionis.

De distinctione vocabulorum ad intelligentiam doctrinæ de supposito necessaria.

70. Vocabula explicanda ad intelligentiam doctrinæ de supposito, sunt individuum, prima substantia, natura, suppositum, persona, & substantia seu hypostasis. *Individuum* seu *singulare* est unum numero, & dividi non potest in plura quæ seorsim sumpta sint idem adæquatè cum ipso, ut hic homo, hæc aqua, hæc ambulatio, hæc sessio, &c. Licet autem hæc aqua possit dividi in plures partes ejusdem nominis & naturæ specificæ; eò quòd quælibet pars aquæ nominetur aqua, & participet rationem aquæ: Non tamen potest dividi in partes quæ seorsim sumptæ sint idem adæquatè cum tota hac aqua. Convenit autem individuum tam substantiis quàm accidentibus singularibus: Non minùs enim verbi gratiâ hæc ambulatio est individuum & singulare, quàm hic homo: Vnde individuum dividi solet in substantiale accidentale. *Definitio individui.*

71. *Prima substantia* seu *substantia individua*, interdum sumitur pro substantia singulari, quæ est una numero, & sic substantia prima & individua convenit tam substantiis completis seu totalibus, quàm incompletis seu partialibus. Non minùs enim, verbi gratiâ anima Petri est substantia singularis & individua, quàm ipse Petrus; & hoc pacto humanitas Christi est substantia prima & individua, idest substantia singularis & una numero: Interdum verò substantia prima sumitur pro substantia singulari ultimò completa: Tunc autem cognoscitur esse ultimò completa secundum nos, quando nec constituit cum alio unam naturam aut unam substantiam, nec adjungitur alteri jam constitutæ: Sicque coincidit cum supposito; & hoc pacto humanitas Christi non est substantia prima, idest suppositum, quia adjungitur & unitur Verbo, ut per eam *Prima substantia dupliciter sumitur.*

Christus exerceat officium Mediatoris. Sic Thomas parte 1. quæst. 29. art. 1. ad 5. hæc ait: *Anima est pars humanæ speciei: & ideo licet sit separata, quia tamen retinet naturam unibilitatis, non potest dici substantia individua, quæ est hypostasis vel substantia prima, sicut nec manus, nec quæcúnque alia partium hominis.*

Natura sumitur novem modis. 72. *Natura*, quæ Græcè dicitur φύσις *sumitur novem* potissimùm *modis*. Primò, *pro nativitate seu generatione viventium*: Natura enim dicitur à nascendo, & φύσις ἀπὸ τοῦ φύειν idest nasci: Quæ acceptio naturæ, licet fortè primæva, hodie tamen est parùm usitata. Secundò, *pro mundo*; sic Aristoteles 12. Metaph. cap. 7. scripsit *naturam pendere à primo principio*, idest mundum à Deo, & communiter dicimus de rebus actu existentibus, quòd sint in rerum natura, id est in mundo. Tertiò, *pro Authore rerum omnium*, *scilicet pro Deo*, qui dicitur natura naturans, idest parturiens & faciens omnia, sicque mundus, dicitur opus naturæ; & Seneca lib. 4. de officiis asserit *naturam nihil aliud esse quàm Deum*. Quartò, *pro causa naturali*, de qua intelliguntur hæc vulgata axiomata, *Deus & natura nihil frustra, natura est ad unum determinata* &c. Quintò, *pro essentia rei*, ut cùm dicimus definitionem explicare naturam rei, idest essentiam. Sextò, *pro cujuslibet rei proprietate*, ut cùm dicitur natura ignis, idest proprium ignis, est calefacere. Septimò, *pro temperamento*, ut cùm dicimus aliquem esse talis naturæ, id est temperamenti, putà biliosi, melancholici &c. Octavò, *pro parte essentiali compositi naturalis*, scilicet pro materia aut forma, quæ natura sic sumpta ab Aristotele lib. 2. phys. definitur *principium primum & per se motus & quietis ejus in quo est*: & sic natura est semper principium incompletum. Nonò, *pro quolibet principio primo & per se formali & completo actionis aut passionis*, & hoc pacto comprehendit quamlibet substantiam singularem totalem & secundùm se perfectam & completam: Quæ si sit ultimò completa, idest si nec componat cum alio unam substantiam, nec alteri jam constitutæ adjungatur; Non tantùm vocabitur natura, sed etiam suppositum aut persona, ut humanitas Petri, si verò componat unam substantiam, aut jam constitutæ adjungatur, vocabitur simpliciter natura non autem suppositum, ut humanitas Christi, quæ est adjunctum substantiale Verbi, & hoc ultimo modo sumetur à nobis in progressu.

Definitio suppositi. 73. *Suppositum* est substantia prima ultimò completa, id est substantia singularis, quæ nec constituit cum alio unam substantiam, nec alteri jam constitutæ adjungitur, ut Alexander, hic leo &c. Et hoc pacto Verbum divinum in Christo est verò suppositum: Licet enim cum humanitate constituat Christum, non tamen cum ea constituit unam substantiam aut unam naturam substantialem, sed tantùm unam personam, aut potiùs unum totum personale; Christus enim est una persona complectens duas essentias, naturas, aut substantias

ſtantias totales, & completas in ratione naturæ, ſcilicet divinitatem & humanitatem; aut potiùs eſt totum perſonale conſtans ex perſona Verbi & humanitate inſeparabiliter unitis. Ab aliis ſuppoſitum dicitur ſubſtantia ſingularis incommunicabilis alteri, ideſt non unibilis alteri: Sed malè, cum Verbum divinum ſit ſuppoſitum unitum humanitati. Convenit autem ſuppoſitum ſubſtantiis ſingularibus ultimò completis, tam intellectualibus, quàm intellectu carentibus: Non minùs enim, verbi gratiâ hic lapis eſt ſuppoſitum quàm hic homo, nec minùs Bucephalus fuit ſuppoſitum quàm Alexander.

74. *Perſona interdum ſumitur pro larva*, unde hiſtriones larvati vocantur perſonati: *Interdum* etiam ſumitur *pro qualitate aut munere*, ut cùm quis dicitur exuere perſonam Iudicis, & induere perſonam Accuſatoris; & hoc ſenſu Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 14. dixit Verbum aſſumpſiſſe perſonam Mediatoris: *At propriè & ſtrictè* loquendo, *perſona* nihil aliud eſt quàm ſuppoſitum intellectuale; & ideo convenit tantùm ſuppoſitis divinis, angelicis, & humanis; luculentum exemplum habemus propriæ acceptionis perſonæ apud Ciceronem his verbis, *Cæſar nunquam niſi honorificentiſſimè Pompeium appellat; at in ejus perſonam multa facit aſperiùs.* **Acceptiones Perſona.** **Definitio Perſonæ.**

75. Quoniam ratio formalis ſuppoſiti dicitur eſſe ſubſiſtentia aut hypoſtaſis, *duplex ſubſiſtentia* eſt diſtinguenda; *una* quâ conſtituitur ſubſtantia in eſſe ſubſtantiæ, *altera* quâ conſtituitur ſubſtantia in eſſe ſuppoſiti. *Prior* explicari ſolet *per non inhærentiam*, aut *per independentiam à ſubjecto*; unde à quibuſdam dicitur *ſubſiſtentia independentia à ſubjecto*; & ſubſtantia ab iis definitur ens per ſe ſubſiſtens, ideſt non inhærens aut non dependens à ſubjecto: ſicut accidens ab iis definitur ens alteri inhærens, aut dependens à ſubjecto, ideſt ita affixum ſubjecto ut ſine eo exiſtere non poſſit. *Poſterior vero ſubſiſtentia* ſolet explicari *per incommunicationem* aut *incommunicabilitatem alteri*, unde vulgò dicitur *ſubſiſtentia incommunicationis aut incommunicabilitatis*: Licet meliùs explicaretur per negationem compoſitionis unius ſubſtantiæ & per negationem adjunctionis; ab aliis autem vocatur ſuppoſitalitas, quæ in intellectualibus dicitur etiam perſonalitas. *Prior* convenit omni, ſoli, & ſemper ſubſtantiæ, tam completæ, quàm incompletæ: *Poſterior* verò convenit tantùm ſubſtantiæ ultimò completæ, quæ ſcilicet nec conſtituit cum alia unam ſubſtantiam, nec alteri jam conſtitutæ adjungitur. *Prior* eſt ipſa exiſtentia ſubſtantiæ: *Poſterior* verò dicitur ſuperaddere modum, ſive poſitivum, ſive negativum exiſtentiæ ſubſtantiæ ſingularis totalis. *Utraque* ſubſiſtentia illuſtratur exemplis hoc pacto: Humanitas Chriſti habet priorem ſubſiſtentiam quâ conſtituitur in eſſe ſubſtantiæ, quia eſt vera ſubſtantia habens exiſtentiam ſubſtantialem & independentem à ſubjecto inhæſionis; cum non ſit in Verbo tanquam in ſubjecto inhæſionis, nec dependeat ab ipſo tanquam à ſubjecto **Subſiſtentia duplex.**

inhæsionis, idest quia non inhæret verbo, nec est accidens ejus; at non habet posteriorem subsistentiam quæ constituit suppositum, quia non est actu suppositum humanum, sed est adjuncta & unita verbo ad constitutionem Christi; alioquin duo essent supposita & duæ personæ in Christo, quod est hæreticum: Eodem ferè modo philosophandum est de omnibus partibus substantialibus, quæ sunt in toto, sed non tanquam accidentia in subjecto, cum ejusmodi partes possint separatæ existere, non autem accidentia; nec etiam tanquam adjuncta, sed tanquam partes, quæ simul sumptæ & unitæ constituunt totum; & ideo non sunt supposita, quia non habent negationem compositionis; sicut humanitas Christi non est suppositum, quia non habet negationem adjunctionis: Christus verò, Petrus, Paulus, & aliæ substantiæ ultimò completæ, quæ scilicet nec constituunt cum alia unam substantiam, nec alteri jam constitutæ adjunguntur, habent utramque subsistentiam, atque adeo sunt substantiæ & supposita. Duas istas subsistentias non esse semper incompatibiles, probatur ex eo quòd posterior semper supponat priorem; & quicquid habet posteriorem subsistentiam, scilicet suppositalitatem, habet etiam priorem, scilicet independentiam à subjecto: Prior verò licet interdum sit sine posteriori, ut accidit in partibus substantialibus quæ non dependent à subjecto, sed uniuntur ad constitutionem totius; attamen in creatis vulgò creditur dicere ordinem & aptitudinem ad illam: Quicquid enim creatum habet priorem subsistentiam, scilicet independentiam à subjecto, licet non semper habeat actu posteriorem, potest tamen eam habere; verbi gratiâ partes substantiales, quæ non sunt supposita, eò quòd sint unitæ ad constitutionem totius, possunt esse supposita, quia possunt separari & separatæ existere, ut patet in partibus aquæ singularis, quæ unitæ non sunt supposita, sed faciunt unum totum quod est suppositum, separatæ verò sunt actu plura supposita. Hæc distinctio subsistentiæ notatur à Suare disput. 54. metaph. sect. 4. num. 28. à Mendosa de Incarnatione, disput. 33. sect. 1. & aliis.

Quò suppositum creatum nihil superaddit positivum substantiæ singulari.

Suppositum creatum addit tantùm aliquid negativum naturæ.

76. *Suppositum creatum non superaddit substantiæ singulari modum realem & positivum, sed tantùm negationem compositionis unius substantiæ & adjunctionis*; adeo ut suppositum creatum nihil aliud sit quàm substantia singularis, quæ nec constituit unam cum alio substantiam, nec jam constitutæ adjungitur. Dixi suppositum creatum superaddere negationem: Quia suppositum creatum non est quid negativum, sed est ens reale & positivum dicens formaliter substantiam singularem, & involuens negationem compositionis unius substantiæ:

stantiæ & adjunctionis, quasi conditionem absolutè necessariam ad rationem aut denominationem suppositi: Quòd si velis pertinere etiam ad rationem formalem suppositi non repugnabo: Est enim tantùm quæstio de nomine rationis formalis & conditionis. Cæterùm eædem rationes quæ movent Adversarios ad ponendum modum realem & positivum in suppositis creatis: Eædem ipsæ me movent ad ipsum tollendum.

77. Primò (inquiunt Adversarii) *si suppositum increatum superaddat substantiæ singulari, scilicet Divinitati, modum positivum etiam suppositum creatum superaddet substantiæ singulari creatæ modum positivum.* At ego dico contrarium potiùs sequi: Ideo enim suppositum increatum superaddit Divinitati modum positivũ, quia Divinitas præcisè considerata sine modo subsistendi non est principium operationum ad intra, nec distinguit vnum suppositum divinum ab alio, & ob id superadditur modus realis & positivus, per quem vna persona divina distinguitur ab alia, & constituitur sufficiens principium operationum ad intra; at in suppositis creatis nihil tale reperitur; nam omnes naturæ substantiales creatæ secundùm se sunt realiter distinctæ saltem numero in suppositis creatis; humanitas enim Petri verbi gratiâ per se est realiter distincta saltem numero ab humanitate Pauli; & quælibet natura substantialis perfecta in supposito creato, est sufficiens principium formale omnium actionum, & passionum quæ tribuuntur supposito, imò & humanitas in Christo est sufficiens principium totale & formale omnium actionum, & passionum humanarum quæ tribuuntur Christo. *Cur suppositum increatum superaddit aliquid positivum non autem suppositum creatum.*

78. Secundò (inquiunt adversarii) *Verbum assumpsit naturam humanam, non autem suppositalitatem humanam; alioquin essent duo supposita aut duæ personæ in Christo*, quod est hæreticum, & ideo post incarnationem Verbi, humanitas Christi non habet propriam subsistentiam aut suppositalitatem, sed subsistit per subsistentiam Verbi quæ supplet defectum suppositalitatis humanæ; non supplet autem defectum negationis: *Ergo suppositalitas creata superaddit substantiæ singulari aliquam perfectionem aut modum realem & positivum, non autem negationem duntaxat.*

79. At ego dico primò, ex eo quod verbum non assumpserit suppositalitatem humanam, rectè sequi suppositalitatem secundum id quod superaddit substantiæ singulari non esse perfectionem quandam aut modum positivum: Nam Verbum divinum assumpsit omnes perfectiones, imò & omnes infirmitates naturales humanas, juxta illud scripturæ, Christus nobis factus est similis in omnibus excepto peccato; debuisset dicere excepto peccato & suppositalitate humana, si suppositalitas superadderet aliquam perfectionem aut modum positivum substantiæ singulari, potissimùm si esset complementum substantiale naturæ. Nec prodest dicere Verbum assumpsisse omnia *Suppositalitas humana non est quid positivum, quia non est assumpta à verbo.*

positiva quæ pertinent ad naturam, non autem assumpsisse omnia positiva quæ pertinent ad suppositum aut personam; nam ubi scriptura non distinguit non debemus distinguere, & cum Deus loquitur, nostrum est tacere; atque adeò cum Deus tantùm excipiat peccatum, nos non debemus excipere peccatum & suppositalitatem tanquam perfectionem aut modum realem. Adde quod si Verbum non assumpsisset modum illum realem qui dicitur complementum humanitatis, & qui cum ea creditur constituere hominem aut suppositum humanum, sequeretur Christum hominem & reliquos homines non esse univocè homines aut similes homines; eò quòd non essent similia supposita, si quidem Christus esset suppositum increatum & divinum, & reliqui homines essent supposita creata & humana.

Suppositum creatum non superaddere positivum probatur ex guttis aquæ.

80. Et reverà, quemadmodum si duæ guttæ aquæ anteà separatæ uniantur, desinunt esse supposita, ex eo tantùm quòd uniantur & componant unum totum substantiale cujus fiunt partes, nullam perfectionem aut modum positivum deperdendo: Si verò separentur incipiunt esse supposita, ex eo tantùm quòd separentur & non componant ampliùs unam tertiam substantiam, nullam perfectionem aut modum positivum acquirendo: Ita etiam humanitas Christi nunquam fuit suppositum, ex eo tantùm quod semper fuerit unita verbo tanquàm adjunctum substantiale illius; & si dimitteretur à Verbo (quod tamen ex decreto divino nunquam fiet) inciperet esse suppositum, ex eo tantùm quòd non esset unita & adjuncta Verbo: Ergo per solam positionem compositionis unius substantiæ aut adjunctionis tollitur suppositalitas, & per solam negationem compositionis unius substantiæ & adjunctionis ponitur suppositalitas; atque adeo suppositalitas superaddit tantùm substantiæ singulari creatæ negationem compositionis unius substantiæ aut adjunctionis.

Quomodo humanitas Christi subsistit per subsistentiam Verbi & quomodo non.

81. Dico Secundò *humanitatem esse subsistentem subsistentiâ Verbi valdè ambiguè dici*, & juxta varias acceptiones subsistentis variè philosophandum esse: Nam si per τὸ subsistens intelligatur suppositum, & per esse subsistens intelligatur esse suppositum, ut sumitur ordinariè; certum est humanitatem Christi non subsistere aut esse subsistentem per subsistentiam aut suppositalitatem Verbi; quia humanitas Christi, nec est, nec fit suppositum per subsistentiam Verbi cui unita est; At si per τὸ esse subsistens, intelligatur effectus formalis subsistentiæ, seu suppositalitatis aut personalitatis Verbi, qui est esse suppositatum, personatum, & sustentatum à Verbo; certum est humanitatem Christi esse subsistentem per subsistentiam Verbi; cum humanitas Christi sit suppositata, personata, & sustentata à Verbo, tanquam adjunctum substantiale à subjecto.

82. Tertiò [inquit vir doctissimus] *qualis est modus terminativus optis in ratione substantiæ, talis est modus terminativus substantiæ in ratione*

n pe sona : At modus terminativus entis in ratione substantiæ est realis & positivus : Ergo &c. Major videtur certa, nulla enim disparitas adduci potest quæ sit alicujus momenti.

83. Respondetur primò, hîc non esse quæstionem de persona ut persona, sed de supposito, licet enim persona ut persona dicatur superaddere substantiæ singulari & ipsi supposito rationem intellectivi, quam esse realem & positivam nemo diffitetur; attamen suppositum non superaddit substantiæ singulari aliquid positivum. *Persona superaddit positivum, non suppositum.*

84. Respondetur secundò, argumentum tantùm concludere suppositalitatem quæ constituit substantiam in esse suppositi esse quid reale & positivum, de quo non est quæstio, nam ut supradictum est suppositalitas dicit formaliter substantiam singularem includendo negationem compositionis & adjunctionis; tota igitur quæstio est an suppositalitas seu ratio formalis constitutivæ suppositi superaddat substantiæ singulari aliquid positivum.

85. Respondetur tertiò, in constitutione entis in ratione substantia, Philosophos non uti vocabulo terminativi, sed constitutivi, determinativi, & contractivi; terminus enim non est de essentia rei quam terminat, nec res quæ terminatur est de essentia termini: At ens est de essentia cujuslibet rei & modi, & modus seu potiùs ratio formalis constituens ens in ratione substantiæ est de essentia talis entis. Quare argumentum meliùs sic conciperetur: Qualis est modus constitutivus entis in ratione substantiæ, vel determinativus & contractivus entis ad substantiam; talis est modus constitutivus substantiæ singularis in ratione suppositi, vel determinativus & contractivus substantiæ singularis ad suppositum: Sed modus constitutivus entis in ratione substantiæ superaddit enti aliquid reale & positivum: Ergo modus constitutivus substantiæ singularis in ratione suppositi, superaddit ipsi substantiæ singulari aliquid reale & positivum: Argumento sic formato.

86. Respondetur quartò, negando minorem; nam nomine entis, vel significatur ens in communi, vel ens in particulari & prout contractum aut determinatum ad substantiam. In priori significatione nullus modus potest superaddi realiter enti: Eò quòd ens in communi realiter comprehendat res omnes & modos omnes rerum, substantias omnes & omnia accidentia. In posteriori significatione nullus etiam modus superadditur enti; eo quòd ens contractum ad substantiam identificetur realiter cum substantia, alioquin substantia non esset ens; quæ enim distinguuntur, de se invicem negantur; modus autem quo constituitur ens substantiale, scilicet subsistentia independentiæ à subjecto, non superadditur tali enti; sed identificatur realiter cum ipso, aut saltem in eo includitur; Unde sic retorqueo argumentum: Qualis est modus constitutivus entis in ratione substan- *Differentia substantiæ nihil superaddit enti.*

tiæ, talis est modus constitutivus substantiæ singularis in ratione suppositi: Sed substantia non superaddit enti modum realem & positivum, ut suprà probatum est; Ergo suppositum non superaddit substantiæ singulari modum realem & positivum.

87. Respondetur quintò negando majorem; disparitas consistit in eo quòd contractio entis ad substantiam, sicuti abstractio ab ea sit tantùm rationis & per intellectum, adeo ut ens contractum ad substantiam non possit non esse substantia; & semper fuerit & futura sit realiter substantia; at contractio substantiæ singularis ad suppositum sicuti abstractio ab eo, sit realis & nemine cogitante: Nam si humanitas Christi, verbi gratiâ quæ est substantia singularis, non tamen suppositum, dimitteretur à verbo, realiter fieret suppositum; & si duæ partes aquæ separentur, fierent supposita nemine cogitante, ex eo præcisè quòd non componerent unum totum essentiale & integrale.

Suppositalitas creata non potest explicari per positivum.

88. His adde quod non possit explicari effectus formalis suppositalitatis creatæ secundum id quod superaddit substantiæ singulari, nisi per negationem compositionis unius substantiæ & adjunctionis. Quod enim quidam dicunt effectum formalem illius esse suppositum constituere, id est reddere naturam incommunicabilem alteri, non est ad rem, quia per illum modum subsistendi seu suppositalitatem natura redditur incommunicabilis alteri, vel tanquam subjecto, vel tanquam toti essentiali, vel tanquam supposito; at duo priora habet substantia singularis, putà humanitas Christi, eo ipso quòd sit substantia singularis omnibus suis partibus essentialibus cõstãs; ex eo enim quòd sit substantia, non autẽ accidens aut forma, non communicatur subjecto; ex eo verò quod sit totum essentiale, non autem pars essentialis alicujus naturæ, communicatur toti essentiali; tertium verò est inexplicabile, & mera petitio principii, cum explicet idem per idem, scilicet suppositum per incommunicabile alteri supposito. Rursus, quod quidam dicunt suppositalitatem creatam esse ultimum naturæ substantialis complementum & terminum non est ad rem, cur enim humanitas Christi verbi gratiâ quæ non est suppositum, non est æquè completa ac aliæ humanitates, cùm sit sufficiens principium omnium actionum & passionum humanarum? Dicent fortè eam esse completam in ratione naturæ, non autem in ratione suppositi. Sed contra: Dico, manifestam esse petitionem principii; non potest enim explicari quid sit esse completum in ratione suppositi, nisi per carentiam compositionis unius substantiæ & adjunctionis: Denique Rodericus de Arriaga, Franciscus de Oviedo, & alii inter Iesuitas celeberrimi & defensores acerrimi suppositalitatis creatæ tanquam entitatis positivæ superadditæ substantiæ singulari, ingenuè fatentur effectum formalem subsistentiæ seu suppositalitatis creatæ esse inexplicabilem. Arriaga disp. 4. Metaph. sect. 8. sub sect. 3. sic loquitur; *constat*

ergo

ergo effectum formalem subsistentiæ nobis prorsus esse incognitum. Et Oviedo controv. 6. Metaph. punct. 3. num. 18. hæc habet, *Dixi jam quid non sit hic modus scilicet suppositalitas: quid verò sit, non ab aliquo dicendum spero, neque à me explicari præsumo.* Quare cum ejusmodi modus positivus in suppositis creatis sit inexplicabilis, & nulla ratio aut necessitas cogat ad ipsum ponendum: Concludimus suppositum creatum superaddere substantiæ singulari negationem compositionis unius substantiæ & adjunctionis duntaxat.

ARTICVLVS QVINTVS.

De proprietatibus & divisione substantiæ.

89. *PRoprietates substantiæ sex communiter ponuntur,* desumptæ ex Aristotele in prædicamentis capite de substantia. 1. *non esse in subjecto,* scilicet *inhæsionis*; nam esse in subjecto prædicationis omnes agnoscunt, cum substantiæ universales prædicentur de substantiis singularibus: Hæc proprietas convenit omni, soli, & semper substantiæ, atque adeo est proprietas quarto modo substantiæ. *Existimo tamen non rectè dici proprietatem substantiæ, sed esse potiùs differentiam essentialem ejus*; cum non esse in subjecto inhæsionis & subsistere per se subsistentia independentiæ à subjecto coincidant; talis autem subsistentia est differentia essentialis substantiæ. 2. *Non habere contrarium*, id est *una substantia non est contraria alteri. Ego existimo non esse proprietatem substantiæ*, quia nec soli nec omni substantiæ convenit; non quidem soli, quia figuræ, quæ sunt vera accidentia, non habent contrarium; & quantitas, ac potentiæ naturales, quæ ab Adversariis creduntur vera accidentia, non habent contrarium; non etiam convenire omni substantiæ patet, quia calor & frigus, humiditas & siccitas, sunt contraria; quæ tamen identificantur cum substantiis elementorum, ut probabitur in physicis; & quia sunt proprietates elementorum, proprietates autem non distinguuntur realiter à suis subjectis, ut probatum est in logicis dum de differentia & proprio: De contrarietate plura dicemus infrà dum de qualitate. 3. *Non suscipere magis & minus*, seu *non intendi aut remitti*, id est una substantia non est magis aut minùs substantia quàm alia, licet possit dici major aut minor; & eadem substantia non est magis aut minùs substantia uno tempore quàm alio, licet possit dici major aut minor, ratio est quia omnes substantiæ habent æqualiter subsistentiam independentiæ à subjecto seu negationem inhærentiæ. *Ego existimo non rectè dici proprietatem substantiæ*,

quia ex confessione Adversariorum multa sunt accidentia quæ non possunt suscipere magis & minùs, &, in physicis demonstrabimus nullam dari intensionem & remissionem; idque insinuavimus in logicis dum de differentia & proprio; unde patet non suscipere magis & minùs, convenire quidem omni substantiæ, non tamen soli, atque adeo non esse veram proprietatem substantiæ 4. [illegible] ea sit *prædicari*, id est *prædicari de inferioribus sine dependentia essentiali unius inferioris ab* alio : *Ego existimo non rectè dici proprietatem substantiæ*; cum non conveniat omni substantiæ, scilicet substantiæ primæ seu singulari, putà Petro; nec etiam conveniat soli substantiæ, cum accidentia universalia prædicentur univocè de inferioribus, putà color de albedine & nigredine, actio de creatione & eductione, &c. 5. *Significare hoc aliquid : Sed non rectè dicitur proprietas substantiæ*; cum non conveniat omni substantiæ, scilicet substantiæ secundæ seu universali, putà homini; neque conveniat soli substantiæ, eò quòd conveniat omnibus accidentibus singularibus, putà huic ambulationi, huic sessioni, &c. 6. *esse subjectum susceptivum contrariorum*, id est *posse suscipere accidentia contraria, saltem successivè*, putà manus potest successivè recipere calorem & frigus. *Verùm non videtur rectè dici proprietas*, quia non convenit omni substantiæ, scilicet Deo; nec soli, cum orationibus quibusdam scriptis conveniat.

90. Substantia communiter dividitur in primam & secundam. *Substantia prima* vulgò dicitur ea quæ neque est in subjecto scilicet inhæsionis, nec dicitur de subjecto scilicet prædicationis, ut hic homo : *Substantia* verò *secunda* dicitur ea quæ non est in subjecto scilicet inhæsionis, sed de subjecto prædicationis dicitur ut homo. *Verùm hæc divisio non est propria substantiæ* : Nam substantia prima nihil aliud est quàm substantia singularis, & substantia secunda nihil aliud est quàm substantia universalis : at esse singulare & universale convenit etiam accidentibus; atque adeo hæc divisio in primum & secundum debet tribui Enti, quod dividitur in singulare & universale. Substantia etiam vulgò dividitur in finitam & infinitam in completam & incompletam, &c. quæ sunt potiùs divisiones Entis. *Rectè autem dividitur substantia in corpus & spiritum* : Corpora sunt impenetrabilia, id est non possunt poni simul in eodem loco : Spiritus verò sunt penetrabiles, id est possunt simul poni in eodem loco; De corpore autem agitur in Physica, de spiritu verò in Pneumatica Plura traduntur de divisione substantiæ in logicis dum de prædicamentis.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

De Qualitate.

HOc capite agetur primò, de definitione & divisione qualitatis: Secundò, de speciebus generalibus qualitatis: Tertiò, de proprietatibus ejus.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Definitione & divisione qualitatis.

1. *Qualitas definitur ab Aristotele* in prædicamentis cap. de qualitate & 5. Metaph. hoc pacto: *Qualitas est quâ quales quidam dicuntur. Verùm hæc definitio non est legitima*; quia definitio debet esse clarior definito, & eam explicare: At definitio allata non explicat rationem formalem qualitatis; cum quale æquè sit obscurum ac qualitas: Inquirenti enim quid sit quale, respondetur quod à qualitate denominatur; & sic fit manifestus circulus. Quòd si quis dicat, quale alio modo definiendum esse: Tunc vtendum illo modo ad qualitatem definiendam. *Qualitatis definitio Aristotelica refutatur.*

2. *Qualitas definitur à Thoma* 5. Metaph. hoc pacto: *Qualitas est accidens consequens formam*, sicut quantitas est accidens consequens materiam. *Verùm hæc definitio non est adæquata*, cum nec omni, nec soli qualitati conveniat: Non quidem omni, quia dantur qualitates quæ sequuntur materiam; vt figuræ, quæ resultant ex situ partium quantitatis aut materiæ; dantur etiam qualitates quæ neque sequuntur materiam neque formam, vt qualitates Angelorum materia & forma carentium; dantur denique qualitates quæ sequuntur materiam & formam duntaxat, vt sensus externi & interni, putà visus, auditus, &c. Siquidem corpus solum non habet visum, nec sola anima, sed vtrumque simul duntaxat: Non etiam soli qualitati convenit; cum actio sit accidens consequens formam, saltem iuxta Thomam & Peripateticos, qui agnoscunt veritatem hujus axiomatis, *formæ est agere, materiæ verò pati*: Imò quantitas certa & determinata à Thoma & aliis creditur sequi formam; eò quòd forma totius compositi poscat certam & determinatam quantitatem. *Qualitatis definitio prima à Thoma allata refutatur.*

Qualitatis definitio secunda à Thoma allata refutatur.

3. *Qualitas definitur ab eodem Thoma disp.12. quæst.49.* hoc pacto: *Qualitas est modus seu determinatio subjecti secundum esse accidentale. Verùm hac definitio non est adæquata*; cum nec omni, nec soli conveniat: Non quidem omni, quia secundùm Thomam potentiæ naturales & patibiles qualitates sunt veræ qualitates, cum tamen non sint modi; eò quòd modus dicat essentialiter dependentiam actualem à subjecto, nec possit existere sine eo; at potentiæ naturales & patibiles qualitates possint existere sine subjecto, ut patet secundum Thomam in sacramento Eucharistiæ, ubi existimat potentias naturales panis & vini, necnon colores, odores, sapores, calorem aut frigus, siccitatem aut humiditatem, mollitiem aut duritiem, &c. existere actu sine subjecto: Non etiam soli qualitati convenit, cum septem posteriora prædicamenta à Thoma & sectatoribus ejus credantur modi; idque patet in actione, passione, ubicatione &c. quæ sunt modi determinantes subjectum.

Qualitatis definitio ab Arriaga allata refutatur.

4. *Arriaga disput.5. Metaph. sect.2. definit qualitatem* hoc pacto: *Qualitas est accidens absolutum. Verùm contra Dico*, vel per absolutum intelligit non relativum, & sic definitio non convenit omni; cum habitus & potentiæ naturales dicant relationem ad suos actus & actus vitales dicant relationem ad sua objecta, habitus autem & potentias esse qualitates agnoscit Arriaga; vel per absolutum intelligit reale prout opponitur modali; & sic definitio nec omni, nec soli conveniet; non quidem omni, quia figuræ ex omnium sententia sunt modi, & suo loco probabo etiam habitus & patibiles qualitates esse modos, potentias verò naturales substantiarum esse substantias; non etiam soli, cum ipse Arriaga doceat disp.14. phy. sect.2. subsect.7. præsentiam esse rem, & non modum, quod esse falsum suo loco ostendemus.

Qualitatis definitio ab Hurtado allata refutatur.

5. *Hurtadus* disp.4. Metaphysic. sect.1. num.4. *definit qualitatem* hoc pacto: *Qualitas est accidens absolutum à quantitate distinctum. Verùm contra Dico*, hanc definitionem supponere quantitatem esse accidens; at nos in Physicis demonstrabimus quantitatem non distingui realiter intrinsecè à materia. Deinde, cum dicit qualitatem esse accidens absolutum eodem modo refutatur quo Arriaga refutatus est numero præcedenti. Denique, hæc definitio non explicat rem; per illam enim tantùm dicitur quid non sit qualitas, non autem quid sit.

Aliæ definitiones qualitatis refutantur.

6. *Qualitas definitur ab aliis apud Süarem* tomo 2. Metaphysicæ disp.42. sect.1. hoc pacto: *Qualitas est id omne quod præter quantitatem substantiæ inest. Verùm contra Dico* hanc definitionem convenire omni accidenti, atque adeo non soli qualitati. *Alii apud Suarem* ibidem, *apud Arriagam* disp.5. Metaph. sect.2. & *apud Oviedum* controversia 8. puncto 1. definiunt qualitatem hoc pacto: *Qualitas est accidens absolutum perficiens substantiam tam in agendo quàm in existendo.*

Verùm

Verùm contra Dico, qualitates secundæ speciei, scilicet potentias naturales substantiarum, non distingui realiter ab ipsis substantiis, ut probabitur infrà: atque adeo non esse accidentia. Deinde, cùm dicitur accidens absolutum, eodem modo refutatur, quo refutata est definitio suprà allata ab Arriaga & Hurtado. Denique, cùm dicitur perficiens substantiam in operando & existendo, nihil dicitur quod non conveniat aliis accidentibus; quia omne accidens perficit substantiam, saltem extrinsecè & accidentaliter, sunt enim ornamenta & quasi vestes substantiæ: entitativè autem & intrinsecè aut essentialiter, nulla qualitas perficit substantiam; cum omnis substantia habeat suum esse adæquatè distinctum à qualitate: Adde quòd quantitas perficiat substantiam in operando; cum agens corporeum extensionem seu quantitatem requirat; & præsentia perficit etiam substantiam in operando, cum approximatio sit conditio requisita ad operationem: approximatio autem sit præsentia determinata. Denique unio perficit substantiam in operando, cum faciat ut substantia certo modo operetur.

7. *Qualitas definitur ab aliis apud Oviedum* Controversia 8. puncto 1. num. 4. hoc pacto: *Qualitas est accidens per se intensum. Verùm contra Dico*, qualitates secundæ speciei, scilicet potentias naturales, non esse accidentia, ut probabitur infrà. Deinde, nullam dari intensionem & remissionem fusè probabo in physicis, & omnes ferè Peripatetici agnoscunt, potentias naturales, & figuras, non esse intensionis capaces. Denique supposita intensione, actiones multæ sunt intensionis capaces, putà calefactio, frigefactio, illuminatio &c. atque adeo capacitas intensionis non convenit soli qualitati.

8. *Oviedus* contr. 8. metaph. n. 5. *definit qualitatem* hoc pacto: *Qualitas est accidens quod secundum rationem superiorem prædicamenti sequitur tantùm actualitatem perfectam.* Explicat autem actualitatem perfectam hoc pacto: *Per actualitatem perfectam intelligo id quo ultimò constituitur totum substantiale: quod in toto composito est forma: & in toto simplici, putà Angelo, est eademmet totius substantialis impartibilis entitas. Verùm contra Dico*, qualitates secundæ speciei non esse accidentia, ut infrà. Deinde, figuræ quæ pertinent ad quartam speciem qualitatis, non sequuntur tantùm actualitatem perfectam, scilicet formã; sed sequuntur potiùs materiam, cum resultent ex situ partiũ materiæ. Præterea, sensus externi & interni sequuntur materiam & formam simul, ut suprà. Denique actio sequitur actualitatem perfectam, putà entitatem in Angelo & formam in composito; cum formę sit agere, materię verò pati. *Definitio qualitatis ab Oviedo allata refutatur.*

9. *Ego existimo qualitatem vulgatam, & comprehendentem quatuor vulgatas species qualitatis*, scilicet habitum, potentiam, patibilem qualitatem, & figuram *non posse definiri:* Nulla enim potest assignari differentia aut ratio formalis, quæ iis omnibus, & solis, ac semper conveniat; quod tamen requiritur ad veram defi- *Qualitas vulgata non potest definiri.*

nitionem. *At si sumatur qualitas provt sumi debet, pro qualitate accidentali*, quæ comprehendit tantùm habitum & patibilem qualitatem; rectè *definitur* hoc pacto: Qualitas est accidens ortum ex certâ pulsatione nervorum sensoriorum, vt dicetur in Physicis dum de anima; quod tantùm verùm est de qualitatibus corporis.

Vera qualitatis definitio.

Divisio vulgata qualitatis refutatur.

10. *Qualitas vulgò dividitur in habitum & dispositionem, potentiam naturalem & impotentiam, patibilem qualitatem & passionem, & formam ac figuram.* Verùm cum potentiæ naturales sint proprietates substantiarum, & proprietates non distinguantur realiter intrinsecè à suis subjectis, vt probatum est in logicis dum de differentia & proprio clarum est potentias naturales esse substantias, atque adeo non pertinere ad prædicamentum qualitatis accidentalis, de qua tantùm nunc. Rursus, cum forma exterior seu figura resultet tantùm ex situ partium exteriorum materiæ, atque adeo propriè loquendo nihil aliud sit quàm situs ejusmodi partium; clarum est formam exteriorem seu figuram revocandam esse ad situm: Et cum omnis situs resultet ex vnione partium materiæ, & propriè loquendo nihil aliud sit quàm ejusmodi vnio; manifestum est formam exteriorem seu figuram, non minùs quàm situm, revocandam esse ad vnionem, quæ constituit peculiare prædicamentum secundùm nos.

11. *Meliùs igitur qualitas dividitur in duas species duntaxat*, scilicet *in habitum aut dispositionem*, & *in patibilem qualitatem seu passionem:* Nihilominus, quia vsus invaluit vt in scholis tractentur quatuor vulgatæ species qualitatis, de ijs sequenti articulo agemus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De speciebus generalibus qualitatis.

Vulgata qualitatis divisio.

12. Qvatuor sunt vulgatæ species qualitatis, scilicet habitus & dispositio, potentia naturalis & impotentia, patibilis qualitas & passio, forma & figura, de quibus sigillatim agemus.

DE HABITV ET PASSIONE.

Facilitas duplex.

13. Vt intelligatur doctrina de habitu, sciendum est primò, *duplicem esse facilitatem*, vnam *naturalem*; quæ est rei congenita, & quasi proprietas naturam rei consequens, vt facilitas videndi in homine, facilitas volandi in aquila, &c. alteram *non naturalem*, sed

sed adventitiam, siue infusam, vt fides habitualis; siue acquisitam, vt philosophia habitualis. *Facilitas naturalis refertur ad potentiam naturalem: Facilitas verò non naturalis refertur ad habitum*: Et ideo *habitus* dici potest facilitas operandi non naturalis, id est rei non congenita; vel id quod dat formaliter ejusmodi facilitatem. Peccatum originale habituale tenet locum quasi medium inter has duas facilitates, nam quatenus omnes homines concipiuntur & nascuntur cum tali peccato, potest dici aliquo modo inclinatio & facilitas naturalis in malum, juxta illud Pauli dicentis Eph. 2. *nos esse naturâ filios iræ:* At quatenus naturâ humanâ fuit ante peccatum, & peccatum non est proprietas naturæ humanæ, vt patet in Adamo integro & in Christo; potest dici facilitas non naturalis.

14. Sciendum est secundò, *nullos esse propriè dictos habitus in potentia motrice*, quia est potentia necessaria à voluntate determinata in suis operationibus sine difficultate exercendis, in quo omnes consentiunt; nullos etiam esse habitus in voluntate, patet ex eo quòd voluntas sit potentia necessariò sequens dictamen Intellectus, à quo determinatur in suis operationibus sine difficultate exercendis, vt demonstraui disputatione de libertate. Quare, quæstio tantùm est de habitu intellectus, in quo scilicet consistat ratio formalis illius. *Habitus reperiuntur tantùm in intellectu.*

15. His prænotatis, Dico *varias esse Philosophorum sententias de ratione formali constitutiva habitus intellectus. Prima* est eorum qui existimant habitum intellectus nihil aliud esse præter species intelligibiles seu ideas aut imagines repræsentatiuas objectorum, quando sunt claræ, ritè ordinatæ, & fortiter in cerebro aut in anima radicatæ. Quod fusè refutabitur in physicis dum de anima. *Prima sententia de ratione formali habitus, eum ponens in speciebus intelligibilibus.*

16. *Secunda sententia* de ratione formali constitutiua habitus Intellectus, est eorum qui existimant habitum Intellectus consistere in certa quadam facilitate cognoscendi aut judicandi, quam acquirit Intellectus aut anima, ex motione nervorum sensoriorum, ab objectis aut spiritibus animalibus pulsatorum, cerebro communicata; quod fusè probabitur in physicis dum de anima. Habitus autem comprehendit omnes artes & scientias necnon omnes virtutes, & omnia vitia. *Secunda sententia de ratione formali habitus.*

DE POTENTIA NATVRALI & figura.

17. QVoniam doctrina de potentia naturali & figura aut forma exteriori est facilis, & ab alijs satis clarè tradita, ideo *Definitio & divisio potentia naturalis*

paucis eam perstringemus. *Potentia naturalis* est qualitas causandi rei congenita: *Triplex*, autem vulgò statuitur; scilicet *activa* quâ res agit, ut calor ignis; *passiva* quâ res patitur, ut combustibilitas in ligno, & *resistens*, ut durities in ferro: Per potentiam autem passivam intelligo potentiam receptivam, & per pati intelligo hîc recipere. Rursus, Potentiæ tot modis possunt dividi quot substantiæ quarum sunt potentiæ; & ideo potentiæ vel sunt corporeæ, vel spirituales, quæ tot modis subdividi possunt, quot sunt corpora & spiritus; & ideo vel sunt simplices vel mixtæ, vel animatæ vel inanimatæ, vel vegetativæ, vel sensitivæ, vel intellectivæ &c. de quibus omnibus agetur in Physicis.

Definitio formæ & figuræ.

18. *Forma & figura* est qualitas resultans ex situ partium materiæ aut quantitatis. Ab aliis definitur ultimus terminus quantitatis; Item, ultimus terminus extensionis localis: Item id quod resultat ex terminatione magnitudinis. Denique, externarum partium corporis inter se dispositio. *Talis autem forma aut figura differt à præsentia aut ubicatione:* Quia mutato loco mutatur ubicatio seu præsentia in loco, non tamen mutatur figura. Rectè tamen dicitur formam aut figuram non differre à situ partium, cum mutato situ mutetur figura, & mutatâ figurâ mutetur situs.

Figura differt ab ubicatione non à situ.

19. Hîc quæri solet *quomodo quatuor qualitatis species vulgatæ distinguantur, & quomodo res duobus nominibus insignitæ in qualibet specie differant?* Respondetur primò, quatuor ejusmodi species non semper distingui realiter intrinsecè, cum una & eadem entitas possit pertinere ad plures species diverso respectu, qui respectus facit distinctionem realem extrinsecam duntaxat; verbi gratiâ calor prout disponit subjectum, putà materiam ad formam ignis, dicitur pertinere ad primam speciem, scilicet ad dispositionem, prout verò est potentia naturalis ignis, pertinet ad secundam; & prout afficit sensum tactus, dicitur pertinere ad tertiam.

Quatuor species qualitatis non differunt realiter intrinsecè.

20. Respondetur secundò, habitum & dispositionem differre, quòd dispositio sit facilè mobilis à subjecto, ut Logica in discipulo, habitus verò sit difficilè mobilis à subjecto, ut Logica in Professore Philosophiæ. Non differunt autem essentialiter in ordine ad eosdem actus, putà dispositio logica & habitus logicus habentes eosdem actus, differunt tantùm accidentaliter, non autem essentialiter; quia differunt tantùm gradu, seu tanquam perfectum & imperfectum; gradus autem non variant speciem, & perfectum ac imperfectum non variant essentiam; At in ordine ad diversos actus, si unum ex naturâ suâ sit facilè mobile & dicatur dispositio, ut error; alterum verò ex naturâ suâ sit difficilè mobile, & dicatur habitus, ut scientia; tunc habitus & dispositio differunt specie & essentialiter.

Differentia inter habitum & dispositionem.

21. Respondetur secundò, potentiam & impotentiam naturalem differre, quod potentia sumatur pro valida potentia, ut visus in Iuvene,

Differentia inter potentiam & impotentiam.

vene, Impotentia verò sumatur pro infirma & debili potentia, ut visus in sene decrepito: Nomen enim impotentiæ non debet hîc sumi pro negatione potentiæ. Quòd si potentia & impotentia ex natura sua sint tales, differunt essentialiter, ut visus aquilæ & visus vespertilionis; si verò ex natura sua non sint tales, ut visus validus & infimus in duobus hominibus, different tantùm accidentaliter, quia perfectum & imperfectum non variant speciem aut essentiam, nisi sint talia ex natura sua.

22. Respondetur tertiò, patibilem qualitatem & passionem differre, quod patibilis qualitas diu duret, ut rubor naturalis, passio verò citò transeat ut rubor ex verecundia. *Differentia inter patibilem qualitatem & passionem.*

23. Respondetur quartò, formam exteriorem & figuram differre communiter, quod forma dicatur de physicis, & connotet subjectum aut qualitates physicas; figura verò dicatur de mathematicis, abstrahendo à materia subjecto & qualitatibus physicis: Alii differentiam utriusque explicant hoc versu, Formam viventis, picti dic esse figuram. *Differentia inter formā & figuram.*

ARTICVLVS TERTIVS.

De proprietatibus qualitatis.

24. TRes communiter afferuntur proprietates qualitatis: scilicet habere contrarium, suscipere magis & minùs, & res per eam dici similes & dissimiles: Attamen non esse veras & legitimas proprietates qualitatis, sic ostenditur. *Proprietates vulgata qualitatis.*

25. Primò, habere contrarium nec omni nec soli qualitati convenit: Non quidem omni, cum potentiæ naturales, figuræ, lux, species impressæ aut expressæ, quæ creduntur qualitates non habeant contrarium: Non etiam soli, quia actio sæpissimè habet contrarium, ut calefactio quæ est contraria frigefactioni, & motus sursum qui est contrarius motui deorsum; imo & quædam substantiæ, putà ignis & aqua, possint dici contraria eodem modo quo calor & frigus, cùm calor ignis identificetur cum igne, & frigus aquæ identificetur cum aqua. *Habere contrarium nec omni nec soli qualitati convenit.* At unde proveniat qualitatum contrarietas dubitari potest. Respondent quidam, id oriri ex natura propria qualitatum, quæ naturâ vel experientiâ nota est; cùm scilicet qualitates ob propriam ipsarum oppositionem se expellunt è subjecto, ut contrarietas quæ est inter odium & amorem, assensum & dissensum. Respondent alii, duas qualitates aut modos non posse esse simul in eodem subjecto, non ob contrarietatem earum, sed ob limitatam virtutem subjecti. Alii denique respondent contrarietatem qualitatum oriri *Causa contrarietatis qualitatum.*

ex diversitate figuræ quæ contrarios effectus producunt, & idem subjectum afficere non possunt.

Suscipere magis & minùs non est proprietas qualitatis.

26. Secundò, *suscipere magis & minùs, seu intendi & remitti, non convenit omni qualitati*, quia potentiæ naturales & figuræ, quæ vulgò creduntur qualitates, non suscipiunt magis & minùs; imò propriè loquendo nulli qualitati conuenit, cum non detur intensio & remissio qualitatum, vt fusè probatur in physicis: Quòd si qualitas susciperet magis & minùs; etiam actio & passio id susciperent, vt patet in calefactione & frigefactione: & sic suscipere magis & minùs non convenit soli qualitati.

Similitudo dissimilitudo non conveniunt soli qualitati.

27. Tertiò. *Res per eam dici similes & dissimiles, non conuenit soli qualitati*; cum similitudo & dissimilitudo conveniant omni enti: verbi gratiâ duæ humanitates, & duæ guttæ aquæ inter se, non minùs videntur similes quàm duæ albedines: & humanitas ac asinitas non minùs videntur dissimiles quàm albedo & nigredo.

CAPVT TERTIVM.

De Relatione.

HOc capite agetur primò, de distinctione & definitione relationum: Secundò, de conditionibus ad relationem requisitis: Tertiò, de divisione relationis prædicamentalis & transcendentalis: Quartò, de distinctione relationis à fundamento & termino: Quintò, de proprietatibus relationum.

ARTICVLVS PRIMVS.

De distinctione & definitione Relationum.

1. RElatio, quæ aliter dicitur respectus, ordo & habitudo vnius ad aliud, variis modis distinguitur. Primò, Relatio distinguitur in relationem realem, & relationem rationis. *Relatio realis* dicitur ea quæ est independenter ab intellectu, & non est ficta ab ipso, vt relatio similitudinis quæ est inter duos parietes albos. *Relatio rationis* dicitur ea quæ habet tantùm esse objectivè in intellectu, & ideo est ficta ab ipso, vt relatio Petri tanquam Patris ad Paulum filium mortuum. Verùm cum relatio rationis sit ens rationis, & eus rationis non possit dari, vt suprà probatum est, manifestum

Definitio relationis realis & rationis.

Non datur relatio rationis.

stum est *nullam dari relationem rationis*. Relationes autem reales actu existere patet, ex eo quòd detur relatio similitudinis realis inter duos parietes albos, & detur relatio realis paternitatis & filiationis inter hominem generantem & hominem genitum: Tales enim relationes existunt nemine cogitante de ipsis. *Datur relatio realis.*

2. Secundò, Relatio distinguitur in relationem secundum esse, & relationem secundum dici. *Relatio secundum esse* confunditur à quibusdam cum relatione reali, & *relatio secundum dici* confunditur cum relatione rationis: Eò quòd relatio secundum esse sit ea quæ est verè relatio: Relatio verò secundum dici sit ea quæ dicitur relatio, sed non est relaio. Secundùm alios relatio secundum esse est relatio realis: Relatio verò secundum dici est cùm concipitur absolutum in ordine ad aliud, non quod fingamus in absoluto ordinem aut relationem, sic enim esset relatio rationis, sed quod declaremus & explicemus unum per aliud, putà cùm explicamus res spirituales in ordine ad corporeas, idest per corporeas. At secundùm alios relatio secundum esse est relatio prædicamentalis; relatio verò secundum dici est relatio transcendentalis, quæ scilicet dicitur relatio prædicamentalis, sed non est. *Definitio relationis secundum esse & secundum dici.*

3. Tertiò, Relatio realis distingui solet in increatam & creatam. *Relatio creata* reperitur tantùm in personis divinis: Estque triplex, scilicet paternitas, filiatio, & spiratio passiva seu processio, per quas dicuntur constitui formaliter tres personæ divinæ, scilicet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, de quibus fusè in systemate nostro Theologico. *Relatio creata* reperitur tantùm in creaturis, ut relatio similitudinis inter duos parietes albos. Alii addunt relationem mixtam, quæ est inter Creatorem & creaturam. *De relatione increata & creata.*

4. Quartò, *Relatio realis creata* distinguitur in transcendentalem & prædicamentalem. *Transcendentalis* relatio dicitur vulgò ea quæ est essentialis rei cujus est relatio, atque adeo est inseparabilis ab ipsa, imò identificatur adæquatè cum ea, ut relatio unionis ad res unitas, relatio potentiæ ad actum, & actus ad objectum &c. Relatio *prædicamentalis* vulgò dicitur ea quæ est accidentalis rei cujus est relatio: Atque adeo est separabilis & distincta saltem inadæquatè ab ipsa, ut relatio hominis generantis ad hominem genitum. Relatio transcendentalis sic dicitur, quia propriè pertinet ad aliud prædicamentum quàm relationis, & quasi vagatur per omnia prædicamenta, & transcendit ipsa: Relatio verò prædicamentalis sic dicitur, quia non habet locum in aliis prædicamentis, sed collocatur in proprio prædicamento relationis. Relatio prædicamentalis ab aliis definitur accidens cujus totum esse est ad aliud; ubi per totum esse non intelligitur hoc loco tota entitas præcisè, sed intelligitur totum esse sub aliqua denominatione accidentali, verbi gratià totum esse patris sub denominatione & conceptu patris est esse ad filium, non verò sub *Definitio vulgata relationis transcendentalis & prædicamentalis.*

conceptu hominis præcisè. Hæc autem dicta sint juxta communem sententiam: Nos enim paulò aliter philosophabimur de relatione transcendentali & prædicamentali.

Definitio relationis physicæ & moralis. 5. Quintò, Relatio distinguitur in *physicam*, quæ pendet à natura, ut paternitas, similitudo &c. & *moralem*, quæ pendet à voluntate aut intellectu; ut relatio inter maritum & uxorem, quæ pendet à contractu aut consensu contrahentium matrimonium; relatio inter subjectum & prædicatum, quæ pendet ab operatione intellectus, scilicet à subjectione & prædicatione. Alii volunt relationem physicam esse eam quæ causat terminum quem respicit, ut actio effectum; cui opponunt relationem intentionalem, quæ nullam habet causalitatem in suum terminum, ut cognitio & volitio respectu objectorum: unde volunt eandem rem habere simul relationem physicam & intentionalem respectu diversorum, putà actio habet relationem physicam ad effectum, & intentionalem ad agens seu principium à quo oritur.

Definitio relationis mutuæ & non mutuæ. 6. Sextò, Relatio distinguitur in mutuam & non mutuam. *Relatio mutua* est inter ea quæ ad se invicem referuntur, ut relatio inter patrem & filium, pater enim respicit filium, & filius respicit patrem. *Relatio non mutua* est cùm ex vna parte duntaxat est relatio, idest cùm vnum extremum respicit aliud, non vice versâ, vt relatio inter physicam & corpus naturale; Physica enim respicit corpus naturale, sed corpus naturale non respicit Physicam. *Relatio mutua* dividitur in relationem æquiparantiæ & disquiparantiæ. Relatio *æquiparantiæ* est inter ea quæ sunt ejusdem nominis, vel quæ se habent eodem modo, ut relatio similitudinis inter duo alba, utrumque enim extremum dicitur album & simile, & unum est album sicut aliud. Relatio *disquiparantiæ* est inter ea quæ sunt diversi nominis, vel quæ diversimodè se respiciunt, ut relatio inter patrem & filium, putà Petrus pater respicit Paulum filium ut filium, Paulus verò filius respicit Petrum patrem ut patrem.

Definitio relationis intrinsecùs & extrinsecùs advenientis. 7. Septimò, *Scotistæ* distinguunt relationem in intrinsecùs & extrinsecùs advenientem. *Relatio intrinsecùs adveniens* dicitur ea quæ necessariò resultat posito fundamento & termino, ut relatio similitudinis inter duo alba, positis enim duobus albis necessariò resultat relatio similitudinis inter ea. *Relatio extrinsecùs adveniens* dicitur ea quæ posito fundamento & termino non resultat necessariò, ut relatio inter hominem generantem & hominem genitum; quia utérque potuit existere, & tamen non esse relatio actionis inter utrumque: Deus enim potuit facere ut utérque homo existeret, & tamen unus non genuisset alterum, atque adeo non fuisset relatio inter eos.

ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS.
De Conditionibus Relationis.

8. *Tria communiter dicuntur requiri ad relationem*, scilicet subjectum, fundamentum & terminus. *Subjectum* dicitur illud quod habet aut suscipit relationem, ut homo qui genuit alterum dicitur subjectum paternitatis, per quam respicit hominem quem genuit. *Terminus* dicitur illud ad quod refertur subjectum, ut homo genitus qui est terminus ad quem refertur homo generans. *Fundamentum* est causa relationis, estque duplex, scilicet remotum & proximum. *Fundamentum remotum* est ratio cur subjectum referri possit ad terminum, ut potentia generandi est ratio cur unus homo possit referri ad alium hominem quem potest generare. *Fundamentum proximum* est ratio cur subjectum referatur actu ad terminum, atque adeo est conditio necessaria ad hoc ut relatio sit actu, ut generatio est ratio cur unus homo referatur actu ad alium quem genuit: Fundamentum remotum vocatur simpliciter fundamentum: At fundamentum proximum communiter dicitur ratio fundandi. *Definitio subjecti, termini relationis.* *Definitio fundamenti remoti & proximi.*

9. *Triplex est ratio fundandi*, atque adeo triplex fundamentum proximum relationis, scilicet unitas & multitudo, actio & passio, & mensurabilitas. *Unitas* hoc loco sumitur pro convenientia aut similitudine, *multitudo* verò pro disconvenientia aut dissimilitudine; adeo ut ea dicantur habere relationem unitatis & similitudinis, quæ conveniunt seu similia sunt in aliquo; ea verò dicantur habere relationem multitudinis & dissimilitudinis, quæ disconveniunt seu dissimilia sunt in aliquo; sic Petrus & Paulus dicuntur habere relationem unitatis in humanitate, quia conveniunt & similes sunt in ipsa; homo verò & asinus ut tales, dicuntur habere relationem multitudinis, quia disconveniunt & dissimiles sunt per humanitatem & asinitatem. *Actio & passio* fundant relationes quæ intercedunt inter causas & effectus; actio quidem fundat relationes causarum ad effectus; passio verò fundat relationes effectuum ad causas; verbi gratiâ actio generandi seu generatio activa fundat relationem hominis generantis ad hominem genitum, quæ dicitur paternitas; generatio verò passiva fundat relationem hominis geniti ad hominem generantem quæ dicitur filiatio: Ad actionem autem & passionem referuntur communiter omnes causalitates, de quibus in physicis. *Mensurabilitas* fundat relationes omnes quæ intercedunt inter ea quorum unum est mensura, & quasi regula perfectionis alterius, qualis est relatio inter potentias aut habitus respectu suorum *Fundamenta proxima relationum.*

actuum & objectorum, putà inter visum & visionem aut colorem, inter Physicam & corpus naturale, &c. *Dixi mensurabilitatem, non autem mensuram*; quia relatio mensurabilis ad mensuram est vera relatio, non autem relatio mensuræ ad mensurabile; verbi gratiâ scientia quæ est mensurabilis ab objecto suo, refertur ad ipsum, sed objectum non refertur ad scientiam, putà Physica refertur ad corpus naturale, at corpus naturale non refertur ad Physicam: Mensurabilitas autem fundat tantùm relationes transcendentales, sicut unitas & multitudo, actio & passio fundant relationes prædicamentales.

Fundamenta remota relationum. 10. *Fundamentum remotum relationis triplex* est, triplici fundamento proximo respondens. *Primum fundamentum remotum,* est forma aut quasi forma constitutiva rei in aliquo esse, in qua aliqua conveniunt vel disconveniunt; verbi gratiâ rationalitas constituens Petrum in esse hominis, est fundamentum remotum relationis unitatis essentialis specificæ, quam habet ad cæteros homines, quæ relatio vulgò dicitur relatio identitatis, seu potiùs convenientiæ & similitudinis essentialis; eademque rationalitas est etiam fundamentum remotum relationis diversitatis specificæ quam habet Petrus ad bruta: Pariter, albedo subjectum suum constituens in esse albi, est fundamentum remotum relationis unitatis seu potiùs similitudinis quam habet unus paries albus ad alium parietem album; & est fundamentum remotum relationis diversitatis aut dissimilitudinis quam habet unus paries albus ad alium parietem nigrum. *Secundum fundamentum remotum relationis*, est potentia activa aut passiva, verbi gratiâ in potentia generativa patris fundatur remotè relatio paternitatis, & in generabilitate fundatur remotè relatio filiationis. *Tertium fundamentum remotum relationis* est ipsa essentia rei prout mensurabilis ab alio; quia relatio mensurabilis ad mensuram est transcendentalis, atque adeo est essentialis rei.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Divisione Relationis prædicamentalis & transcendentalis.

Divisio relationis. 11. EX proximo fundamento relationis colligunt Philosophi divisionem relationis in relationem unitatis & multitudinis, in relationem actionis & passionis, & in relationem mensurabilis, duæ priores sunt prædicamentales, tertia verò est transcendentalis.

Relatio

Relatio unitatis & multitudinis, vel est inter plures substantias, putà inter duos hom nes, vel inter hominem & brutum, & vulgò *dicitur relatio identitatis & diversitatis, sive specifica, sive generica*; vel *est inter plures quantitates, sive aequales, sive inaequales*, putà inter duas ulnas, vel inter ulnam & semiulnam,& *dicitur relatio aequalitatis & inaequalitatis*; Vel *est inter plures qualitates, sive similes sive dissimiles*, putà inter duo alba, vel inter album & nigrum, & vulgò *dicitur relatio similitudinis & dissimilitudinis*: Relationes praesentiae, proximitatis, & distantiae revocantur ad relationes unitatis & multitudinis; nam relationes praesentiae aut proximitatis sunt inter ea quae non sunt in locis distantibus; Relationes verò distantiae sunt inter ea quae in locis distantibus existunt: Relationes mensurabilis ad mensuram sunt transcendentales.

12. *Relationes transcendentales sunt quamplurimae*, praecipuae autem sunt istae. 1. *Relatio accidentis ad subjectum*, quia accidens nec esse nec concipi potest sine inhaerentia actuali quae est de essentia accidentis ut accidentis, inhaerens autem non potest concipi sine eo cui inhaeret, scilicet sine subjecto, atque adeo nec sine relatione ad subjectum, quae ideo est relatio essentialis & transcendentalis. Licet autem accidens dicat relationem essentialem & transcendentalem ad subjectum; attamen subjectum non dicit relationem essentialem seu transcendentalem ad accidens; quia id quod est subjectum alicujus accidentis, scilicet substantia potest esse sine illo accidente : atque adeo potest non esse subjectum illius;& per consequens substantia, quae est subjectum alicujus accidentis, potest esse sine relatione ad illud accidens, sicque talis relatio subjecti ad accidens est separabilis ab eo quòd est subjectum sc. à substantia, relatio autem separabilis non est essentialis seu transcendentalis, sed accidentalis aut praedicamentalis. 2. *Relatio actionis ad agens*, quia actio non potest concipi sine relatione ad agens, cum definiatur actus agentis, aut dependentia effectus ab agente; relatio autem sine qua res concipi non potest est essentialis & transcendentalis: At relatio agentis ad actionem non est essentialis seu transcendentalis, sed accidentalis & praedicamentalis, quia res quae est agens potest esse sine actione, atque adeò sine relatione ad actionem; relatio autem sine qua res esse potest, est tantùm accidentalis; eodemque modo philosophandum est de relatione agentis seu causae efficientis ad effectum, quae est accidentalis & praedicamentalis fundata in actione: Per actionem autem & effectum debemus intelligere actionem & effectum actualem; nam relatio causae ad actionem aut effectum possibilem aut producibilem est essentialis & transcendentalis, siquidem productivum ad producibile, & producibile ad productivum habent relationem essentialem seu transcendentalem mutuam 3. *Relatio unionis ad res unitas*; quia unio nec esse nec cōcipi potest sine relatione ad res unitas; & ideo talis relatio

Enumeratio relationum transcendentalium.

unionis ad res unitas est essentialis & transcendentalis: At res unitæ dicunt relationem accidentalem ad unionem; quia res unitæ possunt esse sine unione, atque adeo sine relatione ad unionem. 4. *Relatio formæ essentialis ad materiam*, cùm enim forma essentialis sit ordinariè unio aut figura resultans ex unione atomorum, & talis unio aut figura nec esse nec concipi possit sine partibus aut atomis, atque adeo sine relatione ad illas, clarum est formam dicere relationem essentialem & transcendentalem ad materiam scilicet ad atomos: At materia dicit tantùm relationem accidentalem ad formam; quia res quæ sunt materia scilicet atomi, possunt esse sine forma, scilicet sine unione aut figura, atque adeo sine relatione ad illam. 5. *Relatio formæ essentialis ad totum seu compositum, & relatio totius seu compositi ad formam*; quia cum forma & compositum se mutuò ponant & tollant, forma non potest esse sine composito, atque adeo sine relatione ad ipsum, & compositum nec esse nec concipi potest sine forma, atque adeo sine relatione ad ipsam. 6. *Relatio formæ ad effectum suum formalem* putà relatio sessionis ad sedentem est essentialis ob rationem suprà allatam; licet relatio effectus formalis ad formam, putà relatio sedentis ad sessionem sit accidentalis, quia is qui est sedens potest esse & concipi sine sessione. 7. *Relatio potentiæ vitalis ad actum vitalem saltem possibilem*; quia non potest concipi visus seu potentia visiva sine relatione ad visionem, licet possit esse sine visione actuali; & ob eandem rationem potentia vitalis, puta potentia visiva, dicit relationem essentialem & transcendentalem ad objectum, putà ad colorem saltem possibilem; licet objectum dicat tantùm relationem accidentalem ad actum, eò quòd res quæ est objectum possit existere & non percipi, dixi ad actum, nam relatio ut objecti ad potentiam est essentialis, putà visibile est essentialiter visibile, & dicit relationem essentialem ad visivum. 8. *Ob eandem rationem relatio actus ad potentiam & objectum est essentialis & transcendentalis*, putà relatio visionis ad visum & colorem. 9. *Relatio motus*, quia omnis motus dicit relationem essentialem ad terminos, scilicet terminum à quo & terminum ad quem, & ad subjectum, putà generatio dicit relationem essentialem ad non esse, id est ad privationem quæ est terminus à quo, ad esse id est ad formam quæ est terminus ad quem, & ad materiam quæ est subjectum; quia generatio sine illis aut sine relatione ad illa concipi non potest. 10. Ob eandem rationem *relatio habitus ad actum, & mediante actu ad objectum est essentialis*. 11. Ob eandem etiam rationem *relatio imaginis ad prototypum est essentialis*. Multæ aliæ relationes transcendentales afferri possunt, sed allatæ sufficiunt ad earum intelligentiam.

ARTI-

ARTICVLVS QVARTVS.

De distinctione Relationis à fundamento & termino.

13. De distinctione relationis à fundamento & termino, necnon de ejus identitate cum utroque simul, aut cum fundamento solo, hæc cognoscenda sunt. Primò, *relatio unitatis & multitudinis non distinguitur realiter intrinsecè à suo fundamento proximo*, scilicet *ab unitate & multitudine*; quia unitas & multitudo nihil aliud sunt, quàm convenientia & disconvenientia in aliquo; convenientia autem & disconvenientia in quantitate nihil aliud est quàm æqualitas & inæqualitas; in substantia est similitudo & dissimilitudo essentialis aut substantialis, quæ ab aliis vocantur identitas & diversitas; in qualitate vocatur specialiter similitudo & dissimilitudo; licet etiam in aliis prædicamentis sint: At æqualitas & inæqualitas, identitas & diversitas similitudo & dissimilitudo &c. sunt relationes: Ergo relatio non distinguitur à fundamento proximo. *Relatio unitatis & multitudinis non distinguitur à fundamento proximo.*

14. Secundò, *relatio unitatis & multitudinis non distinguitur realiter à fundamento & termino simul sumptis, ut probatur his argumentis. Primum argumentum sic procedit:* Relatio inæqualitatis, verbi gratiâ quæ est inter lineam pedalem & lineam bipedalem; non distinguitur realiter intrinsecè ab utraque linea simul: Nam linea pedalis & linea bipedalis per se seu per suas entitates præcisò quocunque alio sunt inæquales, atque adeò habent relationem inæqualitatis; siquidem linea bipedalis per suam entitatem excedit lineam pedalem, & plures partes actu & formaliter includit quam linea pedalis; linea verò pedalis per suam entitatem exceditur à bipedali, & pauciores partes actu & formaliter includit: Sed linea pedalis & linea bipedalis sunt inæquales per inæqualitatem seu per relationem inæqualitatis: Ergo inæqualitas seu relatio inæqualitatis nihil aliud est præter entitates lineæ pedalis & bipedalis, & per consequens talis relatio non distinguitur à lineâ pedali & bipedali, quæ sunt fundamentum & terminus ejusmodi relationis: Nec dicas lineam pedalem & lineam bipedalem esse inæquales fundamentaliter tantùm, non autem formaliter; fieri verò formaliter inæquales per relationem inæqualitatis supervenientem. Nam contra Dico, inæqualitatem formalem & fundamentalem hîc non differre: Eò quòd inæqualitas formalis nihil aliud sit quàm forma aut entitas includens actu plures aut pauciores partes quàm alia: Sed linea bipedalis per se seu per suam entitatem *Relatio unitatis & multitudinis non distinguitur à fundamento & termino simul.*

præciso quocunque alio habet talem formam, id est in sua entitate includit actu plures partes quàm linea pedalis: Ergo per se & sine ullo addito est inæqualis formaliter. Item, duæ lineæ pedales sunt æquales per seipsas, & non per aliud: Sed sunt æquales per æqualitatem aut relationem æqualitatis: Ergo æqualitas aut relatio æqualitatis non distinguitur à lineis pedalibus, atque adeo nec à fundamento & termino simul sumptis. Quod dictum est de relatione æqualitatis & inæqualitatis, dicendum est de relatione similitudinis & dissimilitudinis, scilicet talem relationem non distingui à fundamento & termino simul sumptis, ob eandem rationem: Nam Petrus & Paulus verbi gratiâ sunt similes per albedines in iis existentes sine ullo addito, cum similia dicantur ea quorum qualitas est una, ut ait Aristoteles, una scilicet unitate similitudinis & conformitatis, non autem unitate identitatis: Sed Petrus & Paulus sunt similes per similitudinem seu per relationem similitudinis: Ergo similitudo seu relatio similitudinis non distinguitur realiter ab albedinibus eorum, atque adeo non distinguitur à fundamento & termino simul sumptis. Confirmatur à pari hoc pacto: sicut quando Petrus existit, & postea coexistit Paulo, Petrus ante productionem Pauli habebat totum id quod ex parte sui requirebatur ad coexistendum, nec tamen formaliter coexistebat, quia coexistere dicit formaliter duas existentias simul; unde existentia Petri ante productionem Pauli denominabat Petrum existentem, non tamen coexistentem Paulo; at post productionem Pauli denominat Petrum coexistentem, non sola, sed simul cum existentia Pauli. Sic unus paries, verbi gratiâ ante dealbationem alterius parietis est albus, post dealbationem verò alterius parietis est coalbus; id est similis alteri parieti postea dealbato; adeo ut ante dealbationem posterioris parietis, prior paries haberet totum id quod requirebatur ex parte sui ut esset similis & quasi coalbus, non tamen ut esset similis formaliter quia esse simile formaliter dicit plures qualitates aut entitates ejusdem speciei; unde albedo prioris parietis ante dealbationem posterioris, denominat eum album: non tamen similem aut coalbum; post dealbationem verò denominat eum similem, non sola, sed simul cum alia. Item, album & nigrum sunt dissimilia per suas entitates, non autem per aliud: Sed album & nigrum sunt dissimilia per dissimilitudinem: Ergo dissimilitudo aut relatio dissimilitudinis, non distinguitur ab albo & nigro, atque adeo nec à fundamento & termino simul sumptis, & simul existentibus.

15. *Secundum argumentum est ejusmodi:* Relatio unitatis & multitudinis, vel est fundamentum solum, vel fundamentum & terminus simul, vel modus superveniens fundamento ex positione termini: Sed talis relatio, nec est fundamentum solum, nec est modus superveniens fundamento ex positione termini: Ergo talis relatio est fundamentum & terminus simul. Quòd relatio prædicamentalis, sive

sit

sit relatio unitatis & multitudinis, sive sit relatio actionis & passionis, non consistat in solo fundamento, probatur, quia ante productionem termini fundamentum totum plerùmque existit, & relatio non existit, verbi gratiâ existit unus paries albus, & tamen non existit similitudo, donec alter paries dealbetur, & existit homo cum potentia generandi, & tamen non existit paternitas, donec generetur filius.

Relatio prædicamentalis non est solum fundamentum.

16. *Respondent Adversarii* ante productionem termini existere totam relationem realiter in solo fundamento, non tamen formaliter, quia deest existentia termini tanquam conditio requisita ad hoc ut forma relativa, quæ anteà tota erat realiter, referat formaliter fundamentum ad terminum. Alii dicunt existere in fundamento totam relationem in esse entitatis, non tamen in esse denominationis.

Responsio Adversariorum.

17. *Contra hanc responsionem sic arguo:* Forma realis non potest esse in subjecto, quin ei tribuat suum effectum formalem, scilicet denominationem, verbi gratiâ albedo non potest esse in subjecto; quin denominet ipsum album: Effectus autem formalis relationis, est facere & denominare relatum, putà effectus formalis similitudinis est facere & denominare simile, & effectus formalis paternitatis est facere & denominare patrem. Et reverà denominatio similis, verbi gratiâ prout est aliquod totum intrinsecè completum in esse denominationis, vel dicit aliquid præter entitatem ejusmodi rei similis seu fundamenti, vel non; si hoc, idest si non dicat aliquid præter entitatem fundamenti, sequetur denominationem similis manere, ablato termino connotato, quod est falsum; vel si denominatio pereat, sequetur eidem rei convenire simul duo prædicata contradictoria, manebit enim eadem res in esse entitatis, & non in esse denominationis, cùm tamen denominatio, & entitas sint idem: Si illud, idest si dicat aliquid aliud intrinsecum præter entitatem fundamenti, cum illud aliud non possit esse nisi terminus connotatus, sequitur terminum esse partem intrinsecam relationis in esse denominationis, non autem purum connotatum extrinsecum: Plura de his vide apud Arriagam & Oviedum, qui in explicatione hujus argumenti excelluerunt: Ego enim breviter tantùm explico quæ exactè tractata sunt ab aliis.

Impugnatio Responsionis.

18. Quòd *relatio prædicamentalis non sit modus realis & positivus superveniens fundamento ex positione termini*, probatur primò, quia alioquin sequeretur relationem prædicamentalem posse tolli, à fundamento & termino actu existentibus: Cum enim duo realiter distinguuntur & unum est prius naturâ altero & independens ab ipso; potest Deus conservare quod est prius naturâ & independens, sublato aut non producto altero quod est posterius naturâ & dependens, fundamentum autem & terminus sunt naturâ priora relatione: Sed relatio prædicamentalis non potest tolli à fundamento & termino simul existentibus: Duobus enim albis verbi

Relatio prædicamentalis non est modus.

gratiâ existentibus, impossibile est ut non sint similia, & positâ ulnâ & semiulnâ impossibile est ut non sint inæquales: Ergo relatio prædicamentalis non est modus superveniens fundamento ex positione termini. Secundò, quia inde sequeretur ea quæ susciperent relationem propriè mutari: Reciperent enim aliquam entitatem realem modalem quam antea non habebant: Sed ea quæ suscipiunt relationem propriè non mutantur; alioquin sequeretur ad volatum unius muscæ totum mundum mutari: Res enim quælibet acquireret novam entitatem sibi intrinsecam, scilicet relationem distantiæ aut propinquitatis ad muscam, quod est absurdum. Tertiò, quia inde sequeretur dari infinitas relationes realiter distinctas in eadem re: Nam causa, verbi gratiâ quæ produceret relationem paternitatis, haberet relationem realem causæ ad ipsam tanquam ad effectum: Causa verò hujus secundæ relationis haberet aliam relationem causæ ad ipsam & sic in infinitum: At infinitum actu præter Deum esse impossibile demonstrabimus in physicis: Quibus addi potest nullam posse assignari causam productivam relationis distinctæ à fundamento & termino. Quartò, quia Deus habet in tempore relationes prædicamentales quas antea non habebat, putà relationes diversitatis dominii & causæ, cum sit diversus à creatura, & dominus atque causa illius: Sed Deus nullum habet modum realem intrinsecum de novo, cum sit immutabilis & simplicissimus: Ergo relatio non est modus superadditus fundamento.

Ad relationem non datur motus aut mutatio.

19. Cæterùm *in relationibus unitatis & multitudinis substantialis, substantia, fundamenta remota simul cum terminis, fundamenta proxima & relationes ipsæ non distinguuntur realiter*, verbi gratiâ in relatione unitatis quæ intercedit inter Petrum & Paulum ut homines, substantiæ scilicet Petrus & Paulus, fundamentum remotum & terminus simul scilicet humanitates eorum: Fundamentum proximum scilicet unitas humanitatum & relatio ejusmodi unitatis; ea inquam omnia sunt idem realiter: Nam humanitates sunt gradus essentiales Metaphysici respectu Petri & Pauli, atque adeo non distinguuntur realiter ab ipsis, ut probatum est dum de universali in communi: Unitas etiam humanitatum non distinguitur realiter ab humanitatibus, eò quòd talis unitas sit tantùm unitas similitudinis aut conformitatis, at similitudo humanitatum non distinguitur ab ipsis humanitatibus, cum humanitates per suas entitates sint similes, ut probatum est suprà. In relationibus autem causæ & effectus requiritur actio aut passio tanquam conditio seu ratio fundandi aut fundamentum proximum; verbi gratia paternitas nihil aliud est præter duos homines simul existentes, non tamen utcumque, sed inter quos præcessit generatio unius ab altero; dicitur tamen manere paternitas generatione transactâ; homo enim semper dicitur pater dum filius vivit, licet non semper generet, quia semper durat effectus primæ generationis,

tionis, & quicquid habet filius etiam si à mortuis revocetur, semper pendet à prima generatione: Quod si quis quærat an actio, putà generatio sit pars essentialis relationis, verbi gratiâ paternitatis: Respondendum est quæstionem hanc pertinere magis ad modum loquendi quàm ad rem ipsam; probabilius tamen est esse partem essentialem relationis, non autem conditionem extrinsecam tantùm, alioquin sequeretur relationem paternitatis essentialiter consistere in solis substantiis hominis generantis & hominis geniti, & cùm tales substantiæ potuissent esse saltem divinitùs quin una genuisset alteram, sequeretur totam essentiam paternitatis posse existere & concipi sine generatione, quod est absurdum: Ideo homo est pater & à sua humanitate & à generatione præcedente & à permanentia ipsius filii. *Generatio est pars essentialis paternitatis.*

20. *Objicies primò*, inde sequi transactâ generatione paternitatem & denominationem patris tunc non amplius esse, cum sublatâ parte tollatur totum, quod tamen est absurdum.

21. *Respondetur*, denominationem patris transactâ generatione esse partim physicam, quatenus requirit existentiam actualem aliquarum partium scilicet fundamenti remoti & termini, partim verò moralem, quatenus non requirit omnes suas partes actu existentes, scilicet generationem, quæ est fundamentum proximum; transactâ autem generatione proinde ab hominibus existimatur pater, ac si actu generaret filium, sicut Petrus, verbi gratiâ dicitur absolutè homicida ab homicidio anteà commisso. *Denominatio patris partim physica & partim moralis.*

22. *Objicies secundò*, generationem esse actionem & pertinere ad prædicamentum actionis, & per consequens non pertinere ad relationem tanquam partem essentialem illius.

23. *Respondetur*, prædicamenta non semper esse realiter intrinsecè diversa, & unam & eandem entitatem diversimodè conceptam, secundum connotata extrinseca diversa pertinere posse ad plura prædicamenta: Quare dicendum est generationem præcisè, vel prout est à generante, pertinere ad prædicamentum actionis: Generationem verò simul cum persona generante & persona genita pertinere ad prædicamentum relationis, tanquam partem essentialem illius. Cæterùm in ejusmodi relationibus causæ & effectus, fundamentum & terminus sunt ipsæ substantiæ agentes & patientes, verbi gratia fundamentum & terminus paternitatis aut filiationis sunt ipsæ substantiæ patris & filii prout affectæ extrinsecè generatione activa aut passiva: Alii volunt fundamentum & terminum hujusmodi relationum esse potentiam activam & passivam quæ cum sint proprietates substantiarum non distinguuntur ab illis. *Generatio pertinet ad actionem & ad relationem diversè modo.*

24. *Objicies tertiò*, si relatio prædicamentalis non distingueretur realiter à fundamento & termino simul sumptis, sequeretur hæc duo idem esse, scilicet Petrum esse similem Paulo, & Paulum esse similem

Petro in humanitate, cum utrumque dicat tantùm Petrum & Paulum ut homines: Item sequeretur paternitatem non distingui realiter ab homine generante, genito & generatione, & filiationem non distingui realiter ab homine genito, generante & generatione, unde ulteriùs sequetur paternitatem non distingui realiter à filiatione, & patrem esse formaliter patrem per filium; & filium per Patrem, atque adeo esse Patrem & esse filium idem esse realiter.

Petrum esse similem Paulo & Paulum esse similem Petro, sunt idem entitativè non ratione modi significandi.

Quomodo pater & filius sunt idem, & quomodo non?

25. *Respondetur*, Petrum esse similem Paulo, & Paulum esse similem Petro, esse idem realiter; quia similitudo utriusque easdem entitates & eosdem conceptus includit, non tamen esse idem in modo significandi: Nam Petrus est similis Paulo per humanitatem suam intrinsecè, & quasi in recto significatam, per humanitatem verò Pauli extrinsecè & in obliquo connotatam, tanquam partem tamen intrinsecam relationis similitudinis; è contra Paulus est similis Petro per humanitatem suam intrinsecè, & per humanitatem Petri extrinsecè tanquam partem tamen intrinsecam similitudinis: Idem accidit in paternitate & filiatione; nam quamvis esse patrem & esse filium materialiter distinguantur eò quòd ut sic sint duo homines realiter distincti, attamen formaliter & in abstracto, scilicet paternitas & filiatio sunt idem realiter, licèt distinguantur in modo significandi: Nam paternitas & filiatio nihil aliud sunt quàm duo homines coexistentes quorum unus alterum genuit, sed pater formaliter seu paternitas habet pro fundamento hominem generantem quem intrinsecè & in recto significat; pro termino verò habet hominem genitum quem extrinsecè & in obliquo significat tanquam partem tamen intrinsecam relationis paternitatis; filius formaliter seu filiatio è contra habet pro fundamento hominem genitum & pro termino hominem generantem.

26. *Objicies quartò*, accidens distinguitur realiter à substantia: Sed relatio est accidens, cum constituat prædicamentum diversum à substantia, fundamentum verò & terminus interdum sunt substantiæ, ut patet in humanitatibus Petri & Pauli, quæ sunt fundamentum & terminus relationis identitatis specificæ quæ est inter Petrum & Paulum: Ergo relatio distinguitur realiter à fundamento & termino.

Prædicamenta vulgata non distinguuntur semper realiter.

27. *Respondetur*, In exemplo allato, Relationem non esse accidens sed substantiam; quamvis autem relatio constituat prædicamentum diversum à substantia, non tamen distinguitur ab ipsa realiter, prædicamenta enim vulgata plerumque non distinguuntur realiter, ut suprà probatum est, & probabitur in physicis.

28. *Objicies quintò*, Denominatio relativa, putà denominatio patris, aut denominatio similis, est intrinseca rei, desumitur enim ab aliquo intrinseco, cum paternitas non sit extra hominem qui denominatur pater, & similitudo per quam verbi gratiâ unus paries albus deno-

denominatur formaliter similis alteri parieti albo, non est extra parietem album: Ergo relatio non includit formaliter terminum qui est extrinsecus rei relativæ.

29. *Respondetur*, Relatio includit denominationem partim intrinsecam & partim extrinsecam, Petrus enim albus est similis Paulo albo per suam albedinem quæ est ipsi Petro intrinseca, & per albedinem Pauli quæ est extrinseca Petro; idemque dicendum de denominatione patris. *Denominatio relativa est intrinseca & extrinseca.*

30. *Objicies sextò*, Duæ albedines minùs differunt inter se quàm à similitudine, quia albedines sunt in eodem prædicamento, albedo verò & similitudo in diversis, cum albedo sit in prædicamento qualitatis, similitudo verò in prædicamento Relationis; Sed duæ albedines differunt inter se realiter: Ergo multò magis duæ albedines differunt realiter à similitudine; cum autem duæ albedines sint fundamentum & terminus relationis similitudinis, quæ est inter duo alba; manifestum est relationem distingui à fundamento & termino simul.

31. *Respondetur*, Duæ albedines minus differunt inter se quàm à similitudine, distinguo, realiter & entitativè nego, formaliter seu concepta & secundum connotata extrinseca, concedo.

32. *Objicies septimò*, Relatio est ad aliud scilicet ad terminum, cum relatio sit accidens cujus totum esse, est esse ad aliud scilicet ad terminum: Ergo relatio non includit formaliter terminum.

33. *Respondetur*, Relatio transcendentalis est ad aliud, relatio verò prædicamentalis propriè non est ad aliud cum relatio nihil aliud sit præter duas res absolutas se mutuò connotantes sub denominatione aliqua accidentali, verbi gratiâ similitudo quæ est inter duos parietes albos non distinguitur à duabus albedinibus se mutuò connotantibus sub denominatione similis: Item paternitas & filiatio nihil aliud sunt præter duos homines coexistentes, quorum unus alterum genuit, & se mutuò connotantes sub denominationibus patris & filii, ideo propriè loquendo relatio non est unum per se nec constituit prædicamentum realiter diversum ab aliis. *Quanam relatio est ad aliud & quænam non.*

ARTICULUS QUINTUS.

De proprietatibus relationum.

34. PRoprietates relationis præcipuæ hæ sunt. Prima, *relatio unitatis & multitudinis reperitur in omnibus rebus*; nam omnia entia habent convenientiam in Entitate & disconvenientiam in certa specie Entitatis; hinc fit ut ipsa relatio possit fundare aliam *Relatio unitatis & multitudinis est omnibus rebus.*

relationem; sicut enim Petrus & Paulus, verbi gratiâ referuntur ad se invicem relatione mutua unitatis seu similitudinis essentialis, quatenus sunt homines similes, & sunt ejusdem naturæ aut essentiæ specificæ: Ita etiam duæ relationes, putà duæ paternitates mutuâ relatione unitatis seu similitudinis essentialis ad se invicem referuntur propter eandem rationem; & sicut Petrus & Bucephalus quatenus tales referuntur ad se invicem relatione multitudinis aut dissimilitudinis essentialis, quia sunt diversæ naturæ aut essentiæ specificæ; Ita etiam paternitas & similitudo referuntur ad se invicem relatione multitudinis aut dissimilitudinis essentialis propter eandem rationem.

Relatio prædicamentalis requirit terminum actu existentem.

35. Secunda, *relatio prædicamentalis requirit terminum actu existentem*; quia Relatio prædicamentalis includit ipsum terminum tanquam partem essentialem, ut suprà probatum est; totum autem essentiale actu existens requirit existentiam actualem suarum partium essentialium: Ejusmodi autem terminus est absolutus eò quòd relatio prædicamentalis, nihil aliud sit præter duas res absolutas se mutuò connotantes sub aliqua denominatione accidentali. At relatio transcendentalis non semper requirit terminum actu existentem, interdum enim sufficit ut terminus sit possibilis; sic scientia rosæ hyeme habet relationem transcendentalem ad rosam possibilem.

Fundamentum distinguitur realiter à termino.

36. Tertia, *in relatione prædicamentali fundamentum semper distinguitur realiter à termino*; quia inter fundamentum & terminum est oppositio realis scilicet oppositio relativa, quæ autē sunt realiter opposita sunt etiam realiter distincta: Deinde relatio est unius ad aliud, id est sumitur ab uno quod dicitur fundamentum & ab alio quod dicitur terminus; atque adeo terminus est aliud quid à fundamento. Vnde patet personas divinas non habere relationem in essentia; eò quòd in iis sit eadem essentia divina, atque adeo fundamentum & terminus non possint distingui: Item manifestum est Petrum & Paulum non habituros relationem unitatis seu convenientiæ in humanitate, si humanitas sit eadem realiter in ipsis, tunc enim fundamentum & terminus non distinguerentur realiter.

Relatio prædicamentalis specificatur & individuatur à fundamento & termino.

37. Quarta, *relatio prædicamentalis specificatur & individuatur à fundamento & termino saltem inadæquatè*, id est relatio desumit unitatem & distinctionem specificam & numericam, à fundamento & termino; atque adeo multiplicatis fundamentis, aut terminis, multiplicantur relationes saltem inadæquatè; & ratio est, quia relatio non distinguitur à fundamento & termino simul, & utrumque formaliter & actu includit, ut suprà: Quare multiplicatis filiis multiplicantur inadæquatè paternitates & maternitates: Dixi inadæquatè, quia existente solo fundamento existit tantùm una pars relationis, & ideo productione termini non producitur totaliter relatio, sed tantùm altera pars relationis quæ requirebatur ad denominationem relati-

relativam; Cæterùm licèt multæ sint paternitates inadæquatè, non tamen multi sunt patres; quia multiplicatio concretorum desumitur ex multiplicatione subjectorum seu eorum quæ dicuntur in recto, non autem ex multiplicatione formarum seu eorum quæ connotantur in obliquo.

Multiplicatio concretorum desumitur à multiplicatione subiectorum.

38. Quinta, *relata prædicamentalia sunt simul natura, definitione, & cognitione*, quia convertuntur & reciprocantur secundùm existentiam, eò quòd se mutuò ponant & tollant; posito enim vel sublato uno relatorum, ponitur aut tollitur alterum, putà posito vel sublato patre ponitur vel tollitur filius: Item unum relatum definitur & cognoscitur per alterum; patet enim dicitur qui habet filium filius verò dicitur qui habet patrem: Deniqué unum relatum non dependet ab altero formaliter, sed tantùm materialiter, putà filius dependet materialiter à patre quatenus est homo genitus; non autem formaliter quatenus est filius, quia ut sic constituitur per filiationem quæ includit in suo conceptu hominem generantem tanquam terminum & partem essentialem; quòd autem quidam dicunt, relata habere contraria, & suscipere magis & minùs, hoc tantùm verum est si fundamentum & terminus id habeant, quia relatio nihil aliud est præter fundamentum & terminum simul: Ergo eodem modo philosophandum est de relatione aut relatis ac de fundamento & termino.

Relata sunt simul natura, definitione & cognitione.

39. Sexta, *relatio transcendentalis specificatur & individuatur intrinsecè à solo fundamento, non autem à termino*, ratio autem disparitatis quæ hac in re intercedit inter relationem transcendentalem & prædicamentalem, petitur ex eò quòd relatio transcendentalis sit essentialis fundamento & realiter identificetur cum ipso; connotat verò duntaxat extrinsecè terminum quem formaliter non includit, ut patet in relatione Physicæ ad corpus naturale; at relatio prædicamentalis includit formaliter fundamentum & terminum simul, ut suprà. Hoc non est ita certum, ut aliquando Deo juvante probabo.

Relatio transcendentalis specificatur à solo fundamento.

40. Septima, *relativa transcendentalia aliquando sunt mutua*, ut patet in relatione quæ est inter materiam & formam; *aliquando verò non sunt mutua*, ut patet in relatione physicæ ad corpus naturale: Et in hoc differunt à relativis prædicamentalibus quæ semper sunt mutua; relativa autem transcendentalia non mutua terminantur ad absolutum, mutua verò ad relativum.

Relativa mutua & non mutua.

41. Octava, *in relationibus divinis terminus non est absolutus, sed relativus:* Nam in divinis pater æternus v.g. respicit filium, non autem divinitatem, siquidem pater respicit filium ut oppositum relativè & ut distinctum aut productum, Divinitas autem non est ratio per quam filius producitur, distinguitur & opponitur; id enim convenit filio formaliter per relationem à qua habet oppositionem relativam & distinctionem realem à patre. Hæc dicta sint juxta communem sententiam,

In relationibus divinis terminus est relativus.

R 4

Sublato fundamento non durat relatio

42. Nona, *in relationibus moralibus, imò & in omnibus relationibus ſublato fundamento non durat relatio*, verbi gratiâ relatio domini ad ſervum bello captum non manet ſervo vendito, quia perit fundamentum per venditionem, tunc enim haud habet Dominus poteſtatem eo ampliùs utendi pro libitu: Item perit relatio ducis ad militem militiâ abſolutâ, quia perit fundamentum; tunc enim dux non habet poteſtatem imperandi militi; an verò diſciplinâ confectâ maneat relatio præceptoris ad diſcipulum diſputari ſolet; Ad hoc reſpondeo diſtinctione, ſi enim diſcipulus aliquid didicit, tunc relatio manet, eò quòd fundamentum ſcilicet diſciplina maneat, ſi verò nihil didicit, vel ſi poſtquam didicit non retinet, perit relatio, quia perit fundamentum, ſublato autem fundamento tolluntur ejuſmodi relationes.

Plura de Relatione juxta meam ſententiam tradam Deo juvante diſputatione ſingulari de Relatione, ubi fusè agam de Relationibus Divinis.

FINIS METAPHYSICÆ.

PHYSICA CONTRACTA.

PROOEMIVM PHYSICÆ.

PHYSICA *eſt ſcientia de corpore naturali quatenus naturale eſt.* Scientia eſt genus: Tractans de corpore naturali vt naturali eſt differentia : Corpus naturale vt naturale eſt objectum : Cognitio talis corporis eſt actus : Et facilitas ipſum cognoſcendi eſt habitus.

2. *Corpus* diſtinguitur in *Phyſicum, Metaphyſicum*, & *Mathematicum*; & Phyſicum in completum & incompletum. *Corpus Phyſicum incompletum* eſt pars materialis viuentis ; & ſic homo dicitur conſtare corpore & anima. *Corpus Phyſicum completum* eſt compoſitum ex materia & forma ; & ſic omnia compoſita naturalia dicuntur corpora. *Corpus Mathematicum* eſt trina dimenſio, ſcilicet longitudo, latitudo, & profunditas ſimul. *Corpus* verò *Metaphyſicum* eſt corpus de prædicamento ſubſtantiæ, quod cum ſpiritu eam diuidit.

3. *Corpus* propriè eſt ſubſtantia impenetrabilis cum alio corpore: *Spiritus* verò eſt ſubſtantia penetrabilis cum qualibet alia re : *Penetrabilia* ſunt ea quæ poſſunt ſimul exiſtere in eodem loco, vt duo Angeli: *Impenetrabilia* verò quæ non poſſunt ſimul exiſtere in eodem loco, vt duo lapides.

4. *Corpus & materia identificantur :* quia corpus Mathematicum eſt quantitas, quàm non eſſe diſtinctam à materia probabitur infrà. Corpus Phyſicum incompletum eſt tantùm materia organiſata ; organiſatio au-

tem, cum sit accidens, non est aliquid corporis: Corpus Physicum completum est tantùm corpus ratione materiæ, eò quòd omnes formæ sint accidentia: Denique corpus Metaphysicum vel est sola materia, vel est idem cum corpore Physico completo.

5. *Corpus naturale* iucundum aliquos est compositum ex materia & forma: Secundum alios est illud quod habet in se principium motus & quietis sensibilis tam actiuum, quàm passiuum; idest quod est sensibiliter mouens aut mobile, vel quiescibile.

6. *Quatenus naturale* ponitur in definitione Physicæ, vt distinguatur Physica ab alijs disciplinis, quæ agunt de corpore, sed alio modo, putà quatenus est mensurabile, vt Geometria.

7. Præpositio *de* in definitione Physicæ, notat relationem transcendentalem Physicæ ad corpus naturale.

8. *Physica est scientia*; quia demonstrat de suo objecto necessario, proprietates necessarias per rationes necessarias & euidentes, putà quòd ignis sit calidus, quia vrit; quòd mixta sint corruptibilia, quia constant qualitatibus contrarijs &c. Licet autem in concreto seu in nobis sit imperfecta, & maxima ex parte incerta & ineuidens: Attamen in se & in abstracto est perfecta certa & euidens. Et licet objectum ejus non sit necessarium quoad existentiam, est tamen necessarium quoad causam.

9. Physica diuiditur in partem communem, quę agit de Corpore naturali in communi, scilicet de principijs, causis & proprietatibus corporis naturalis in communi; & partem propriam, quæ agit de corporibus naturalibus in particulari, scilicet de cælis, elementis, & mixtis tam animatis quàm inanimatis.

PRIMA.

PRIMA PARS PHYSICÆ.

DE CORPORE NATVRALI IN COMMVNI.

Hæc prima pars diuiditur in nouem capita. Primo, agitur de Principiis & Causis Physicis in communi. Secundo, de Materia & Forma vulgò. Tertio, de Materia & Forma secundum nos. Quartò, de Efficiente, Fine &c. Quinto, de Quantitate. Sexto, de Loco. Septimo, de Vacuo. Octauo, de Tempore. Nono, de Motu & Actione.

CAPVT PRIMVM.

De Principiis & causis Physicis in communi.

1. PRINCIPIVM sumitur quinque modis 1. Pro initio 2. Pro prima causa 3. Pro qualibet causa 4. Pro axiomate 5. Propriè pro primo vnde aliquid procedit.

2. Duobus modis aliquid dicitur primum, scilicet positiuè & negatiuè. *Primum positiuè* dicitur quod habet aliud respectu cujus dicitur primum, vt Rex respectu subditi, principium respectu principiati &c. *Primum negatiuè* est quod non habet aliud prius, siue habeat posterius, siue non. At primum negatiuè tantùm dicitur illud quod nec habet prius, nec posterius, & sic Christus dicitur primogenitus Mariæ.

3. *Processio non rectè explicatur per connexionem.* 1. Quia circunstantiæ loci & temporis, necnon conditiones, habent connexionem cum rebus & actionibus; & tamen non sunt earum principia. Processio etiam non rectè explicatur per ingressum definitionis: Quia quod ingreditur definitionem alterius, non semper est principium ejus, putà vita respectu mortis, visus respectu cæcitatis, filius respectu patris, forma respectu materiæ, actus respectu potentiæ &c. *Procedere* igitur rectè explicatur, per trahere originem suam, aut accipere suum esse ab alio.

4. Principium duplex est, scilicet *principium rei*, quod facit vt res existat, vt Deus respectu mundi; & *principium cognitionis*, quod facit vt res cognoscatur, vt cognitio creationis mundi respectu cognitionis Dei.

5. *Principia Physica* sunt ea ex quibus omnia composita naturalia oriuntur. *Duo autem tantùm sunt principia generationis*, scilicet *materia & efficiens*: Generatio enim est ab efficiente tanquam influxus ejus; est verò à materia tanquam a subjecto eam sustentante.

6. *Forma & priuatio non sunt principia generationis:* Quia generatio non procedit à forma, sed potiùs forma à generatione, cujus est effectus ejus: Et generatio est ens positivum, quod ab ente non positiuo, qualis est priuatio, procedere non potest.

7. *Duo sunt principia Physica compositionis*, scilicet *materia & forma* quod probatur experientiâ: Nam quando ex semine verbi gratiâ generatur animal, vel animal accipit aliquid ex semine, vel nihil: Si hoc, non erit major ratio cur dicatur fieri ex semine quàm ex lapide & non dicetur propriè generari, sed creari: Si illud, vel accipit totam suam entitatem aut essentiam ex semine, vel partem tantùm: Si totam, sequetur totam entitatem & essentiam animalis fuisse anteà in semine, atque adeo animal non produci de nouo, quod est absurdum: Si partem tantùm, sequetur alteram partem produci de nouo; sicque duas esse partes aut principia animalis; vnam quam accipit ex semine, quæ dicitur materia; & alteram quæ producitur de nouo, diciturque forma.

8. Licet materia hominis perpetuò dilabatur per calorem humidum depascentem; atque adeo Physicè & realiter non maneat idem numero adæquatè; moraliter tamen & æquiualenter manet idem numero, quia partes aduentitiæ sunt ejusdem speciei cum deperditis, & differentia notabilis non percipitur, sed idem semper existimatur: Sicque materia est semper pars essentialis, si non in sensu disiunctiuo, saltem in sensu disiuncto. Adde quòd manent semper aliquæ partes radicales vsque ad finem vitæ. Et licet materia possit pertinere ad plures quoad partes aliquas radicales, vt patet in anthropophagis: Attamen resurgent singuli cum eadem materia quam habuerunt, non tamen cum omni.

9. *Causa in actu primo* est principium influxiuum, idest potens influere: *Causa* verò *in actu secundo* est principium influens. *Causalitas in actu primo* est virtus causandi, seu id quo causa redditur potens ad causandum

dum, vt calor in igne: *Causalitas* verò *in actu secundo* est causatio, seu id quo causa est actu causans vt calefactio.

10. *Causa vulgò quadruplex*, scilicet materia, forma, efficiens, & finis: *Secundum nos est tantum duplex*, scilicet materia & efficiens; quia materia & efficiens duntaxat sunt veræ causæ compositi, influendo in vnionem; efficiens quidem eam producendo, materia verò eam sustentando.

11. *Forma non est causa compositi*, quia non influit in compositum, siue totaliter, siue partialiter: Non totaliter, alioquin esse causa omnium partium entitatis compositi, atque adeo esset causa materiæ, quod est absurdum, imò esset causa sui ipsius, quod est impossibile: Non etiam partialiter; quia vel influeret in partem materialem, & sic esset causa materiæ; vel in partem formalem, & sic esset causa sui ipsius, quæ omnia sunt absurda. Forma potest quidem dici causa actionum non vt forma, sed vt causa efficiens.

12. *Finis non est causa Physica*: Quia sæpe non est, quod autem non est non potest Physicè seu realiter influere: Finis igitur potest tantùm esse causa moralis, quatenus mouet & impellit agens ad operandum propter finem.

12. *Causa* etiam duplex est, scilicet interna & externa. *Interna* est ea quæ constituit essentiam rei, & est pars essentialis ejus, estque vulgo duplex, scilicet materia & forma. *Externa* est extra essentiam rei, estque vulgò duplex, scilicet efficiens & finis.

13. *Causa per se* est à qua vt tali procedit effectus, vt architectus respectu domus: *Causa* vero *per accidens est* à qua non vt tali procedit effectus, vt musicus qui est architectus respectu domus. Verùm *causa per accidens non est propriè causa*, cum non influat, & licet non esset, effectus non desineret esse.

14. *Causæ Physicæ sunt sibi inuicem causæ secundum causalitatem*, eò quòd vna non possit causare sine altera; *non autem secundum existentiam*; eò quòd non dent sibi inuicem existentiam.

15. *Causa est prior causato* ordine, origine, ratione, naturâ, dignitate, & ordinariè tempore. *Ordine* quidem, quia priùs agitur de causa quàm de causato, atque adeo prior collocatur & numeratur. *Origine*, quia à causa procedit & accipit esse causatum. *Ratione*, quia causa concipi debet tanquam prior. *Naturâ*, quia causa est independens à causato; causatum vero dependet à causa. *Dignitate*, quia materia & causa efficiens secunda sunt nobiliores suis effectibus, qui sunt semper accidentia, cùm creatura non possit causare substantiam, vt infrà. Causam verò primam esse nobiliorem causato manifestum est. *Tempore*, quia causa efficiens priùs existit quàm agat, & operari sequitur esse: Materia verò priùs existit quàm vnio, præterquam in prima creatione.

16. *Causa vt causet debet existere*; Quia quod non existit non ha-

bet esse, & quod non habet esse non potest dare esse; cum non entis nullæ effectiones, putà leo mortuus non mordet; cujus axiomatis limitatio tradita est in Metaphysicis.

17. *Qualis causa talis effectus*; quod intelligendum de bonitate & malitia, siue naturali, siue artificiali, siue morali; juxta illud arbor bona bonos, & mala malos fructus producit: Idque in causis per se, particularibus & totalibus; non autem in causis per accidens, vniuersalibus & partialibus.

18. *Quod est causa causæ est etiam causa causati*; ideft quod est causa causæ vt causæ seu vt causantis causatum, est etiam causa causati; quod verò est causa causæ vt entis, seu vt existentis tantùm non est causa causati: vel clariùs hoc pacto; quod facit vt causa causet est causa causati; quòd verò facit tantùm vt causa existat, non est causa causa causati; & sic Deus qui est causa hominis vt entis tantùm, non autem vt causantis peccatum, non est causa peccati.

19. *Primum in vnoquoque genere est causa cæterorum*: Quod intelligitur de primo in aliquo genere causalitatis, vt Deus qui est prima causa efficiens, est causa cæterorum efficientium; non autem de primo in aliquo genere entis; cum homo qui est primum & nobilissimum animal, non sit causa cæterorum animalium. De primo autem in aliquo genere entis traditur hoc axioma; *primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum*, ideft primum & nobilissimum in aliquo genere entis, est mensura perfectionis reliquorum ejusdem generis, quatenus scilicet reliqua sunt perfectiora quo magis accedunt ad primum.

20. *Nihil est causa sui ipsius*; quia causa influit esse in aliud, & causa vt causa debet existere; si autem existat non potest sibi dare existentiam: Quod enim habet esse, nec à se nec ab alio potest recipere esse: Inde fit vt Christus quatenus homo, quo solo modo secundum Pontificios est sacerdos, non producat se ipsum in Euchatistia.

20. *Posita causa ponitur effectus*, si causa sit in actu secundo; in actu verò primo, si sit totalis, non libera, sed necessaria, & ponantur omnia requisita tollantùtque impedimenta.

21. *Posito effectu ponitur causa, pro aliquo tempore, non autem pro omni*; cum possit existere domus sublato architecto.

22. *Sublata causa pro omni tempore tollitur effectus*: Et *sublato effectu tollitur causa in actu secundo, non semper in actu primo.*

CAPVT.

CAPVT PRIMVM.

De Materia & Forma vulgò.

1. M*Ateria* est id ex quo aliquid fit aut componitur, vt lignum respectu mensæ.

2. Particula *ex* sumitur quatuor modis. Primò, provt denotat materiam tantùm. Secundò, provt denotat quamlibet partem componentem, scilicet materiam & formam ex quibus fit compositum. Tertiò, provt denotat causam efficientem, vt cùm Christus dicebat Iudæis, ex patre Diabolo estis. Quartò, provt denotat terminum à quo, vt cum ex priuatione dicitur fieri forma, & ex calido fieri frigidum.

3. Particula *ex* provt denotat materiam tantùm sumitur duobus modis. 1. Provt denotat materiam sumptam pro re corporea ex qua aliquid fit. 2. Latè provt denotat id omne ex quo aliquid fit, siue sit corporeum, siue incorporeum & sic anima rationalis non minùs quàm corpus dici potest materia hominis.

4. *Materia in genere* triplex est; scilicet *Artificialis*, ex qua fit artefactum; *Metaphysica*, quæ est genus, ex quo cum differentia quæ est forma Metaphysica fit species; & *Physica* ex qua fit compositum naturale.

5. *Materia Physica* duplex est, scilicet *materia compositionis* seu *permanens*, ex qua manente fit compositum, vt corpus humanum respectu hominis, & *materia generationis* seu *transiens*, ex qua pereunte fit compositum, vt semen respectu animalis.

6. *Materia* dicitur *ex qua* respectu compositi, *in qua* respectu formæ, & *circa quàm* respectu agentis.

7. *Materia prima* est subjectum primum compositionis & vltimum resolutionis compositorum naturalium, idest id ex quo primò fiunt omnia composita naturalia, & in quod vltimò resoluuntur. *Materia autem prima & secunda sunt eadem materia*, quæ provt est aut consideratur sine formis & dispositionibus, dicitur prima; cum illis verò dicitur secunda.

8. *Datur materia prima*; quia datur materia, quæ vel supponit aliam priorem, vel non: Si hoc, erit materia prima: Si illud, quæro de materia illa priori, an præsupponat aliam priorem, vel non; Si hoc erit prima; Si illud, vel rursus præsupponit aliam priorem, vel non; & sic vel dandus progressus in infinitum, vel sistendum in aliqua materia prima.

9. *Materia prima non habet existentiam à forma:* Quia materia & forma producuntur per diuersas specie actiones, materia scilicet per creationem, forma verò per eductionem aut generationem: Item, agens naturale quod daret existentiam formæ daret existentiam materiæ; & forma per-

eunte periret materia; & sic materia prima esset generabilis & corruptibilis, quod est absurdum.

10. *Causa efficiens materiæ primæ* est Deus qui eam creauit; *Finis*, verò & *causalitas* ejus in actu secundo, est receptio aut sustentatio formæ, & constitutio compositi.

11. *Materia non habet formam sibi semper coæuam*, quæ dicitur forma corporeitatis; Quia materia sufficit ad constitutionem corporis: Et talis forma non fungitur officio formæ; eò quòd non restringat materiam ad certum compositum, sed eam relinquat in potentia vniuersali recipiendi omnes formas

12. *Materia prima* duobus modis potest considerari, scilicet *absolutè & secundum se*, id est secundum prædicata absoluta & essentialia, qualia sunt esse ens, esse substantiam &c. & *comparatè seu relatiuè* ad composita naturalia, quatenus scilicet est principium & causa eorum.

13. *Materia habet potentiam passiuam Physicam seu capacitatem recipiendi actus Physicos seu formas.* Duplex autem ejusmodi *potentia*; vna *vniuersalis & indifferens* ad omnes formas, quæ conuenit materiæ primæ; altera verò *particularis*, quæ conuenit materiæ secundæ jam dispositæ ad vnam potiùs quàm ad aliam formam. *Potentia naturalis* est juxta inclinationem rei, seu est exigentia rei; *violenta* est contra inclinationem rei: *Neutra* est indifferens, id est neque conueniens neque disconueniens aut repugnans rei: *Obedientialis* verò conuenit rei diuinitùs tantùm.

14. *Impossibilis receptio formarum præteritarum est extrinseca naturaliter*, id est se tenet ex parte agentis naturalis, quod non potest formam præteritam introducere in materiam: Non autem est extrinseca materiæ, cum materia sit æque capax formarum præteritarum ac reliquarum. Et licet materia non sit in potentia ad formas præsentes, semper tamen retinet potentiam ad eas, eò quòd actus supponat potentiam, putà actus ridendi supponit potentiam ridendi.

15. *Materia appetit formas*, non appetitu elicito, quia caret cognitione, sed appetitu naturali juxta ordinem naturæ: Appetit omnes formas æqualiter appetitu vniuersali provt prima; inæqualiter verò appetitu particulari provt secunda: Appetit omnes non conjunctim, sed disjunctim: Appetit absentes appetitu concupiscentiæ seu desiderij, & hypotheticè, si scilicet tollantur præsentes; appetit verò præsentes appetitu complacentiæ & absolutè.

16. *Materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis*: Quia quod generatur & corrumpitur, ex priori subjecto generatur, & in illud resoluitur: At materia prima cum sit subjectum primum non est ejusmodi.

17. *Materia prima est cognoscibilis per transmutationem*, cum in omni transmutatione maneat: Est etiam cognoscibilis per analogiam ad massam ceream hoc pacto: Sicut massa cerea est similis in omnibus suis partibus:

bus: Ita materia prima est similis in omnibus partibus mundi: Sicut massa cerea potest indifferenter recipere quaslibet figuras artificiales, putà figuram bouis, asini &c. Ita materia prima potest indifferenter recipere quaslibet formas naturales: Sicut bos figuratus, asinus figuratus &c. non differunt ratione materiæ quæ est cera, sed differunt tantùm ratione figuræ; ita composita naturalia, putà bos naturalis, asinus naturalis &c. non differunt ratione materiæ quæ est similis in illis, sed tantùm ratione formæ: Tandem sicut in omnibus transfigurationibus manet eadem massa cerea; ita in omnibus transmutationibus naturalibus manet eadem materia prima.

18. *Materia non dependet à forma dependentia à priori*, cum materia sit prior ipsa: Nec dependet essentialiter à forma tanquam à posteriori aut concomitante, cum possit existere sine ea; sed dependet ab ea secundum quid, scilicet vt constituat compositum, cum non possit constituere compositum sine forma.

19. *Sublatâ materiâ absolutè tollitur compositum*; cum sit pars essentialis ejus: At positâ materiâ secundum entitatem non ponitur compositum, sed tantùm si ponatur secundum causalitatem.

20. *Forma essentialis existit*: Quia datur generatio essentialis, quæ non est nisi formæ essentialis, cum materia prima sit ingenerabilis & incorruptibilis: Et nisi daretur forma essentialis, composita naturalia non differrent specie, cum conueniant in materia.

21. *Forma essentialis est actus materiæ & compositi*; materiæ quidem, quia determinat materiam ad certum compositum; compositi verò, quia facit vt compositum sit actu tale.

22. *Causa efficiens formæ* ordinariè est aliquod agens naturale: *Finis* formæ, & ejus causalitas, est informare materiam, & cum ea constituere compositum. Forma etiam habet *materiam* ex qua educitur.

23 *Formæ omnes producuntur per eductionem ex potentia materiæ*, præter animam rationalem si sit forma hominis, quæ producitur à Deo per creationem: *Educi* autem *ex potentia materiæ*, est produci dependenter à materia tanquam à subjecto sustentante.

24. *Forma dat esse rei partiale, specificum, & determinatum*. Cognoscitur forma, si positâ vel sublatâ ponatur vel tollatur compositum. Denique effectus formæ est denominare subjectum aut compositum.

CAPVT TERTIVM.

De Materia & forma secundum nos.

1. VAriæ sunt Philosophorum sententiæ de materia prima & forma. Prima est *Anaxagoræ* qui existimauit omnia corpora esse com-

posita ex homoeomeriis, ideſt ex partibus ſimiliaribus minutiſſimis tanquam ex materia prima, putà ex partibus ſimilibus minutiſſimis oſſeis fieri os: Vnionem verò homoeomeriarum eſſe formam compoſitorum naturalium exiſtimauit. Verùm *homoeomeria non ſunt materia prima, & vnio earum non eſt forma*: Quia homoeomeriæ ſunt mixtæ, generabiles, & corruptibiles, ac reſolubiles in principia chymica, aut in elementa, vt patet experientia: At materia prima eſt ingenerabilis, incorruptibilis & irreſolubilis.

2. Secunda ſententia de materia prima & forma, eſt *Chymicorum*, qui exiſtimāt principia prima materialia eſſe Sal, Sulphur, & Mercurium, quibus etiam addunt phlegma & caput mortuum, quæ ſunt inutilia: Nam Chymici ex herba, verbi gratiâ beneficio caloris ignei extrahunt primò phlegma, quod eſt liquor quidam inſipidus: Deinde, beneficio caloris multò validioris extrahunt Mercurium, qui eſt liquor acidus, frigidiſſimus & grauiſſimus: Poſteà beneficio caloris multò adhuc validioris extrahunt Sulphur ſeu oleum, quod eſt liquor calidus, inflammabilis, & omnium quæ ſunt in mixto leuiſſimus: At tandem beneficio alicujus humidi aut aquei, ex cineribus qui ſupererant, ſeparant Sal à capite mortuo aut terrâ damnatâ. Sicut autem ſecundum Anaxagoram homoeomeriæ ſunt ſpecie diuerſæ; & ideo tot ſunt materiæ primæ ſecundum eum, quot ſunt ſpecies corporum: Ita Mercurius, Sal, & Sulphur, non tantùm inter ſe ſunt ſpecie diuerſa, ſed etiam in omnibus ſpeciebus mixtorum perfectorum differunt ſpecie, & ideo non tantùm ſunt tres generales materiæ primæ; ſed etiam tot ſunt materiæ primæ ſpecie diuerſæ, quot ſunt ſpecies mixtorum perfectorum. Forma verò eſt vnio ejuſmodi principiorum Chymicorum.

3. *Principia Chymica non ſunt materia prima*: Quia ſunt mixta reſolubilia in elementa, aut atomos: Nam oleum ſeu Sulphur Chymicum eſt inflammabile, & ideo in ignem reſolubile, continens in ſe plures partes igneas & calorificas, quæ ne ſurſum auolent, retinentur ab aliis partibus, ſiue aqueis, ſiue terreis quæ ſunt frigorificæ; & per conſequens tale Sulphur conſtat partibus calorificis & frigorificis; & ideo non eſt ſimplex, ſed mixtum & reſolubile in elementa aut alia corpora. Idem dicendum de ſale, quod eſt quid terreum ob grauitatem & craſſitiem, & quid igneum ob acrimoniam.

4. Tertia ſententia de materia prima & forma, eſt *Empedoclis*, qui exiſtimauit elementa, ſcilicet ignem, aërem, aquam, & terram eſſe materiam primam; & vnionem harmonicam elementorum, eſſe formam eſſentialem omnium mixtorum: Et ideo exiſtimauit quatuor eſſe materias primas inter ſe ſpecie diuerſas, non tamen in mixtis; cum elementa quæ ſunt in vno mixto non differant ſpecie à quatuor elementis quæ ſunt in alio. Hæc opinio probabiliter defendi poteſt, & ſupradictis præferenda eſt, contra eam tamen hæc poſſunt objici.

5. Ele-

5. *Elementa non sunt materia prima:* Quia materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis: At elementa generantur & corrunpuntur, resoluuntur & conuertuntur in alia: Nam aqua conuersa est in vinum à Christo *Ioan.*2. Et aquæ Nili conuersæ sunt in sanguinem *Exod.*7. Deinde flamma aut ignis resoluitur in aërem, aër inflammatur & fit ignis &c. Præterea, sicut ex quatuor literis non possunt fieri nisi 24. vocabula; ita ex quatuor elementis non videntur fieri posse nisi quædam species mixtorum, non autem omnes.

6. Verùm ad hæc responderi posset, primò aquam mutatam esse in vinum, detractis aquæ particulis superfluis, & additis partibus ex aliis Elementis quæ erant necessariæ ad constitutionem vini; idemque dicendum proportionaliter, de conuersione aquarum in sanguinem. Responderi posset secundò, flammam aut ignem non resolui in aërem, sed igniculos flammæ dispergi per aërem, & non ampliùs apparere, non tamen extingui, idest perire. Responderi posset tertiò, aërem inflammatum æstate non fieri ignem; sed in tali aëre esse innumeros igniculos, qui conjunguntur & inter se & cum partibus aëris & sic junctos apparere in formam flammæ. Responderi posset quartò, diuersas vniones elementorum, & diuersas species mixtorum, esse posse ferè innumeras; quia eorum mixtio non tantùm est secundum substantias diuersas, sed secundum majorem aut minorem quantitatem eorum; adeo vt in vna specie sit plùs aut minùs ignis, in alia sit plùs aut minùs aquæ &c. proportiones autem illas esse innumeras: Adde quòd possent poni multò plura elementa; reduci tamen ad quatuor tantùm, quia alia accedunt plùs aut minùs ad eorum naturam.

7. Quarta sententia est *Aristoteleorum* seu Peripateticorum, qui existimant materiam primam esse innominatam, substantiam incompletam, merè passiuam, quæ non potest existere sine forma, & quæ in transmutatione transit ab vna forma substantiali ad aliam formam substantialem: In quo differunt à cæteris qui ponunt materiam primam nominatam, putà atomos, elementa, homoeomerias, &c. qui volunt eam esse substantiam completam, actiuam & passiuam quæ potest existere sine forma, & quæ in transmutatione transit ab vna forma essentiali non substantiali ad aliam.

8. Vt explicetur sententia Aristoteleorum, dicendum est primò quatuor esse consideranda in quolibet composito naturali secundum eos, scilicet materiam, quantitatem quæ sequitur materiam, formam substantialem, & qualitates quæ sequuntur formam. At secundum nos & alios, duo tantùm sunt distinguenda, scilicet materia & forma essentialis non substantialis: Quantitas enim identificatur cum materia, & qualitates identificantur cum materia, aut forma, aut composito.

9. Dicendum est secundò, alterationem secundum Aristoteleos fieri per introductionem qualitatum contrariarum qualitatibus cõpositi alterãdi,

putà aqua alteratur ab igne per introductionem aut productionem caloris contrarij frigori aquæ: Factâ autem alteratione, & materiâ sic vltimò dispositâ ad formam recipiendam, fit generatio substantialis per productionem & introductionem formæ substantialis, expellentis à materia aliam formam substantialem, puta fit generatio ignis ex ligno, per introductionem formæ substantialis ignis expellentis a materia formam substantialem ligni. At secundum nos & alios, alteratio fit, quando manente eodem compositio essentiali introducuntur in ipsum substantiæ quædam subtiles, vel expelluntur ab ipso, putà alteratur & calefit manus, quando substantiæ quædam subtiles igneæ introducuntur in ipsam; & rosa alteratur, quando substantiæ quædam subtiles odorificæ prodeunt ex ipsa: Generatio verò fit per productionem aut introductionem formæ essentialis ordinariè expellentis aliam formam essentialem non substantialem; sicque destruitur vnum compositum & producitur ac generatur aliud.

10. Forma dicitur ab Aristoteleis esse quædam substantia subtilis, penetrans materiam, quæ est causa omnium actionū compositi, juxta illud, formæ est agere, materiæ verò pati. At secundum nos & alios, forma consistit in vnione partium materialium, putà atomorum aut elementorum &c. quibus alij addunt certum motum & situm ejusmodi partium.

11. Materia & forma Aristoteleorum sic refutatur. Si nullæ dentur formæ substantiales nulla datur materia aut forma Aristoteleorum, cum secundum eos forma sit substantialis, & in transmutationibus materia transeat ab vna forma substantiali ad aliam. Sed nullæ dantur formæ substantiales, idest quæ sint substantiæ, quod sic probatur. Omnis substantia est Ens per se subsistens: Sed nullæ dantur formæ quæ sint per se subsistentes, quod sic probatur. Quidquid per se subsistit existit independenter à subjecto. Sed nullæ formæ existunt independenter à subjecto, quod sic probatur. Quod existit independenter à subjecto, fit etiam independenter ab illo; sicut enim res se habet in esse, sic se habet in fieri, quia cùm fit incipit esse: Sed nullæ formæ fiunt independenter à subjecto, quod sic probatur. Quod fit independenter à subjecto creatur, cum creatio definiatur productio rei independenter à subjecto: Sed nullæ formæ creantur, sed educuntur de potentia materiæ, idest producuntur dependenter à materia, cum dependeant ab ea in esse, in fieri, & in conseruari; & si crearentur, solus Deus eas posset producere.

12. Respondent Aduersarij, formas essentiales esse in subjecto informationis, & dependere ab ejusmodi subjecto: Accidentia verò esse in subjecto inhæsionis, & dependere à tali subjecto.

13. Hæc responsio sic impugnatur: Subjectum informationis & subjectum inhæsionis non differunt, quod sic probatur. Si forma informans & forma inhærens non differant, etiam subjectum informationis & subjectum inhæsionis non differunt: Sed forma informans & forma inhærens non differunt; eò quòd forma informans non minùs quam inhærens inhæreat, idest dependeat à subjecto in esse in fieri & in conseruari, exceptâ ani-

animà rationali si sit forma hominis, quod nos non existimamus.

14. Respondent Aduersarij, formam informantem & formam inhærentem dependere quidem à subjecto, scilicet à materia in esse, in fieri, & in conseruari; sed cum hac differentia, quòd ex forma informante & materia aut subjecto fiat ens per se completum; ex forma verò inhærente & subjecto fiat ens per accidens duntaxat: Item forma informans adueniat enti incompleto scilicet materiæ, forma verò inhærens seu accidens adueniat enti completo, quod autem aduenit enti completo ens per accidens constituit: Denique forma informans est pars essentialis compositi, non autem forma inhærens seu accidens.

15. Hæc responsio sic impugnatur 1. ex vnione corporis & animæ fit ens per se completum, putà homo, & tamen vnio est accidens. 2. Secundum Aduersarios quantitas est accidens adueniens enti incompleto scilicet materiæ. 3. Vna gutta aquæ aduenit alteri guttæ aquæ completæ, & tamen cum ea nón facit ens per accidens. 4. Vnio est pars essentialis compositi, & tamen vnio est accidens. 5. Denique sicut forma informans non est pars essentialis subjecti scilicet materiæ, sed compositi, ita forma inhærens seu accidens putà sessio, non est pars essentialis subjecti, putà hominis, sed est pars essentialis compositi, scilicet sedentis.

16. Rursus *nullas dari formas substantiales* sic probatur. Generatio compositi est solius formæ, cum materia prima sit ingenerabilis & incorruptibilis: Sed non datur generatio substantiæ: Ergo forma non est substantia, atque adeo non est substantialis. Minor sic probatur: Nulla datur generatio aut transmutatio substantialis: Ergo nulla datur generatio substantiæ. Antecedens sic probatur: Si daretur transmutatio substantialis; vel elementa transmutarentur substantialiter in se inuicem, vel elementa in mixta, vel mixta in elementa. Sed nullum horum dici potest: Ergo nulla datur transmutatio substantialis.

17. *Elementa non transmutantur substantialiter in se inuicem*: Quia ignis non transmutatur substantialiter in aërem, aquam, aut terram: Idemque dicendum de cæteris elementis. Id autem si probatur ad hominem. Ad hoc vt ignis transmutetur substantialiter in aërem, aquam, aut terram, oportet secundum Aristoteleos vt priùs alteretur: Sed ignis non potest alterari, quod sic probatur. Ad hoc vt ignis alteretur oportet vt recipiat qualitates contrarias suis: Sed ignis non potest recipere qualitates contrarias suis, quod sic probatur. Qualitates ignis sunt calor & siccitas, & qualitates contrariæ sunt frigus & humiditas: Sed ignis non potest recipere frigus & humiditatem; alioquin ignis manens ignis (manet autem per totum tempus alterationis) esset frigidus & humidus, quod est impossibile, cum ignis definiatur elementum calidum & siccum, definitio autem conueniat omni, soli & semper definito.

18. Respondent Aduersarij ignem & cætera elementa duobus modis considerari; scilicet in statu perfecto, quando non oppugnatur à contra-

rio; & in statu imperfecto quando oppugnatur à contrario, priori modo ignis est tantùm calidus & siccus; posteriori verò est frigidus & humidus.

19. Hæc responsio sic impugnatur: Ignis in quocúnque statu est semper essentialiter & substantialiter perfectus: Quia essentiæ consistunt in indiuisibili,& essentiæ atq; substantiæ non suscipiunt magis & minùs: Ergo si ignis in statu imperfecto esset frigidus & humidus,sequeretur ignem manentem ignem essentialiter & substantialiter perfectum esse frigidum & humidum, quod est absurdum.

20. Respondent Aduersarij, non esse absurdum vt ignis in tali casu sit frigidus & humidus in gradu remisso, licet absurdum esset in gradu intenso.

21. Hæc responsio sic impugnatur: Si ignis sit magis frigidus quàm calidus, & magis humidus quàm siccus,tunc est frigidus & humidus in gradu intenso:sed cùm ignis alteratur, vt transmutetur,debet esse magis frigidus quam calidus,& magis humidus quàm siccus;eò quòd in alteratione rei transmutandę,qualitas contraria debeat prævalere.Nec dicas ignem perire,quando qualitas contraria prævalet.Nam compositum,putà ignis, manet per totum tempus alterationis,vt fatentur omnes:Sed tempore alterationis qualitas prævalet: Ergo ignis non perit quando qualitas prævalet.Adde quòd in aqua feruente calor prævalet secundum Aduersarios, & tamen non perit aqua:Idem autem dicendum de cęteris elementis.Hic tantùm responderi potest, non esse absurdum, ignem manentem ignem essentialiter & substantialiter perfectum, tempore quodam alterationis, esse magis frigidum & humidum, quàm calidum & siccum.

22. Rursus, probatur *nullam dari alterationem Aristoteleorum*, atque adeo nec transmutationem substantialem elementorum in se inuicem; quia ignis transmutandus in aquam aut terram haberet easdem numero qualitates cum aqua aut terra; siquidem in transmutatione nulla producitur qualitas; sed tantùm forma; cum transmutatio fiat in instanti, & forma etiam; alteratio verò seu productio qualitatis fiat successiuè: At ante transmutationem est ignis, in ipsa verò transmutatione & pòst, non est ignis, sed aqua aut terra: Ergo ignis haberet easdem qualitates cum aqua aut terra.

23. Rursus,probatur nullam dari alterationem Aristoteleorum,atque adeo nec transmutationem substantialem: Quia omnis alteratio Aristoteleorum fit per intensionem aut remissionem qualitatum, vel per rarefactionem aut condensationem: Sed nulla datur intensio aut remissio qualitatum & nulla datur rarefactio & condensatio, vt mox probabitur.

24. *Extensio* qualitatis est productio ejus in diuersis partibus subjecti. *Intensio* est actio per quam qualitas perfectiorem statum acquirit in eadem parte subjecti: *Remissio* verò est actio per quam qualitas imperfectiorem statum acquirit in eadem parte subjecti; verbi gratiâ calor extenditur

ditur in aqua, quando producitur in pluribus ejus partibus: Intenditur, quando in eadem parte aquæ perfectiorem statum acquirit; perfectior autem est quando aqua magis calefit aut calefacit: Remittitur verò, quando in eadem parte aquæ est imperfectior, idest minùs calefit aut calefacit.

25. *Non datur intensio & remissio qualitatum:* Quia talis intensio & remissio fieret, vel per majorem & minorem radicationem in subjecto, vt volunt Dominicani; vel per additionem & detractionem graduum, vt volunt Iesuitæ: Sed neutrum dici potest, quod sic probatur.

26. *Intensio & remissio non fiunt per majorem & minorem radicationem aut vnionem cum subjecto:* quia qualitates panis & vini consecrati, quæ secundum Aduersarios sunt sine subjecto seu substantia, intenduntur & remittuntur, putà calor intenditur æstate, & remittitur hyeme. Adde quod vnio qualitatis cum subjecto est inhærentia, quæ cum sit de essentia accidentis, atque adeo qualitatis, non suscipit magis & minùs.

27. *Intensio & remissio non fiunt per additionem & detractionem graduum:* Quia id fieret, vel per gradus homogeneos, qui sunt æqualis perfectionis & roboris; vel per heterogeneos, qui sunt inæqualis perfectionis & roboris: Sed neutrum dici potest. Non quidem per gradus homogeneos; quia in remissione nulla est ratio, cur vnus gradus potiùs expellatur quàm alter, eò quòd omnes sint similes, in eadem parte subjecti in eodem loco penetrati, ac eodem ictu quasi percussi à contrario; atque adeo vel omnes debent tolli, vel nullus. Non etiam per gradus heterogeneos, quia cum in remissione tales gradus sint in eodem loco & in eadem parte penetrati, eodemque quasi ictu percussi à contrario, solus perfectissimus & validissimus destrueretur, reliquis prorsus intactis, quod est absurdum. Adde quod in intensione primus esset superfluus adueniente secundo, qui continet totam perfectionem primi, & aliquid amplius.

28. Rursus non datur intensio & remissio. Quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Per solam autem extensionem qualitatis in subjecto majorem aut minorem, saluari possunt omnia quæ tribuuntur intensioni & remissioni: Tunc enim qualitas intendi aut remitti judicatur à nobis, quando magis aut minùs sentitur, putà calor judicatur intensior aut remissior in aqua, quando aqua magis aut minùs sentitur calida: Sed per solam extensionem qualitatis in subjecto majorem aut minorem qualitas magis aut minùs sentitur, quando scilicet partes qualitatis sunt plures aut pauciores, & magis aut minùs approximatæ sine vlla penetratione: Ideo enim aqua magis aut minùs sentitur calida propter plures aut pauciores partes igneæ sunt introductæ in aquam.

29. Denique, substantiæ neque intenduntur, neque remittuntur: At qualitates substantiarum sunt substantiæ, cum sint proprietates earum, & proprietates non distinguuntur realiter intrinsecè à suis subjectis, vt probatum est in Logicis dum de proprio.

30. *Rarefactio* est actio qua corpus majus spatium occupat quàm an-

teà sine vlla additione materiæ aut quantitatis : *Condensatio* verò est actio quâ corpus minus spatium occupat quàm anteà, sine vlla detractione materiæ aut quantitatis.

31. *Talem rarefactionem & condensationem non dari* sic probatur : Impossibile est eandem numero materiam, siue vlla additione aut detractione, majus aut minus spatium occupare quàm anteà : Alioquin sequeretur eandem partem materiæ in rarefactione esse in duobus locis, & in condensatione plures partes materiæ in eodem loco penetrari, quod est absurdum: Nam si ponantur decem partes aquæ, occupantes medietatem palmi duntaxat, adeo vt quælibet pars decima aquæ occupet decimam partem medietatis palmi ; deinde rarescant illæ decem partes aquæ per spatium alterius medietatis, adeo vt decem illæ partes aquæ occupent totum palmum : Clarum est quamliber partem aquæ esse in duobus locis; nam pars aquæ quæ anteà occupabat vigesimam partem palmi, & decimam medietatis ejus duntaxat, per rarefactionem occupabit duas vigesimas partes palmi, & duas decimas medietatis ejus. In condensatione autem plures partes materiæ penetrari sic ostenditur : Ponantur viginti partes aquæ occupantes totum palmum, adeo vt quælibet vigesima pars aquæ occupet vigesimam partem palmi; deinde condensentur illæ viginti partes aquæ ad medietatem palmi ; tunc illæ viginti partes aquæ erunt in loco duplo minori quàm anteà, atque adeo duæ vigesimæ partes aquæ, quæ occupabant duas vigesimas partes palmi, occupabunt tantùm vnam, atque adeo se penetrabunt.

32. Rursus, talem rarefactionem & condensationem non dari sic probatur : quando aqua aut aliud corpus rarefit, & rarefactione occupat majus spatium quàm anteà, necessariò occupat locum aëris aut alterius corporis circunstantis; quo casu, vel aër remanet in eodem loco, vel relinquit locum suum & acquirit alium, vel contrahitur ad minorem locum; si primum, sequetur aquam poni in eodem loco cum aëre, & sic dari naturaliter penetrationem dimensionum, quod est absurdum ; si secundum, aër pellet aliud corpus ab eo loco quem acquirit, & illud corpus ab aëre pulsum pellet aliud, & sic in infinitum; si tertium, sequetur vnum corpus rarefieri non posse quin alterum condenseur, quod est contra experientiam.

33. Rursus probatur *nullam dari alterationem Aristoteleorum*: Quia talis alteratio ordinariè fit per actionem vnius & reactionem alterius ; Sed nulla datur talis actio & reactio : Ergo nulla datur alteratio.

34. *Reactio* est actio passi in agens, vel est actio quâ passum eo ipso tempore quo recipit detrimentum qualitatis suæ, per eandem partem quæ jacturam patitur agit in ipsum agens & par referre nititur. Actio tribuitur fortiori è duobus contrariis à qua agens denominatur. Passio tribuitur alteri contrario à qua patiens denominatur. Reactio est actio reciproca patientis in agens, à qua reagens denominatur. *Repassio* denique est in agente recipiente formam contrariam.

35. Non

35. *Non dari autem reactionem probatur*, quia eo instanti quo agens, putà ignis, agit in patiens, putà in aquam, ignis agit cum omnibus suis gradibus caloris, cùm causa naturalis agat ad extremum suæ potentiæ, idest quantùm potest: Ergo eo instanti nullum potest amittere, alioquin idem simul esset quia ageret, & non esset quia tolleretur & destrueretur, quod est contradictorium; quò si nullum amittat, aqua non reagit in ignem. Nec prodest dicere, ignem in primo instanti agere tantùm per septem gradus caloris, non autem per octauum. Nam si agat per septem primo instanti, omnes septem existunt, quod enim agit existit; & si septem existunt, sequitur agens, scilicet ignem cum septem gradibus non repati in illo instanti. Nec prodest dicere, ignem non continuè agere, sed aliquando cessare, & tempore quietis amittere aliquem gradum caloris per reactionem aquæ: Nam idem quà idem semper facit idem, potissimùm agens naturale; & si primo instanti ignis nullum amisit gradum caloris per reactionem aquæ frigidæ vt octo, multò minùs amittet secundo instanti quo ignis nullum amisit gradum caloris, aqua verò amisit vnum gradum frigoris.

36. Rursus probatur nullam dari reactionem quia omnis actio est à proportione majoris inæqualitatis, idest in omni actione actiuitas agentis debet esse major resistentia formali patientis: At si daretur reactio daretur actio quæ non esset à proportione majoris inæqualitatis, sed minoris; dum enim ignis calidus vt octo agit in aquam frigidam vt sex, major est actiuitas resistentia formali aquæ; at ignis ipsis octo gradibus quibus agit in aquam ei formaliter resistit; ergo major est resistentia formalis ignis quàm actiuitas aquæ; atque adeo si aqua reagit, reactio erit actio à proportione minoris inæqualitatis.

37. *Elementa in mixta, & mixta in elementa non transmutantur substantialiter*: Quia in omni transmutatione substantiali id quod transmutatur perit, & illud in quod transmutatur producitur de nouo: Sed in transmutatione elementorum in mixta elementa non pereunt, sed actu & formaliter remanent in mixto quod producitur; & in transmutatione mixtorum in elementa, non producuntur de nouo elementa, sed tantùm separantur aut aliter vniuntur: Ergo elementa in mixta, & mixta in elementa non transmutantur substantialiter,

38. *Elementa manere actu & formaliter in mixto probatur*, quia id ex quo prodeunt actu quatuor elementa, aut quatuor naturæ diuersæ iis correspondentes, quin producantur de nouo, in eo anteà acto & formaliter fuisse necesse est. Sed ex mixto, putà ex ligno quod comburitur, prodeunt actu quatuor elementa aut quatuor iis respondentia, quin producantur de nouo. quod sic probatur: Et quidem quod quatuor elementa aut quatuor iis respondentia prodeant ex ligno quod comburitur, patet ex flamma quę tenet locum ignis, fumo qui tenet locum aëris liquore aqueo qui tenet locum aquæ, & cineribus qui tenent locum terræ quæ omnia actu & formaliter prodire ex ligno sensu percipiuntur: Quòd verò non producantur

de nouo probatur, quia quicquid fit ab alio fit, scilicet ab aliquo agente: Sed nullum est agens quod possit producere tales naturas diuersas; siquidem in combustione ligni nullum est agens præter ignem; at ignis non potest producere quatuor elementa, saltem aërem, aquam & terram, aut naturas iis respondentes; quod enim est calidissimum, leuissimum & siccum non potest producere frigidum & humidum scilicet aquam & aërem, aut liquorem aqueum & fumum iis respondentes; nec frigidum & graue scilicet terram aut cineres: Nec potest concipi, quomodo idem agens scilicet ignis, agens in idem subjectum, scilicet in lignum quod creditur homogeneum, potest producere naturas tam diuersas, cum idem quâ idem semper faciat idem.

39. *Composita naturalia sunt substantia ratione materiæ, accidentia verò ratione formæ*, scilicet ratione vnionis partium materialium, aut figuræ ex vnione earum resultantis.

40. *Composita naturalia differunt accidentaliter accidente prædicamentali; non autem accidente prædicabili:* Quia differunt per vnionem aut figuram, quæ est accidens prædicamentale inhærens partibus materialibus, sed non est accidens prædicabile cum sit de essentia compositi.

41. *Materia est passiua, quia recipit formas; est verò actiua quoad rem; & forma quoad modum:* Sicut enim in medicamento composito ex rhubarbaro, cassia &c. materia sola scilicet Rhubarbarum, cassia &c. est actiua; forma verò medicamenti scilicet eorum vnio harmonica facit vt materia sit tali modo actiua & sanitatem conferat: Ita in compositis naturalibus materia, putà atomi, est propriè actiua; forma verò scilicet vnio atomorum, facit vt materia sit tali modo actiua & certi effectus productiua.

42. *Atomi quæ creduntur materia prima absolutè, simpliciter & secundum se considerata, sunt completa in ratione entis, substantia, & corporis;* quia habent id omne quod requiritur ad rationem entis substantiæ & corporis: at relatiuè & comparatè ad composita naturalia, non sunt completæ essentialiter in ratione mixti, cum non sint tota essentia mixti, nec sunt completæ essentialiter & substantialiter in ratione hominis, cum non sint tota essentia aut substantia hominis, eò quòd anima rationalis sit de essentia & substantia hominis, vnio verò corporis & animæ sit de essentia ejus.

43. Aqua se reducit ad pristinum frigus per exhalationem partium ignearum quæ sese insinuarunt inter partes aquæ, non autem per formam substantialem aquæ producentem frigus formaliter expellens calorem ab aqua; siquidem aqua extrinsecè tantùm est calida.

44. *Vera materia prima* omnium compositorũ naturalium est innominata & eadem specie seu similis in omnibus corporibus; siue talis materia sit diuisibilis in infinitum, siue constet ex atomis Physicis aut Mathematicis, de quo suo loco agetur. *Forma verò essentialis compositorum naturalium*

fal-

saltem partialiter est figura atomorum aut potiùs molecularum ex vnione atomorum resultans: Quod probatur. 1. Ex refutatione aliarum opinionum suprà allata. 2. Quia per figuras potest reddi ratio diuersitatis compositorum & operationum, putà cur ignis & aqua sint diuersa corpora; cur ignis vrat, aqua humectet? &c. Quia scilicet ignis constat atomis aut moleculis tenuissimis, quæ beneficio figuræ suæ tenuissimæ facillimè se insinuant inter partes aliorum corporum & ea dissoluunt; aqua verò constat atomis aut moleculis crassioribus, quæ propter figuram suam crassiorem, non facilè se insinuant in corpora, sed potiùs impediunt motum atomorum aut molecularum ignearum, & sic frigefaciunt aut humectant. 3. Cum ars imitetur naturam, ex analogia & similitudine eorum quæ fiunt in artefactis, possumus eruere veritatem eorum quæ fiunt in naturalibus: Sicut igitur in arte fabrili, verbi gratiâ, ex eadem specie materia, putà ex ferro, fit securis, lima, tudes, ensis &c. quæ pro diuersitate figurarum diuersimodè agunt, & diuersa corpora artificialia producunt: Ita etiam in natura ex eadem specie materia, putà ex atomis, fiunt moleculæ igneæ, aqueæ, aureæ, ligneæ &c. quæ pro diuersitate figurarum diuersimodè agunt, & diuersa opera naturalia producunt. 4. Denique per ejusmodi figuras; facilè redditur ratio conuersionis aquæ in vinum, dicendo Christum virtute suâ diuinâ alio modo vniuisse atomos materiam aquæ constituentes; & sic destructa priori figurâ quæ erat forma essentialis aquæ, dedisse iis aliam figuram quæ fuit forma essentialis vini.

45. In compositis homogeneis, putà in igne, aqua, & aliis quæ constant moleculis ejusdem speciei, vna est specie figura omnium molecularum totum homogeneum constituentium: At in compositis heterogeneis, putà in viuentibus, quæ constant partibus & moleculis diuersæ speciei, tot sunt figuræ specie diuersæ, quot sunt partes specie diuersæ: Et ideo in homogeneis figura sola est forma essentialis compositi, & est vna specie in omnibus moleculis totum homogeneum constituentibus: At in heterogeneis, multiplex est specie figura, & sola figura non est pars essentialis; sed præter figuram requiritur certus situs partium: Nam in animali verbi gratiâ cutis debet situm suum habere in parte exteriori, caro sub cute intermixtis venis, neruis & arteriis, ossa sub carne &c. quòd si ossa disponerentur in parte exteriori, & sub ossibus cutis aut caro, animal subsistere non posset. Alij figuræ & situi addunt determinationem magnitudinis aut paruitatis, necnon motum aut quietem.

46. *Non datur vnica forma omnium corporum*, quæ dicitur anima mundi aut spiritus vniuersalis, quæ fuit sententia quorundam Philosophorum mundum tanquam animal considerantium. Quia inde sequeretur vnam & eandem entitatem, scilicet vnam & eandem formam aut animam eodem tempore velle contraria & contradictoria, amare simul & odisse eandem rem, simul peccare & non peccare, simul formare diuersa judicia de

anima Petri sæpe amat Paulum, quem anima Ioannis eodem tempore odit & non amat, anima Petri furantis peccat, & eodem tempore anima Pauli non furantis, sed Deum deuotè orantis non peccat; anima Petri iudicat dari animam mundi, & eodem tempore anima Pauli judicat non dari. Si igitur sit vna & eadem forma aut anima in Petro & Paulo, sequetur vnam & eandem rem exercere simul actus contrarios & contradictorios, quod est absurdum. Rursus, sequetur eadem appeti & sentiri ab omnibus animalibus, si eadem sit anima in illis; alioqui eadem anima eodem tempore appeteret & non appeteret, sentiret & non sentiret eadem, quod est contradictorium: Sequeretur eadem cognosci ab omnibus animalibus aut ab anima omnium animalium; alioquin eadem anima quæ est in illis cognosceret & non cognosceret eadem; &c.

47. *Vnio* sumitur duobus modis, scilicet pro vnitione, & pro effectu vnitionis: Et hoc posteriori modo, vel sumitur, *latè* & *impropriè* pro qualibet conjunctione rerum, ex qua resultat tantùm ens per accidens, vel *strictè* & *propriè* pro conjunctione rerum ex quibus fit vnum per se.

48. *Vnio propriè* dicta duplex est, *vna* quâ atomi certo modo vniuntur inter se, & talis vnio est forma essentialis compositorum naturalium mixtorum, *altera* verò est vnio animæ rationalis cum corpore quâ constituitur homo: Quibus adde vnionem hypostaticam seu personalem humanitatis cum verbo quâ constituitur Christus.

49. *Vnio atomorum* consistit in vbicationibus immediatis atomorum hamatarum aut quiescentium. *Vnio corporis & animæ rationalis* consistit in existentia animæ in materia debitè disposita operantis aut operatiuæ, & simul cum corpore effectiuè concurrentis ad eandem operationem. *Vnio* verò *hypostatica* seu personalis humanitatis cum verbo, consistit in existentia verbi in humanitate sanctissimâ operantis aut operatiuæ, & simul cum humanitate effectiuè, concurrentis ad opera theandrica tanquam principium formale personale.

50. *Vnio distinguitur modaliter à rebus vnitis*: Quia res possunt existere sine vnione, quæ non potest existere sine ipsis. Non potest autem esse entitas simplex, quia cum vnio sit modus existens secundum Aduersarios in partibus vnitis, sequetur vnam & eandem entitatem esse simul in duobus locis.

51. *Compositum Physicum essentiale* dicitur illud quod constat materia & forma: Estque duplex, vnum quod constat ex atomis certo modo vnitis; alterum verò quod constat corpore & anima rationali. Quibus adde compositum supernaturale ex persona verbi & humanitate vnitis, quod est Christus.

52. *Totum non distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis*: Quia nihil est in toto præter partes & vnionem earum, & nihil aliud requiritur ad constitutionem totius.

53. *Priuatio* est absentia formæ in subjecto apto & proximè disposito

adi

ad eam recipiendam: quod intelligendum de priuatione Physica, quæ est absentia formæ futuræ, non autem de Logica quæ est absentia formæ prærerita: Id etiam intelligendum de priuatione proxima, quæ dicit dispositiones in subiecto; non autem de remota; quæ eas non dicit.

54. *Priuatio & pura negatio differunt*, quòd pura negatio sit carentia formæ in subiecto inepto, vt carentia visus in lapide; priuatio verò sit carentia formæ in subiecto apto, vt carentia visus in homine.

55. *Priuatio non cognoscitur per sensum:* Quia per sensum non cognoscitur nisi ens reale & positiuum: tenebræ autem non percipiuntur verè & positiuè, sed tantùm negatiuè, quatenus scilicet intellectus colligit ibi esse carentiam lucis, ex eo quòd visus rectè dispositus nihil videat.

56. *Priuatio includit ens*, si essentialiter dicat capacitatem subiecti; *non includit* si connotet tantùm ipsam.

57. *Natura sumitur potissimùm quinque modis.* 1. Pro *mundo*, & sic homo dicitur esse in rerum natura. 2. Pro *causa naturali*, de qua dicitur, Deus & natura nihil frustra. 3. Pro *essentia*, & sic definitio explicat naturam rei. 4. Pro *temperamento*, & sic dicimus aliquem esse talis temperamenti. 5. Pro *principio actionis* sensibilis in eo in quo est scilicet in composito, si verò agat extra, non dicitur natura, sed compositum aut efficiens. Duplex autem est talis natura scilicet materia & forma: Illa secundum Aristoteleos est tantùm principium passiuum; hæc verò actiuum, iuxta illud formæ est agere materiæ verò pati: At secundum nos materia est actiua quoad rem, forma verò quoad modum.

58. *Ars* est habitus cum recta ratione effectiuus; quia per præcepta sua dirigit effectionem seu productionem operis externi & sensibilis. Differt autem à natura, quod natura operetur in eo in quo est, ars verò nunquam operatur in eo in quo est; nisi per accidens, putà cùm medicus seipsum sanat.

59. *Ars efficere potest opera naturæ applicando actiua passiuis*, ideſt adhibendo causas efficientes naturales materiæ dispositæ, & sic ars inuenta excludendi pullos sine gallina, conficiendi ranas & scorpiones, &c. Chrysopoeia est possibilis: stulta tamen Chymicorum, spes: Non potest probari positiuè, verum aurum arte Chymica fieri aut non fieri, posse, quia non nouimus qui ad veri auri productionem requiratur.

60. Si forma sumatur pro materia subtiliori compositi, putà pro spiritibus magneticis in magnete, pro spiritibus odorificis in rosa &c. non negandæ sunt formæ substantiales.

CAPVT QVARTVM.

De Causa Efficiente, Finali, Exemplari, & Causis per accidens.

1. *Causa efficiens* est principium à quo oritur actio aut effectus: Ejus causalitas in actu primo est potentia actiua, in actu secundo est actio. Causa verò efficiens Physica est à qua oritur mutatio aut quies sensibilis.

2. *Causa Physica producit realiter effectum per influxum realem in ipsum*, vt architectus construens domum: *Causa verò moralis non producit realiter effectum*, ei tamen imputatur effectus ac si ipsum produxisset, vt causæ imperantes, suadentes & impellentes, dirigentes, & meritoriæ.

3. *Causa prima independenter ab omni alio operatur*, vt solus Deus: *Causa verò secunda operatur dependenter à prima*, vt creaturæ.

4. *Causa vniuersalis* est quæ cum variis specie causis particularibus producit effectus specie diversos, vt Deus, Sol &c. *Causa verò particularis* est determinata ad vnum certum effectum producendum, vt equus producens equum.

4. *Causa vniuoca* producit effectum sibi similem, vt equus producens equum: *Æquiuoca* verò producit effectum sibi dissimilem, vt sol producens ranam.

5. *Causa subordinans* est independens: *Subordinata* verò est dependens: *Subordinata per se* dependet à subordinante in causando; *subordinata* verò *per acccidens* dependet à subordinante in existendo, non tamen in causando.

6. *Causa totalis* producit totum effectum: *Partialis* verò partem ejus duntaxat.

7. *Causa proxima* est ea quæ realiter influit in effectum: *Remota* verò est ea quæ producit causam proximam, sed non influit realiter in ejus effectum, & ideo non est vera causa; & est subordinans per accidens.

8. Causa mediata & immediata interdum coincidunt cum causa remota & proxima; propriè verò *causa mediata* dicitur ea quæ mediante alia producit effectum, vt homo qui mediante prima scribit, *immediata* verò quâ mediante aliud agit, vt penna quâ mediante homo scribit; sicque causa mediata & immediata videntur coincidere cum causa principali & instrumentali.

9. *Causa principalis* est ea quæ vi propria agit, vel quæ assumit aliud ad agendum, vt pictor assumens penicillum ad pingendum. *Instrumentalis* verò assumitur à causa principali ad actum causæ principalis, & agit per

per vim sibi communicatam, vt penicillus respectu pictoris.

10. *Causa naturalis prout opponitur artificiali*, est ea quæ agit sine præceptis, vt ignis calefaciens: *Artificialis* verò est ea quæ agit ex directione præceptorum, vt architectus. *Causa naturalis prout opponitur supernaturali* est ea quæ agit supra vires naturæ seu agentis naturalis, vt ignis, *supernaturalis* verò est ea quæ agit supra naturæ vires, vt Deus creans. *Naturalis prout opponitur violentæ* agit ab intrinseco secundum inclinationem, vt ignis calefaciens: *violenta* verò est ea quæ agit ab extrinseco contra inclinationem, vt lapis tendens sursum projectus à manu. *Causa spontanea* agit ex cognitione secundum inclinationem, vt canis comedens: *Coacta* verò agit contra inclinationem ex cognitione, vel cum cognitione; ex cognitione quidem si cognitio sit causa actionis, vt mercator projiciens merces in mare metu naufragij; cum cognitione verò, si cognitio sit causa resistentiæ, vt pater opprimens filium vi impulsus ab aliis. *Causa voluntaria* agit ex perfecta cognitione quæ est intellectiua: *Inuoluntaria* verò agit per vim aut per ignorantiam. *Causa necessaria* est quæ positis requisitis & sublatis impedimentis non potest non agere, vt ignis calefaciens: *Causa* verò *libera* est quæ positis requisitis & sublatis impedimentis potest agere & non agere, vel hoc aut illud agere, vt homo scribens.

11. *Axiomata causæ efficientis* hæc sunt. 1. *Idem quà idem semper facit idem*, si sit idem agens necessarium, idem patiens, & vtrumque eodem modo dispositum. 2. *Ex nihilo nihil fit naturaliter*, sed omnia facta sunt ex nihilo supernaturaliter. 3. *Quicquid fit ab alio fit*, quia nihil est causa suiipsius; & ideo Christus non producit seipsum in sacramento. 4. *Vnumquodque est propter suam operationem*, esse enim est propter operari, & operari sequitur esse, & modus operandi sequitur modum essendi, & modus satisfaciendi sequitur modum personæ satisfacientis, & personæ cui satisfit: Et hinc fit vt quæcumque habent omnes easdem operationes sint idem realiter, atque adeo proprietates identificentur cum subjecto. Hinc etiam fit vt anima rationalis, quæ est spiritualis, non exerceat operationes materiales, putà vegetationem & sensationem, atque adeo sint plures animæ in homine; Denique hinc fit vt mera creatura non possit satisfacere Deo, cum satisfactio & meritum præmiis decrescat ex vilitate personæ satisfacientis, & dignitate personæ cui satisfit. 5. *Nemo dat quod non habet vel formaliter, vel virtualiter, vel eminenter*. 6. *Actiones sunt suppositorum denominatiuè & vt quod, naturarum verò aut partium formaliter & vt quo*. 7. *Agens non agit vltra suas vires, nec extra sphæram suæ actiuitatis, sed tantum intra certum spatium*: Et ideo accidens non potest producere substantiam, & qui interficit Petrum Romæ non interficit eum Lutetiæ. 8. *Agens naturale necessarium agit ad extremum suæ potentiæ*, idest quantum potest; & ideo ignis agens in aquam agit per octo gradus caloris, vnde non datur reactio, vt suprà. 9. *Quod potest majus potest etiam minus, modò sint ejusdem generis*. 10. *Quod est non potest fieri, & quod non est non potest destrui*; & ideo cum corpus Christi jam existat, non potest produci in hostia. 11. *Idem*

numero effectus non potest simul produci à pluribus causis efficientibus ejusdem ordinis, totalibus & totaliter concurrentibus.

12. Finis est id propter quod res est aut propter quod agens operatur. *Finis cuius* est res cujus obtinenda gratiâ agens operatur, vt sanitas: *Finis* verò *cui* est persona in cujus commodum prior finis intenditur, vt homo sanandus.

13. *Finis objectiuus* est res quæ possidetur, aut res possidenda: *Formalis* verò est possessio ejus.

14. *Finis internus* seu *per se* est is ad quem aliquid ex natura sua ordinatur, vt contemplatio corporis naturalis respectu Physicæ: *Externus* & *per accidens* è contrà, vt lucrum; hícque finis est scientis non scientiæ.

15. *Finis medius* ad vlteriorem finem ordinatur, *vltimus* verò non: *Finis vltimus simpliciter* & in omni genere, est Deus aut gloria Dei: *Finis* verò *secundum quid* & in certo genere sunt alij fines, putà sanitas est finis vltimus in genere actionum medicinalium.

16. *Causalitas finis in actu primo*, est bonum propter se appetibile: Quia cum tale bonum duntaxat sit conueniens agenti, solum etiam habet virtutem mouendi agens, siue illud bonum sit verum siue apparens tantùm, siue sit honestum, siue vtile, siue delectabile. Mouet autem secundum suum esse reale tanquam ratio formalis; at secundum esse cognitum non mouet propriè, sed est conditio sine qua bonum non moueret: Quia finis mouet secundum illam rationem quâ satiatur appetitus agentis, at satiatur tantùm per possessionem boni, non autem per cognitionem ejus, quæ tantùm requiritur vt conditio, cum nihil volitum quin præcognitum.

17. *Causalitas finis in actu secundo*, est motio metaphorica, idest actio agentis propter finem; talis enim motio aut actio prout ab agente est realis, prout propter finem est metaphorica.

18. *Finis non est vera causa Physica, sed moralis tantum*, quia est tantùm causa impellens, & sæpissimè non est quando agens agit propter ipsum.

19. *Per & propter quod vnumquodque est tale illud est magis tale*, vt amat vetulam propter pecunias, ergo magis amat pecunias; quod vt sit verum, prædicatum debet suscipere magis & minùs, debet esse in vtroque actu & formaliter, debet esse diuersum, & causa prædicati debet esse totalis.

20. *Cujus finis bonus est, ipsum quoque bonum est, modò aliquâ circunstantiâ non vitietur*; ad hoc enim vt actio sit bona, non tantùm debet esse propter finem bonum, sed etiam ex objecto debet esse bona, & media debent esse bona; bonum enim ex integra causa, malum ex quolibet defectu.

21. *Omne agens agit propter finem formaliter*, si sit agens intellectuale; *propter finem verò materialiter*, si sit aliud agens: Agere propter finem materialiter est elicere actionem, quæ ad finem refertur, saltem ex directione Dei: Agere verò propter finem formaliter, est elicere actionem quæ ab ipso agente refertur ad finem, quod fit quando agens constituit sibi fi-

sibi finem, media ad eum destinat & comparando media agnoscit proportionem quam habent cum fine.

22. *Finis est primus in intentione, & vltimus in executione.* Dat autem medijs bonitatem, amabilitatem, mensuram & ordinem.

23. *Exemplar internum* est idea in mente ad cuius similitudinem effectus producitur: *Externum* verò est aliquod obiectum extra mentem ad cuius similitudinem aut imitationem agens operatur, vt imago ante oculos pictoris posita quàm pictor sibi proponit imitandam.

24. *Actio agentis quatenus est ab agente est causalitas efficientis*: Eadem actio agentis quatenus est propter finem est causalitas finis: Ac denique eadem actio agentis scilicet intellectualis, quatenus directa per ideam practicam rei faciendæ, dicitur causalitas exemplaris. Vnde patet exemplar influere tantùm in effectum directiuè, scilicet dirigendo agens ad opus; atque adeo non esse causam Physicam, sed moralem duntaxat.

25. *Causa per accidens* est à qua vt tali non procedit effectus: Estque duplex, vna ex parte causæ, & altera ex parte effectus. *Ex parte causæ* duobus modis. 1. Per absentiam, & sic Sol est causa tenebrarum. 2. Per præsentiam non requisitam vt cùm musicus dicitur ædificare. Causa per accidens *ex parte effectus* est ea quæ effectum à se non intentum producit, vt cum vinitor inuenit thesaurum fodiendo vineam. Duplex autem est talis causa, scilicet casus & fortuna. *Casus* est causa naturalis, quæ intendendo effectum ad quem ex natura sua est determinata, alium præter intentionem producit, vt lapis qui descendendo naturaliter perfringit caput alicui; per causam autem naturalem hic intelligitur quælibet causa intellectu carens. *Fortuna* est causa intellectualis quæ producit effectum præter intentionem, vt vinitor qui fodiendo vineam invenit thesaurum.

26. *Præcipuus effectus per accidens* est *monstrum*, quod definitur effectus naturalis à rectâ, solitâ, & speciei suæ debitâ dispositione degenerans.

27. *Causæ monstrorum* septem sunt præcipuæ 1. Defectus materiæ, inde manci. 2. Excessus materiæ, inde multimembres. 3. Imaginatio matris, quæ si sit vehemens notam monstrosam fœtui imprimit. 4. Excessus primarum qualitatum, inde filia visa est barbara. 5. Locus cuius figuram monstrosam fœtus recipit. 6. Secundina, cuius fractione ordinariè oriuntur monstra 7. Forma, ratione cujus fit monstrum duas genitorum species diuersas referens, vt bucephalus, vel diversum sexum, vt hermaphroditus.

28. *Fœminæ non sunt monstra*, quia sunt effectus ordinarij à natura intenti ad generationem. Pigmæi & Gigantes non sunt monstra, quia sunt intra terminos magnitudinis & paruitatis suæ speciei. Hybrides, vt muli, Leopardi, & alia eiusmodi ex diuersis speciebus genita, sunt monstra, quæ toto corpore sunt contra naturam. Tritones, Satyri, & Fauni, fuerunt Dæmones semihumanâ formâ tecti, qui homines decipiebant.

19. *Fatum* Antiquorum est ordo causarum omnium ineuitabili necessitate suos effectus producentium: Tale autem *fatum non datur*; sic enim tolleretur prouidentia diuina, & libertas humana. *Fatum* verò *Christianorum*, est collectio, causarum secundarum à Deo ordinatarum ad effectus producendos.

CAPVT QVINTVM.
De Quantitate.

1. QVantitas vel *virtutis*, quæ est perfectio rei; vel *molis*, quæ est ens per se extensum: *Extensum esse* est habere partes extra partes, id est in diuersis locis existentes.

2. *Quantitas* vel *permanens* cuius partes simul sunt; vel *successiua*, cuius partes aliæ post alias existunt: hæc duplex est, scilicet tempus & motus: *Illa* verò vel *continua* cuius partes sunt vnitæ; vel discreta, cuius partes sunt separatæ. *Continua triplex* est, scilicet, *linea*, quæ est longitudo tantùm; *superficies*, quæ est longitudo & latitudo simul; & *corpus mathematicum*, quod est trina dimensio, sc. longitudo, latitudo & profunditas simul. *Discreta* vulgò *duplex*, sc. *numerus* rerum separatarum, & *oratio*, vocalis, quæ ratione prolationis est actio, ratione soni est qualitas, ratione moræ prolationis est tempus, ratione significationis est relatio moralis.

3. *Proprietates quantitatis* hæ sunt præcipuæ. 1 Non habere contrarium. 2. Non suscipere magis & minùs, licet suscipiat maius aut minus. 3. Per eam res dici æquales aut inæquales, mensurabiles per continuam, numerabiles per discretam. 4 Esse diuisibilem. 5. Esse extensam in loco, & impenetrabilem. 6. Esse finitam, cum non detur infinitum vt infrà.

4. *Quantitas non distinguitur à materia:* Quia materia per seipsam, per suam entitatem, & non per aliud est quanta, extensa, habens partes extra partes, in diuersis locis existentes; adeo vt annihilato, quocunque alio à materia mundi, talis materia mundi haberet partes suas in diuersis locis existentes. Nec dicas annihilata quantitate mundi omnes eius partes confluxuras in punctum. Nam annihilatio fit in instanti; talis autem confluxus non potest fieri in instanti, cum motus ad rem distantem sit necessariò successiuus. Adde quod annihilatâ solâ quantitate, grauitas & leuitas remanerent, atque adeo partes leues ascenderent & graues descenderent, sicque non confluerent in punctum.

5. Respondent ordinariè Aduersarij, quòd annihilatâ quantitate partes materiæ mundi remaneant in eodem loco ac anteà, & retineant extensionem entitatiuam non quantitatiuam: Quod si partes ponantur in eodem loco, non retinebunt extensionem externam actualem & in ordine ad locum, sed tantùm internam aptitudinalem & in ordine ad se. Extensio interna sine externa, est multitudo partium penetratarum & simul in eodem

dem loco existentium. Extensio externa est multitudo partium in diversis locis existentium. Extensio entitativa est multitudo partium naturaliter penetrabilium. Extensio verò quantitativa est multitudo partium naturaliter impenetrabilium.

6. Hæc responsio impugnatur, dicendo primò, extensionem internam sine externa esse fictam; cum vera extensio sit positio partium extra partes, quæ non potest esse in puncto. Dicendo secundò, extensionem entitativam & quantitativam sine necessitate distingui. Dicendo tertiò, sic omnes partes mundi posse poni naturaliter sub vngue meo. Dicendo quartò, annihilatâ solâ quantitate manere duritiem in lapidibus & metallis quæ impedit penetrationem. Dicendo quintò, sic vnum hominem posse bibere totum mare penetratum cum gutta aquæ; posse simul comedere centum boves penetratos cum frusto panis, & omnia animalia quæ sunt in mundo, non posse trahere nucem cum qua tota terra est penetrata.

7. Philosophorum alij continuum componunt ex indivisibilibus seu atomis, alij ex divisibilibus in infinitum. *Atomus* vel *simplex*, quæ caret partibus, meliúsque diceretur punctum; vel *composita* quæ habet partes. *Punctum* vel Mathematicum, vel inflatum. *Mathematicum* caret partibus & occupat spatium indivisibile duntaxat. *Inflatum* verò caret partibus, sed occupat spatium divisibile, & virtualiter extensum ob raritatem, eo ferè modo quo Angelus. Atomus composita, vel est planum indivisibile, quod est superficies constans partibus indissolubilibus; vel corpus solidum habens trinam dimensionem constantem etiam partibus indissolubilibus. Alij addunt *minimum quod sic* seu *minimum naturale*, quod est compositum minimum aut materia minima, sub qua, non sub minori potest consistere forma, putà atomus lignea est minimum lignum, aut minima materia lignea, sub qua, non sub minori consistere forma ligni.

8. Pythagoras existimavit corpus aut continuum constare solis punctis seu indivisibilibus mathematicis, quod probatur his argumentis. Primum argumentū tale est. Tempus constat solis indivisibilibus sc. momentis seu instantibus: Nam omnes partes tēporis præteriti & futuri fuerunt & erunt præsentes; præsens autem est indiuisibile, alioquin haberet partes simul præsentes & existentes, quod est contra naturam temporis essentialiter successivi. Si autem tempus constet solis indiuisibilibus, etiam spatium; cum vno momento res non possit percurrere spatium divisibile, alioquin esset simul in duabus medietatibus illius spatij, atque adeo in duobus locis. Quòd si spatium constet tantùm indivisibilibus, etiam corpus; cum totum corpus respondeat toti spatio, & partes corporis respondeant partibus spatij: Et in parte indiuisibili spatij existit aliquid corporis; non divisibile, alioquin duæ partes illius divisibilis essent penetratæ in ejusmodi parte indivisibili spatij; ergo indivisibile. Nec dicas partes

temporis præsentis existere fluenter; nam partes quæ existunt fluenter, non simul existunt, sed successiuè; atque adeo cùm vna existit altera non existit, quæ autem non existit non est præsens, sed præterita aut futura.

9. Secundum argumentum sic se habet. Corpus perfectè sphæricum tangit corpus perfectè planum in puncto seu in parte indiuisibili duntaxat; alioqui tangeret in plano, cum omnis pars diuisibilis plani sit plana: Et quoniam quæ se tangunt adæquantur in eo in quo se tangunt, sequetur sphæricum & planum adæquari, quod est impossibile: At sphæricum motu suo super planum, potest tangere omnes partes plani: Ergo omnes partes plani sunt indiuisibiles.

10. Tertium argumentum, quod confirmat secundum sic formatur. Contactus omnis fit in indiuisibili. Nam quando duo corpora se tangunt, solùm se tangunt secundum superficiem indiuisibilem in profunditatem, atque adeo dantur indiuisibilia versus profunditatem, ergo & versus omnem partem; si enim indiuisibilia non repugnent versus vnum latus, nulla est ratio cur repugnent versus alia: Quod autem duo corpora se tangant tantùm in superficie indivisibili versus profunditatem patet, quia alioquin penetrarentur; cum vna manus non possit attingere partem interiorem alterius manus, nisi penetret exteriorem: cum autem omnes partes continui se tangant debent esse indiuisibiles. Adde quòd extremitates superficiei sint lineæ indiuisibiles in latitudinem, & extremitates lineæ sint puncta indiuisibilia in longitudinem.

11. Quartum argumentum est eiusmodi. Omnes partes continui aut corporis quocunque modo sumptæ, vel sunt divisibiles in alias, vel indivisibiles in alias: Sed non sunt divisibiles in alias, quia non sunt alię prçter omnes: Ergo sunt indivisibiles in alias. Nec dicas partes continui proportionales & indeterminatas esse numero infinitas, aut finitas in infinitum, de tali autem numero non posse dici *omnes*; τὸ quia *omnes* exhaurit & colligit; talis autem numerus non possit exhauriri & colligi. Non (inquam) hoc dicas quia possumus dicere quod verum est, at verum est omnes partes proportionales esse in continuo. Adde quòd omnes partes continui sint numero finitæ, vt probatur sequenti argumento.

12. Quintum argumentum ita se habet. Si omnes partes continui sint numero finitæ, sequetur eas omnes esse indiuisibiles, si enim in eo sint tantùm duodecim partes, non possunt esse tredecim; si autem aliqua ex illis esset divisibilis possent esse tredecim. Sed omnes partes corporis aut continui sunt numero finitæ; cum non detur numerus infinitus, quod sic probatur.

13. Impossibile est vnum infinitum esse maius aut minus alio; cum enim minùs superetur à maiori, sequetur infinitum minùs superari ab infinito maiori, quod est absurdum; nam quod superatur terminatur vbi superatur, & quod terminatur est terminatum & finitum, & quod est finitũ non est infinitum: At si daretur numerus infinitus, sequeretur dari vnum infinitum maius aut minùs alio, nam si Deus produceret numerum infinitum homi-

hominum, talis numerus esset minor numero oculorum, digitorum & capillorum; & si partes digiti & manus essent numero infinitæ; cum pauciores sint partes in digito quàm in tota manu, eò quòd pars sit minor toto, & totum sit maius sua parte, sequeretur numerum infinitum partium quæ sunt in digito esse minorem numero partium quæ sunt in tota manu; si autem sit minor superabitur, & si superetur terminabitur vbi superabitur, si verò terminetur erit terminatus seu finitus, non autem infinitus. Adde quod non detur numerus major numero infinito comprehendente infinitas infinitates: At omnis numerus infinitus comprehendit infinitas infinitates, cum comprehendat infinitas vnitates, infinitos binarios &c. si enim binarij essent finiti, vnitates non essent infinitæ, cum duplum finiti non faciat infinitum, & finitum semel additum finito non faciat infinitum.

14. Sextum argumentum tale est. Continuum potest diuidi seu resolui in omnes suas partes, saltem à Deo: Ergo omnes sunt indiuisibiles, alioqui non erit facta resolutio in omnes. Antecedens sic probatur: Deus vniuit omnes partes continui; Ergo Deus potest eas separare: Et Deus potest destruere quod produxit; at produxit omnes vniones omnium partium continui; ergo potest eas omnes destruere; ijs autem destructis, continuum erit diuisum in omnes suas partes. Et reuera hæc propositio, Deus potest diuidere continuum in tot partes quot potest ipsum diuidere, negari non potest, cum sit identica; hoc autem posito, clarum est omnes partes fore indivisibiles; si enim essent diuisibiles, possent diuidi saltem à Deo; at hoc est impossibile, cum Deus diuiserit quantum potuit, seu in tot partes quot potuit. Denique Deus cognoscit omnes diuisiones possibiles circa lapidem, adeo vt præter diuisiones eas quas Deus hodie cognoscit, nulla alia sit possibilis, alioquin aliquid possibile non cognosceretur hodie à Deo, sed restaret ei cras cognoscendum, quod est absurdum: Inde autem concludo Deum cognoscere per eas diuisiones lapidem redactum ad indiuisibilia, alioquin restarent adhuc nouæ lapidis diuisiones à Deo cognoscendæ præter eas quas de facto cognoscit, si enim lapis, cognitis illis divisionibus non cognoscatur redactus ad indiuisibilia, cognoscitur adhuc diuisibilis, atque adeo aliæ diuisiones erunt possibiles quas Deus priùs non cognoverat, quod est absurdum. Confirmatur, quia diuisiones illæ quas Deus hodie simul cognoscit, simul existerent, nihil amplius esset diuisibile in lapide alioqui Deus non cognouisset omnes: Ergo per eas diuisiones cognoscitur lapis redactus ad indivisibilia; atque adeo lapis non constat nisi indiuisibilibus, vnitis tamen de facto inter se, & consequenter constituentibus rem diuisibilem.

15. Septimum argumentũ tale est. Linea, quæ est quid continuum, constat solis punctis seu indiuisibilibus mathematicis: Nam si inter primum punctum terminatiuum lineæ & secundum, & inter secundum & tertiũ

nihil interiacet, & sic de cæteris, sequetur lineam constare solis punctis: Sed verum prius: vel enim interiaceret aliquid indiuisibile, & sic non impedietur compositio ex solis indiuisibilibus, & inter primum & secundum punctum seu indiuisibile dabitur aliud indiuisibile quod est absurdum: vel interjaceret aliquid diuisibile, & sic cum illud diuisibile habeat partes copulatas punctis, sequetur inter primum & secundum punctum dari alia puncta, quod est absurdum. Dices non dari secundum aut tertium punctum, sed dari alia infinita aut finita in infinitum. Sed contra sic insto: vel inter primum punctum & reliqua interjacet aliquid, vel nihil, & sic recurrit prius argumentum. Dices, non posse dici inter primum & reliqua; quia reliqua sunt infinita; de infinito autem numero non posse dici inter primum & reliqua, quia τὸ reliqua exhaurit, infinitum autem exhauriri non potest. Sed contra sic insto: Possum dicere quod est; at est primum & reliqua, ergo &c.

16. Octauum argumentum sic se habet: Si lineæ sint immediatæ in continuo, putà in superficie ligni, etiam puncta erunt immediata in linea: Sicut enim se habet linea ad superficiem, sic se habet punctum ad lineam: Sed lineæ sunt immediatæ in superficie ligni: Nam si lignum teres partim in aëre, partim in aqua existat tangetur à duabus extremis lineis circularibus aëris & aquæ se tangentibus, quibus respondere debent duæ lineæ immediatæ in ligno. Dices duabus lineis immediatis aëris & aquæ respondere tantum vnam in ligno; eò quod duæ illæ sint contiguæ atque adeo penetratæ, duabus autem penetratis vna respondere potest. Sed contra sic insto: Duæ illæ lineæ sunt quantitates, atque adeo extensæ, & habentes partes extra partes, & per consequens in diuersis locis existentes; non igitur sunt penetratæ.

17. Nonum argumentum tale est. Si continuum non constaret solis indiuisibilibus, sequeretur non posse dari actionem vniformiter difformem: Nam cum corpus lucidum verbi gratiâ aërem illuminat, si lux certo gradu intensa non reciperetur in parte indiuisibilis aëris, sed in diuisibili; jam ea pars diuisibilis habebit duas medietates æqualiter illuminatas, quod repugnat actioni vniformiter difformi. Cæterum agere difformiter est producere qualitatem inæqualiter intensam seu perfectam in diuersis partibus subjecti. Agere vniformiter est producere qualitatem æqualiter perfectam in omnibus partibus subjecti. Agere verò vniformiter difformiter est producere qualitatem inæqualiter perfectam in partibus subjecti certâ proportione propinquitatis & distantiæ, adeo vt propinquiores recipiant perfectiorem qualitatem quàm remotiores; siue hoc fiat per singulas partes, quo modo seruatur proportio arithmetica; siue per interualla tantùm, quo modo seruatur proportio geometrica, quam non admitto.

18. Aristoteles existimauit corpus continuum non componi ex indiuisibilibus, sed ex diuisibilibus in infinitum, quod probatur his argumentis

mentis. Primum argumentum sic procedit. Suppono lineam constantem nouem punctis mathematicis, aut alio numero impari punctorum. Suppono etiam Deum creare duo corpora æque velociter mobilia, quæ moueantur simul supra einsmodi lineam, vnum ex parte orientali, alterum ex parte occidentali. His suppositis sic formatur argumentum: Duo corpora æque velociter mobilia quæ simul mouentur supra eandem lineam, vnum ex parte orientali, alterum ex parte occidentali, tandem occurrunt: At duo corpora quæ æquè velociter mouentur supra lineam constantem nouem punctis mathematicis, nunquam possunt occurrere, quod sic probatur: vel talis occursus fieret, postquam vnum percurrit quatuor puncta orientalia, & alterum quatuor puncta occidentalia: vel postquam vnum percurrit quatuor & alterum quinque: vel postquam ambo percurrerunt quatuor cum dimidio quinti: Sed nullum horum dici potest: Non primum, quia duo corpora in occursu se tangunt; at non se tangerent, quia inter ea interjaceret vnum punctum scilicet quintum: Non secundum, alioquin non essent æque velociter mobilia & mota, quod est contra suppositionem: Non tertium, quia cum punctum mathematicum non habeat partes, est prorsus indiuisibile, atque adeo non habet medietates, & per consequens non datur dimidium talis puncti.

19. Secundum argumentum tale est. Continuum est in infinitum diuiduum, vt patet ex spatio inter duas lineas parallelas interjecto, hoc pacto. Ponatur in extremitate vnius lineæ parallelæ, extremitas alicujus fili, & super alteram lineam priori parallelam filum trahatur, sed priùs notatum aliquâ notâ nigrâ in ea parte quæ primò trahitur; certè pars illa fili notâ nigrâ notata, continuè recedet à linea super quam trahitur filum, & semper accedet ad alteram, nunquam tamen perueniet ad illam, quod signum est spatij infiniti; si autem spatium sit in infinitum diuiduum, etiam corpus continuum quod occupat ejusmodi spatium erit diuisibile in infinitum. Nec dicas dari aliquod punctum in spatio interjecto ad quod cum peruenerit pars illa fili nigro signo notata, non ampliùs movebitur. Nam si filum semper trahatur supra lineam parallelam, sequetur lineam diagonalem à filo tracto factam non ampliùs rectam, quod est contra experientiam, vel sequetur duas lineas rectas habere commune segmentum, quod implicat.

20. Tertium argumentum est ejusmodi. Si corpus constaret solis punctis seu indiuisibilibus mathematicis, sequeretur costam quadrati esse æqualem diametro: Si enim à singulis punctis vnius costæ seu lateris ad singula puncta alterius costæ oppositæ ducantur lineæ rectæ, nullum erit punctum in diametro per quod non transierit aliqua linea ducta ab vna costa ad alteram, siquidem tota area quadrati replebitur; atque adeo non plura erunt puncta in diametro quam in costa, quod sensui repugnat.

21. Argumentum quartum sic se habet. Si corpus constaret solis punctis, sequeretur tot esse partes in minori circulo ac in maiori circa idem centrum ducto, & per consequens duos circulos concentricos esse æquales: Si enim ab omnibus punctis circumferentiæ maioris circuli ducantur lineæ rectæ vsque ad centrum, secabunt omnes minorem circulum, singulæ in puncto proprio; atque adeo minor seu interior circulus tot habebit puncta quot maior seu exterior, & per consequens ambo circuli erunt æquales, quod repugnat sensui. Nec dicas lineas ductas à circulo maiori coincidere: Nam duæ lineæ rectæ in vnum punctum concurrentes; si vlteriùs rectà protrahantur, decussantur & in crucis formam abeunt; & si concurrentes in idem centrum tendant, vel ambæ erunt obliquæ, vel altera eorum; si enim ambæ essent rectæ haberent commune segmentum quod implicat.

22. Argumentum quintum ita se habet. Si continuum constaret solis punctis, sequeretur diametrum seu lineam diagonalem quadrati esse lateri seu costæ commensurabilem, idest sequeretur diametrum & costam posse mensurari eadem mensura, scilicet puncto: At ex omnium Mathematicorum sententia diameter quadrati est incommensurabilis costæ.

23. Argumentum sextum tale est. Si corpus constaret solis punctis, puncta essent contigua: At non sunt contigua; quia si se tangerent, vel in toto, vel in parte; non in parte, cum punctum non habeat partes; non etiam in toto, alioquin se penetrarent.

24. Septimum argumentum tale est. Si continuum constaret solis punctis, sequeretur mobile velocius & mobile tardius æquali tempore æquale spatium conficere; quia dum mobile velocius, putà Achilles, percurrit vnum indiuisibile seu punctum, mobile tardius putà testudo percurrit etiam vnum punctum, sicque de cæteris punctis percurrendis: Non enim mobile tardius potest percurrere partem puncti, cum punctum non habeat partes; non etiam nihil, quia supponitur moueri. Responderi potest in motu tardiori intercedere quietes, & tarditatem motus oriri ex interiectione quietum.

25. Quidam recentiores Philosophi existimant continuum componi ex punctis inflatis, rarefactis, virtualiter extensis, & spatium diuisibile occupantibus, quod probatur refutatione aliarum opinionum; impugnatur verò his argumentis.

26. Primum argumentum sic procedit. Spatium, quod creditur continuum, non potest constare punctis inflatis 1. quia secundum eos sola corpora possunt rarefieri & inflari: At spatium non est corpus, vt probabitur infrà cum de loco 2. quia punctum inflatum occupat spatium diuisibile; aut punctum spatij non occupat spatium, tantùm abest vt occupet spatium diuisibile.

27. Secundum argumentum tale est. Punctum inflatum ita virtualiter extensum est in spatio, vt in eo mente saltem distinguere liceat diuersas par-

partes; quatenus diuersis spatij partibus coexistit; quo posito sic formatur argumentum: vel partes virtuales puncti inflati, & partes reales spatij à puncto inflato occupati, sunt numero finitæ, vel infinitę: Si finitæ, putà quindecim tantùm, quælibet pars est indiuisibile mathematicum; si enim quælibet pars sit divisibilis, putà in duas medietates, sequetur fuisse triginta, & non quindecim tantùm: si infinitæ tunc spatium realiter, & punctum inflatum virtualiter erit divisibile in infinitum, vnde sequentur omnia absurda quæ suprà attulimus contra infinitum.

28. Tertium argumentum sic se habet. Spatium occupatum à puncto inflato est realiter divisibile in duas medietates, quæ sunt duo minora loca; cum igitur punctum inflatum sit totum simul in vtraque medietate, sequetur esse simul in duobus locis, quod est absurdum.

29. Quartum argumentum est ejusmodi. Nullum agens agit extra sphæram suæ actiuitatis, sed intra certum spatium, putà candela accensa res illuminat intra certum spatium vltra quod non potest illuminare: Iam ponatur punctum densum, putà punctum ferri in extremitate illuminationis, certum est tale punctum illuminatum iri, cum sit in vltima parte spatij illuminati: si verò punctum illud ferri ita inflетur & rarefiat vt virtualiter extendatur vltra extremitatem illuminationis, clarum est punctum illud non illuminatum iri; vnde sequetur eandem entitatem puncti simul fore illuminatam & non illuminatam, quod est impossibile. Denique tempus & motus non constant punctis inflatis, sed punctis mathematicis, vt probatum est suprà: Ergo nec spatium, nec corpus, vt suprà.

30. Democritus & Epicurus existimarunt corpus continuum componi ex atomis figuratis, quod sic impugnatur. Vel atomus Democriti habet partes, vel non: si hoc, erit punctum seu indivisibile; quod vel occupabit spatium divisibile, vel indivisibile: si divisibile, erit punctum inflatum, si indivisibile, erit punctum mathematicum, compositio autem ex ejusmodi punctis suprà refutata est: Adde quòd atomi Democriti habeant trinam dimensionem, & sint figuratæ, putà quadratæ, sphæricæ &c. at quod tale est, necessariò habet partes: si habeat partes, vel partes illæ constant aliis partibus minoribus, & hæ minores constant alijs minoribus, & sic in infinitum, vel tandem deveniendum ad partes minimas prorsus partibus carentes: si prius, ferè coincidit cum sententia Aristotelis suprà refutata: si posterius, ferè coincidit cum sententia Pythagoræ supra refutata.

mundus erit repletus angelis & animis rationalibus.

8. *Probabiliter dici potest locum seu spatium non distingui ab immensitate divina, atque adeo à Deo*: Spatium enim est infinitum & æternum; solus autem Deus est æternus & infinitus, qui prout recipit omnia in seipso dici potest locus omnium rerum; & sic omnia sunt in eodem loco interno realiter, licet sint in diversis locis externis, vel in diversis locis internis virtualibus, quatenus sunt in diversis partibus virtualibus immensitatis divinæ, quæ cum non sit punctum aut in puncto habet extensionem virtualem infinitam.

9. Quod si quis nolit Deum esse locum, debet ponere spatium quoddam inane extra mundum, quod sit æternum & infinitum, & tamen non sit Deus, sed ens quoddam merè passivum & receptivum corporum: verùm tale spatium inane infinitum non dari videtur ex eo quòd spatium orientale sit finitum, necnon spatium occidentale, meridionale & septentrionale; ex quatuor autem spatijs finitis non potest fieri spatium infinitum, cum finitum additum finito non faciat infinitum. Nec dicas spatium orientale esse infinitum; nam sic vnum infinitum esset minus alio, cum infinitum spatium orientale sit minus spatio orientali & occidentali simul: vnum autem infinitum non esse maius aut minus alio, suprà probavimus dum de quantitate. Nec dicas totum illud spatium esse finitum: Nam cum Deus non sit vltra spatium, Deus erit finitus sicut spatium, quod dicere est impium; Deinde si aliquis homo poneretur in extremitate ejusmodi spatij finiti, posset porrigere brachium vltra tale spatium, nihil enim impediret; & sic brachium occuparet spatium vltra omne spatium, quod est absurdum.

10. *Locus* vel *artificialis*, qui est instrumentum aptum ad rem continendam, vt dolium respectu vini: vel naturali, qui opponitur artificiali & violento: *Prout opponitur artificiali*, est locus non se habens vt vas; at *prout opponitur violento*, est locus ad quem corpora naturâ suâ feruntur, & in quo naturaliter quiescunt & conservantur, vt terra respectu corporum gravium: *Locus* verò *violentus* est ille ad quem naturaliter non feruntur & in quo naturaliter non quiescunt, vt aër respectu lapidis.

11. Rursus, *locus* vel *externus*, qui est superficies vnius corporis proximè ambientis alterum: vel *internus* qui est spatium corpore repletum.

12. Præterea, *locus* vel *communis*, quia multa corpora continet, vt mare quod continet pisces: vel *proprius*, qui vnum corpus tantùm continet immediatè.

13. Item, *locus* vel *totalis* seu *adequatus*, qui totum locatum continet: vel *partialis* seu *inadequatus*, qui partem tantùm locati continet; & sic homo in aqua & aëre existens dicitur esse in duobus locis partialibus.

14. Denique *locus* vel *circumscriptiuus*, qui est locus corporum, quando sc. totum corpus est in toto loco, & partes corporis in partibus loci: Vel *definitiuus*, qui est locus spirituum, quando sc. tota res est in toto loco, & tota in singulis partibus, vt Angelus; cum enim Angelus non habeat partes, vbi est ibi totus est: Alij addunt locum *repletiuum*, qui omnia continet vt spatium infinitum quod Deo conuenire credunt.

15. *Locus est immobilis, & separabilis à locato.* Est ipsi æqualis, si sit internus: continet ipsum, si sit externus: Habet vim generandi, conseruandi & perficiendi locatum, si sit locus naturalis connotans qualitates aliquas generatiuas conseruatiuas, & perfectiuas locati: tandem locus est terminus motus localis, quia corpora mouentur, vt acquirant locum.

16. *Plura corpora non possunt esse simul in eodem loco*: alioquin non essent quanta & extensa: quod enim extensum est habet partes extra partes, at adeo in diuersis locis existentes.

17. Dices, *in calicem aqua plenum posse injici plures nummos aquâ effluente; vas cineribus repletum tantùm aquæ capere posse quantùm si esset vacuum: ferrum candens ab igne penetrari: Christum penetrasse vterum virginis, sepulchrum, ianuas clausas, & cælos.*

18. Respondetur, calicem intumescere in formam globosam antequam effluat aqua, atque adeo attolli aquam proiectione nummorum: Cineres multùm ignis & aëris continere, qui ab aqua expelluntur; & si valde calidi sint, plurimùm aquæ in vaporem solui: In ferro esse poros innumeros aëre plenos, qui expellitur ab igne: Et satius est admittere vacuum quàm penetrationem dimensionum: Christum non esse ingressum ad discipulos per januas clausas, sed τῶν θυρῶν κεκλεισμένων idest cùm fores essent clausę, quæ verba denotant tempus introitus, non autem modum introitus, scilicet per penetrationem: Christum etiam non penetrasse vterum virginis, cum de eo dicatur. *Luc* 2. 23. omnis masculus aperiens vterum sanctus erit Domino: nec tamen Maria desiit esse virgo, quatenus virgo sumitur pro ea quę non coiuit cum viro: Christum non penetrasse lapidem sepulchri, cum Angelus deuoluerit ipsum ab ostio *Matth.* 8. 2. Christum penetrasse cœlos penetratione impropriè dictâ quę fit per traiectionem vnius corporis & cessionem alterius, non autem penetratione propriè dicta, quæ fit per positionem plurium corporum in eodem loco.

19. *Vnum numero corpus non potest esse simul in pluribus locis adæquatis* quod probatur his argumentis: Primum argumentum sic procedit: Si Petrus verbi gratiâ esset simul Romæ & Luteria, distaret à seipso, quod enim est Romæ distat ab eo quòd est Luteriæ nisi sit in spatio intermedio: Sed implicat contradictionem aliquid distare à seipso; eo quod inter res distantes sit relatio realis distantiæ, cum distans sit terminus relatiuus,

tivus, relatio autem realis sit inter plura, cum sit vnius ad aliud: Ergo &c. Petrum autem simul Romæ & Lutetiæ realiter existentem distare realiter à seipso, patet ex eo quod esset realiter magnum intervallum inter Petrum Romæ & Lutetiæ existentem, & quod Petrus Romæ existens posset realiter accedere ad seipsum Lutetiæ existentem.

20. Secundum argumentum tale est: Si Petrus simul poneretur Romæ & Lutetiæ, simul esset vnus & non vnus, quod implicat: Vnus quidem ex hypothesi: non vnus verò, quia vnum est indiuisum in se, & à se, cum nihil possit diuidi & separari à seipso: Sed quod est Romæ est divisum ab eo quòd est Lutetiæ, nisi sit in spatio intermedio: & quod est diuisum à corporibus proximis & intermediis, est etiam divisum à corporibus remotis & vltimis.

21. Tertium argumentum est ejusmodi: Si vnum corpus potest esse simul in pluribus locis, simul posset moueri & non moueri, putà si in vno loco ambulet, in altero verò sedeat: Esse sursum simul & non sursum, putà si in vno loco sit suprà turrim, & in altero sit in puteo: Simul comburi & non comburi, putà si in vno loco ponatur in medijs flammis, & in altero sit in aqua frigida: Simul esse mortuum & non mortuum, atque adeo simul esse hominem & non hominem, putà si interficiatur Lutetiæ & non interficiatur Romæ &c.

22. Respondent Adversarij, duo esse genera prædicatorum accidentalium, alia enim sunt relatiua & localia quæ dependent à loco, vt esse sursum & deorsum distare & propinquum esse, alia verò absoluta quæ non dependent à loco, vt calor & frigus, vita & mors: Alij autem volunt vtraque accidentia vtrobique reproduci: Alij neutra: Alij verò absoluta, non autem relatiua seu localia.

23. Contra hanc responsionem, dico primò, accidentia localia non reproduci in vtroque loco: Quia accidentia localia fundantur in præsentia & vbicatione locali, & vbicatio fundatur in diversa spatij connotatione; duæ autem partes spatij non possunt esse simul, atque adeo nec connotari simul: Et revera corpus Christi secundum Adversarios non habet in cœlo & in hostia consecrata eadem accidentia localia; cum in cœlo extensionem actualem in loco habeat, non autem in hostia; aperiat oculos in cœlo, non in hostia, cum sit in puncto; in vna hostia moveatur versus ægrum, in altera non moveatur, sed quiescat in altari &c.

24. Dico secundò, quòd si nulla reproducantur, Petrus simul Romę & Lutetiæ existens poterit esse simul mortuus & non mortuus, homo & non homo putà si interficiatur & moriatur Romæ non Lutetiæ; homo enim mortuus non est homo.

25. Dico tertiò multa accidentia absoluta pendere ab agente aut alio extrinseco, vt calor & frigus, sensationes, nutritio & accretio, &c. Calor enim non potest esse aut conseruari sine calefactione productiva aut conservativa caloris, quæ est accidens locale; Et

calor non poteſt eſſe de nouo in corpore niſi recipiatur in ipſo, receptio autem eſt paſſio, quæ identificatur cum actione quæ eſt accidens locale: Senſationes dependere ab obiecto manifeſtum eſt: nutritio & accretio dependet à ſubſtantia alimenti quæ eſt tantùm in vno loco.

26. Quartum argumentum ſic ſe habet: Si vnum corpus eſſet ſimul in pluribus locis, primò ſequeretur vnum granum tritici poſſe eſſe maius tota Europa, ſi ſcilicet reproduceretur per vniuerſum mundum: Secundò ſequeretur candelam vnam exiguam accenſam poſſe illuminare totum mundum, ſi ſcilicet reproducatur aut conſtituatur in ſingulis partibus mundi, & ſic magis illuminabit & maiorem lucem habebit quàm centum millia maiorum candelarum. Tertio, ſequeretur omnes homines poſſe ſimul bibere in eodem calice, ſi ſcilicet prope omnes homines reproducatur, quod ſi calix frangeretur Lutetiæ, vel frangeretur in omnibus alijs locis, vel non: ſi frangatur in omnibus, qui fregit aget vltra ſuas vires, & vltra ſphæram ſuæ actiuitatis; ſi non frangatur, ſequetur eundem calicem eſſe fractum & non fractum ſimul, quod eſt contradictorium. Quartò, ſequetur in vna gutta aquæ committi poſſe prælium nauale, ſi ſcilicet toties reproducatur immediatè quot ſunt guttæ in Oceano; & ſuſtineri poſſet eſſe vnicam guttam aquæ in mari & in toto mundo reproductam vbi reperitur aqua &c.

27. *Vbi* eſt accidens quo res eſt in loco: Eſtque vel circumſcriptiuum, vel definitiuum, quibus alij addunt repletiuum de quibus ſuprà. Vbi eſt genus infimum habens tantùm ſub ſe duas ſpecies infimas, ſcilicet circunſcriptiuum & definitiuum, & ideo eſt tantùm genus ſummum negatiuè, quatenus ſcilicet non habet ſuprà ſe genus niſi analogum, ſcilicet ens.

28. *Quando* eſt accidens quo res eſt in tempore: Eſtque vel ſpirituale vel corporeum; ideo eſt tantùm genus ſummum negatiuè, vt dictum eſt de vbi.

29. *Vbi & quando diſtinguuntur à re & loco aut tempore*: Quia res eſt & hic locus eſt, & tamen ſæpe res non eſt in hoc loco, putà Petrus eſt & templum eſt, & tamen Petrus non eſt in templo: Ergo eſſe in hoc loco eſt aliquid aliud præter Petrum & templum. Inde fit vt eſſe locatum ſeu eſſe in loco, non ſit denominatio intrinſeca deſumpta à loco ſed intrinſeca deſumpta ab exiſtentia in loco.

30. De quando res non eſt tam clara, an ſcilicet diſtinguatur à re & tempore: Nam ſi res ſit & hoc tempus ſit neceſſariò res eſt hoc tempore: Attamen cum res ſit indifferens vt ſit hoc tempore vel alio & poſſit eſſe ſine hoc tempore, ſicut hoc tempus poteſt eſſe ſine tali re, manifeſtum eſt rem poſſe concipi & hoc tempus poſſe concipi quin res concipiatur eſſe hoc tempore, atque adeo rem & hoc tempus poſſe concipi ſine quando; nihil autem poteſt concipi ſine eo cum quo identificatur: Ergo quandò ſeu eſſe in tempore eſt aliquid aliud præter rem & tempus: Et hinc fit vt eſſe temporale ſeu eſſe in tempore non ſit deno-

denominatio extrinſeca deſumpta à tempore, ſed intrinſeca deſumpta ab exiſtentia in tempore.

31. *Situs* eſt diſpoſitio partium in toto ſi ſit ſitus internus, eſt verò diſpoſitio partium in loco ſi ſit ſitus externus: Situs externus non differt realiter ab vbi circunſcriptiuo: At ſitus internus ab eo diſtinguitur realiter; quia res mutans locum corporeum ſeu circunſcriptivum & acquirens alium poteſt retinere eundem ſitum internum: Et cum vnio harmonica partium materialium, quæ eſt forma eſſentialis compoſitorum naturalium purè materialium, non diſtinguatur à ſitu earum, dici poteſt talem vnionem reuocandam ad ſitum, aut potiùs ſitum reuocandum eſſe ad prædicamentum vnionis.

CAPVT SEPTIMVM.

De Vacuo.

1. QVædam perexiguæ vacuitates per vniuerſum mundum inter corpora & partes corporum ſunt interiectæ; atque adeo *datur naturaliter vacuum*, quod probatur his argumentis.

2. Primum argumentum ſic procedit: Niſi daretur ſpatium aliquod vacuum in mundo non poſſet fieri motus localis ſine penetratione corporum, quàm impoſſibilem eſſe ſuprà probavimus: Si enim hic locus haberet centum millia atomorum, & plures capere non poſſet, certè nulla ex his atomis poſſet moveri ſine penetratione; & ſi omnia ſpatia ſint plena atomis, impoſſibile eſt vt vna atomus cedat ſuum locum alteri, cum non habeat quò ſe recipiat: Corporis proprium eſt motui obſtare; ſi igitur omnia eſſent plena atomis aut corporibus, obſtaculum motui vbiq; eſſet. Nec dicas per ſolam condenſationem aliquarum partium corporearum, moueri poſſe alias per ſpatium relictum: Nam ſuprà probavimus nullam dari talem rarefactionem aut condenſationem corporum.

3. Reſpondetur, quòd in pleno quidem ſecundum omnes ſuas partes quieſcente, initium motus eſſe non poſſit; ſed nihil inde colligi poteſt ad probationem vacuit: Nam ſi vacuum eſſe concederetur, corpora autem omnia illi intermixta ſemel & ſimul quieſcerent, nunquam ea mouerentur; cum nihil poſſit moveri niſi à moto & contiguo, vt probatur dum de motu. Dicendum igitur Deum creando mundum, communicaſſe motum quibuſdam eius partibus & quietem alijs, & iam per ſolum ſuum concurſum ordinarium tantundem motus & quietis quantum tunc poſuit in mundo conſeruare; adeo vt ſuperſit eadem quantitas motus in toto mundo ſit, licet in ſingulis eius partibus mutetur, ita ſcilicet vt quanto motus vnius partis lentior ſit, tantò motus alicuius alterius ipſi æqualis fiat cele-

rior. Ex hoc autem quòd loca omnia corporibus sint plena, semper quæ easdem materiæ partes æqualibus locis coæquentur, sequitur nullum corpus moueri posse nisi in circulum, ita scilicet vt corpus vnum aliud expellat ex loco quem ingreditur, hocq; rursus aliud vsq; ad vltimum quod in locum à primo derelictum eodem momento quo derelictus est ingreditur.

4. Secundum argumentum tale est: Esto pneumatica bombarda, & sit pars tubi aërem comprimendum continens digitorum duorum: Si nulla sint spatiola vacua illa aëri intermissa, tanta erit moles aëris quanta est capacitas seu locus intra tubum atque adeo numerus partium aëris erit æqualis numero partium loci, & nulla erit vel minima pars loci cui aliqua particula aëris non sit adæquata: Esto igitur numerus partium aëris mille; comprimatur deinde aër, & ad vnius digiti spatium redigatur: Quæro quo modo se in illo tubo habeant mille partes aëris, siquidem jam loci non sunt nisi quingentæ? certè vel duæ partes aëris ponentur in vno loco adæquato, vel vna pars antea erat in duobus locis, vel erant vacuitates non occupatæ ab aëre, duo priora sunt impossibilia vt suprà, ergo hoc vltimum verum.

5. Tertium argumentum est ejusmodi: Esto Æolipila cuius capacitas partim aquâ partim aëre sit oppleta; vbi ad ignem opponitur & incalescens aqua in vaporem rarescit, ac osculo exilissimo erumpit summo impetu, quomodo potest eadem capacitas semper oppleta perseuerare? Nam si ante calefactionem partes aëris & aquæ simul exæquabantur numero partibus capacitatis, quæso dum tot aquæ & aëris partes excedunt, nonne vnaquæque superstitum debebit plures partes capacitatis simul occupare, sicque in pluribus locis simul esse? vel anteà fuisse plures in eodem loco, vel fuisse vacuitates? non duo priora vtpote impossibilia: ergo hoc vltimum verum.

6. Quartum argumentum probat intra aquam vacuitates dari hoc pacto. Non potest aqua quantitatem salis quantamlibet exsoluere, ac in se transfusam veluti concipere, sed ad certam solùm mensuram, adeo vt satiata quicquid superest inexsolutum relinquat; cuius rei ratio alia non est nisi quòd abeunte sale in particulas minutissimas, deberent esse intra aquam spatiola ipsis excipiendis capacia, quibus repletis exsolutio cessaret, eo modo quo vasa liquore oppleta superinfusum non admittunt: Verùm cum salis corpuscula sint cubica, poterunt quidem replere spatiola quæ cubica fuerint; at cum non tantùm sal commune, sed etiam alumen quod est octaedricum, halinitrum item, & sal ammoniacum, saccarumque & alia quæ sunt aliarum figurarum eadem aquâ exolui possint, necessariò erunt in aquâ spatiola octaedrica & aliarum figurarum, adeo vt aqua licet sale saturata, possit tamen exsoluere & alumen & alia. Et hac ratione intelligi potest cur aqua satietur tincturis rerum, puta Senæ, Rhabarbari, & aliorum quæ per infusionem solent exprimi, & cur non ita illam capiat vnius satietas, quin ad aliam adhuc idonea remaneat.

7. Quintum argumentum petitur ex eo quòd radij solares, qui sunt cor-

corpora ſubtilia transfeant per lageuam aqua repletam, & alia corpuſcula ignea penetrent in corpora ſolidiſſima, quod fieri non poſſet niſi in aqua & alijs corporibus ſolidis eſſent ſpatiola vacua, & meatuli inanes tranſitum præbentes.

8. Ad hæc quatuor argumenta nihil aliud reſponderi poteſt, niſi quòd in aqua & in corporibus ſolidis, in bombardarum pneumaticarum tubis, in æolipidis &c. ſit aura ætherea omnibus alijs corporibus quantumvis tenuiſſimis ſubtilior, quæ cedit locum igniculis, radijs ſolaribus, alijſque corpuſculis advenientibus.

9. Sextum argumentum deſumitur ex eo quòd meliùs redditur ratio fluiditatis & firmitatis, mollitiei & duritiei corporum; adeo vt illa corpora ſint firmiora & duriora, inter quorum partes pauciores ſunt vacuitates; fluidiora verò & molliora inter quorum partes plures ſunt vacuitates: Et meliùs redditur ratio rarefactionis & condenſationis corporum, ſi qua ſit; adeo vt illa corpora ſint denſiora quæ habent pauciores vacuitates, rariora verò quæ habent plures.

10. Ariſtotelei aſſerunt nec eſſe vacuum, nec fieri poſſe vacuum naturaliter ideſt ab agente naturali: Dicunt enim naturam fugere vacuum. Primò ob inclinationem naturalem corporum ad impediendum vacuum, Secundò, quia res ſingulæ ſtudent incolumitati publicæ totius vniuerſi, quæ nulla alia re magis procurari poteſt quàm conjunctione omnium partium nullo vacuo interjecto inter eas. Tertiò, ob dependentiam corporum ſublunarium à cœleſtibus per influxũ, qui cum ſit accidens impediretur per vacuum, ſic enim accidens eſſet ſine ſubjecto, quod eſt impoſſibile. Quartò, quia talis ordo conſtitutus eſt ab Authore naturæ, quẽ mutare non eſt in poteſtate agentium naturalium. Denique, multæ experientiæ idem probant: Nam corpora gravia interdum aſcendunt metu vacui, cum enim quis per tubum in aquam immenſum ex parte attrahit aërem, aqua aſcendit metu vacui: Item follium latera diduci non poſſunt, quando iu clauſo orificio non patet ingreſſus aëri: Rurſus tormenta bellica franguntur aliquando, dum ignis tanto impetu egreditur vt pari celeritate aër in ejus locum ſuccedere non poſſit: Præterea lagenæ os anguſtius habentes, licet aqua plenæ, ſi invertantur, non tamen effluet aqua, eò quòd aëri non poteat ingreſſus; & ob eandem rationem ex dolio pleno non poteſt educi vinum niſi aperto foramine in ſuperiori parte: Vas etiam aqua calida repletum, & in aqua frigida poſitum propter condenſationem aquæ frangitur metu vacui, &c.

11. Reſpondetur, quòd neq; mundus, neque ordo vniuerſi everteretur per poſitionem vacui; cum potiùs nullus motus fieri poſſet ſine vacuo. Ad illud de influentijs, reſpõdetur influxus cœleſtes eſſe corpora ſubtilia, & quaſi effluentia ſubſtantialia aſtrorũ, atq; adeo admiſſo vacuo non propterea accidentia fore ſine ſubjecto; adde quòd licet influxus eſſent accidentia, attamen propagatio eorum fieri poſſet per latera corporum. Denique ad experientias reſpondetur, abhorrere quidem naturam à vacuo ali-

quo magno, at non à spatiolis vacuis insensibilibus: Et si aliquod corpus grave ascendat aut leue descendat, id fieri non metu alicuius vacui præcisè, nec fortè metu vacui noui aut maioris, sed quia violenter sursum aut deorsum pellitur ab aliquo corpore pulso proximè vel remotè ab alio.

CAPVT OCTAVVM.

De Tempore.

1. DVratio est existentia continuata, seu perseverantia in esse: Estque triplex, scilicet *æternitas*, quæ est duratio carens principio & fine, conveniens propriè soli Deo: *Æviternitas*, quæ est duratio habens principium, sed carens fine, conveniens Angelis animæ rationali, & materiæ primæ: Et *tempus*, quod est duratio habens principium & finem, conveniens motui & rebus mutationi obnoxijs.

2. *Tempus* communiter definitur duratio motus successiui. A Veteribus dicitur illud quod constat momentis sibi invicem succedentibus; momentum verò est pars indiuisibilis temporis. Ab Aristotele tempus definitur mensura seu numerus motus secundum prius & posterius, quod potissimùm intelligitur de tempore externo.

3. *Tempus* communiter dividitur in *internum*, quod est duratio motus successiui in ipso mobili existens: & *externum* quod est communis quædam mensura per quam metimur reliquos motus, qualis est duratio motus solis Tempus etiam vel *præteritum*, quod est duratio motus præteriti: vel *futurum*, quod est duratio motus futuri: vel *præsens* quod physice creditur esse momentum seu instans; moraliter verò dicitur duratio motus continui non interrupti, licet diu duret.

4. *Tempus* secundum aliquos, *nec est motus*, *nec duratio motus*: Quia si tempus nihil aliud esset quàm motus, sequeretur tot esse tempora quot motus, quod tamen est absurdum, cum multi motus eodem tempore fieri possint, putà plures homines eodem tempore possint deambulare. Deinde, Deus potest creare plures mundos isti similes in substantia, in motu, & in alijs operationibus; quo casu plures essent motus cœlorum aut Solium, & tamen non essent plura tempora, siquidem ejusmodi cœli aut Soles simul & eodem numero tempore moverentur. Rursus, vnus motus est velocior aut tardior sæpius altero, tempus verò est semper æquale, & celeritas aut tarditas dicuntur de motu, non autem de tempore. Denique tempus malè dicitur duratio motus, cum nulla entitas motus duret, sed partes motus statim esse desinant.

5. Quamvis

5. Quamvis autem secundum eos, tempus non sit motus aut duratio motus, attamen cognoscitur & mensuratur motu, putà motu seu fluxu horologij metitur fluxum temporis: Et quia nullus est motus generalior, constantior, & notior motu Solis ideo talis motus assumitur quasi generale quoddam horologium ad mensurandum temporis fluxum: Non quòd si sol moveretur velociùs aut tardiùs, tempus propterea fluxurum esset celeriùs aut tardiùs, sed quia qualiscúnque sit motus Solis, assumitur à nobis ad metiendum tempus, qui motus Solis si fuisset duplo velocior, non propterea tempus fuisset duplo celerius, sed tantùm spatium duorum dierum æquivaluisset vni nostro; si verò fuisset duplo tardior vnus dies æquivaluisset duobus nostris. Tempus igitur non est motus, nec à motu dependens, sed tantum motu judicatur, vt mensuratum à mensura; atque adeo motus est potiùs mensura temporis, quàm tempus mensura motus.

6. Verùm responderi posset, plura corpora & plures motus, licet simul existant, idest coexistant, non tamen eodem tempore existere: Quia non existunt eadem duratione, sed diversis; cum quælibet res habeat suam durationem diversam ab alijs, atque adeo habeat tempus diversum: Ideo cùm duæ res existunt simul, sunt coexistentes, idest vna existit & altera existit; sed non eodem tempore existunt saltem intrinseco; existunt verò eodem tempore extrinseco, quando datur tale tempus extrinsecum sive actuale sive possibile, quo possint mensurari.

7. Tempus secundum alios est æternum, infinitũ, constans partibus infinitis realiter distintis, & immediatè sibi succedentibus. Verùm contra dico primò, inde sequi vnum infinitum esse minus alio, quod suprà refutatum est dum de quãtitate: Id autem sequi patet, quia partes temporis præteriti essent infinitæ, quæ tamen sunt pauciores partibus tẽporis præteriti & futuri simul Dico secundò, tempus esse durationem, durationem autem non posse esse sine re durante: At nulla est res æterna & infinita præter Deum cujus duratio est æternitas carens partibus.

8. Tempus est ens rationis secundũ Epicurũ & Antiphanẽ, qui vt refert Stobæus existimarunt tẽpus esse quod constat non re, sed cogitatione. Verùm contra dico tẽpus aut durationẽ rei existere nemine cogitante; & validissimis rationibus probavimus in metaphysicis nullũ dari ens rationis.

9. Ego de tempore sic philosophandum censeo. Primò tempus præsens physicè sumptum pro momento aut instanti, nec est duratio, nec durat: Quia tale tempus statim atque existit desinit: At sumptum moraliter pro duratione motus non interrupti, est propriè duratio.

10. Secundò, potest concipi motus æqualis velocissimus qui ab initio mundi ad hunc vsque diem duraverit, & in æternum duraturus sit, cujus duratio mensuravit, mensurat & mensurabit durationes omnium motuum & omnium rerum creatarum, tanquam tempus externum earum; v. g. materia prima duravit & durabit in æternum, quia eius entitas respondet aut respõdebit omnibus partibus ejusmodi motus æqualis velocissimi aut

omnibus partibus durationis ejus, idemque dicendum de alijs æviternis, putà de Angelo, & anima rationali: Motus autem & reliqua entia mutationi obnoxia, quæ habent principium & finem, durarunt, durant, aut durabunt tantùm per aliquod tempus certum & determinatum, quia eorum entitates responderunt, respondent aut respondebunt quibusdam tantùm partibus certis & determinatis ejusmodi motus velocissimi aut durationis ejus, quæ sunt mensura externa aut tempus externum eorum. Talis autem motus æqualis velocissimus, nec est, nec fuit, nec erit actu; attamen quia potuit esse, & potest esse saltem divinitus, concipi etiam potest; atque adeo est cogitatione seu conceptu, non autem re seu actu, vt voluerunt Epicurus & Antiphanes; non tamen est ens rationis, cum non sit impossibile & purum nihil. Cum autem talis motus æqualis velocissimus non est satis nobis notus, loco ejus assumimus motum Solis quo tanquam tempore externo mensuramus durationes omnium aliorum motuum, & omnium entium creatorum.

11. Tertiò, non potest concipi motus æqualis velocissimus ab æterno, atque adeo nec tempus actu æternum & infinitum constans partibus & actu infinitis & realiter distinctis: Quia infinitum actu siue in magnitudine, siue in multitudine, siue in successione, est impossibile, vt probatum est dum de quantitate, & fusiùs disputatione de existentia Dei: Cum autem impossibile sit purum nihil, non potest concipi. Vnde fit vt duratio seu æternitas Dei, non sit ipsa entitas aut existentia Dei prout respondens omnibus partibus ejusmodi motus aut temporis actu infiniti: Et duratio reliquarum rerum, non sit ipsa entitas aut existentia rerum prout respondens quibusdam partibus ejusmodi motus aut temporis æterni & actu infiniti.

12. Quartò, Tempus est duratio rei habentis principium & finem: Et quia res habens principium & finem, est motui aut mutationi obnoxia, non malè tempus definitur duratio motus. Duratio autem rei habentis principium, sed non habentis finem, dicitur communiter æternitas, vt dictum est suprà.

13. Quintò, Duratio rei creatæ distinguitur realiter à re durante: Quia Petrum hodie durare est aliquid reale: Sed hoc est separabile à Petro seu ab existentia Petri, ergo est aliquid distinctum ab ea. Minor probatur quia Petrus existebat heri cum tota sua essentia & existentia, & potuit mori, quo casu non durasset hodie; ergo durare hodie realiter est separabile ab essentia & existentia Petri, alioquin nó posset esse Petrus nisi duraret hodie, sicut non potest esse essentia Petri quin sit animal rationale, quia hoc non distinguitur ab illa. Deinde, Petrus hodie durans, est indifferens ad durandum vel non durandum cras; at nihil est indifferens ad seipsum. Denique voluntas Dei de creando Petro in hoc instanti potiùs quàm in alio, habet pro objecto aliquid distinctum ab ipso Petro & ab instanti, scilicet simultaneitatem vtriusque quæ est separabilis ab vtroque & consequé et distincta; ergo duratio quæ in illa simultaneitate consistit, est distincta à

Petro

Petro & instanti. His adde quòd creatio & conseruatio sint duæ actiones realiter distinctę, vt probabitur posteà, atque adeo debent habere terminos seu effectus distinctos: At terminus creationis est existentia rei, terminus verò conseruationis est duratio ejus: Ergo existentia rei & duratio ejus distinguatur. Attamen sententiam contrariam probabilem censeo.

CAPVT NONVM.

De Actione passione & motu.

1. Actio est dependentia effectus ab agente; *Passio* verò est receptio rei in subjecto.

2. *Actio* dividitur in productionem & conservationem. *Productio* est actio quâ res ponitur extra suas causas efficienter, sicut per existentiam ponitur extra eas formaliter: *Conservatio* verò est actio quâ res perseuerat in suo esse.

3. *Productio* duplex est, scilicet creatio & eductio. *Creatio* est productio rei ex nihilo, idest independenter à subjecto, vt productio substantiæ: *Eductio* verò est productio rei dependenter à subjecto, vt productio accidentis: Ideo creatio est actio substantialis; & eductio est actio accidentalis.

4. *Conseruatio propriè dicta* est actio quâ agens influxu suo impedit ne res abeat in nihilum & talis est conseruatio substantiarum: *Conseruatio* verò *impropriè dicta* est actio quâ vel arcentur contraria rem destruere valentia, vel conseruatur subjectum quo sustentatur & conseruatur accidens.

5. *Actio ratione subjecti*, vel *immanens* quæ manet in agente, vt intellectio & amor, vel *transiens* quæ recipitur in patiente, vt combustio *Ratione principij*, vel est artificialis, vel supernaturalis, vel naturalis, vel violenta, vel spontanea, vel coacta, vel voluntaria, vel inuoluntaria, vel necessaria, vel libera, de quibus suprà dum de causa efficiente, & fusius disputatione de libertate. *Ratione temporis*, vel est momentanea, vel successiva. *Ratione termini*, vel est substantialis vel accidentalis.

6. *Eductio*, vel est *generatio*, quâ materia transit à priuatione ad formam, vel *conversio*, quâ transit à forma ad formam, vel *accretio*, quâ vivens majus fit, vel *decretio*, quâ vivens minus fit, vel *alteratio*, quâ producitur qualitas, vel *productio motus localis*, quâ corpus transit ab vno loco in alium. Alteratio subdiuidi solet in intensionem & remissionem, rarefactionem & condensationem, de quibus suprà.

7. *Motus* definitur ab Aristotele actus entis in potentia prout in po-

tentia. Dicitur *actus*, non primus, qui est principium & causa actionis sed *secundus* qui est ipsa actio aut passio. Dicitur *entis in potentia*, siue illa potentia sit actiua, siue passiua: Cum autem ens in potentia actiua sit agens, & ens in potentia passiua sit patiens; clarum est actum entis in potentia nihil aliud esse quàm actum agentis & patientis, idest id quo agens aut patiens constituitur actu agens aut patiens, atq; adeo nihil aliud esse quàm actioné & passioné; & per consequens actioné, passioné, & motū secundum Aristotelem, esse idem realiter intrinsecè, & differre tantùm extrinsecè; sc. secundum diuersa connotata extrinseca; cum eadem entitas, quatenus est ab agente dicatur actio, quatenus est in subjecto patiente dicatur passio, & quatenus est via ad terminum dicatur motus, putà calefactio quatenus est ab igne dicitur actio, quatenus est in ligno dicitur passio, & quatenus est via ad calorem seu productio caloris dicitur motus. Deniq; dicitur *prout in potentia*, sc. ad terminum, putà motus ad statuā est motus ligni; non prout est actu lignum, sed prout est in potentia ad formam statuæ.

8. Quinque sunt generales species actionum aut motuum corporum. Prima est *motus simplex localis*, cum scilicet corpora mouentur localiter duntaxat, vt cùm globus tudiculâ pellitur ab homine. Secunda est *vnitio*, cùm scilicet corpora separata, aut partes eorum separatæ, non tantùm mouentur, sed motu vniuntur, vt cùm aqua & vinum miscentur. Tertia est *separatio*, cùm scilicet corpora vnita, aut partes eorum vnitæ, separantur. Quarta est *transpositio*, cùm scilicet corpora, aut potiùs eorum partes sine separatione mutant locum inter se, vt cùm oua macerantur. Quinta est *productio passionum in animalibus*, vt cùm ensis impactus in corpus hominis producit in eo dolorem aut sensum doloris.

9. *Motus simplex* varijs modis diuiditur. Primò, in directum, reflexum, & refractum: *Motus directus* fit cùm corpus motum per idem medium non incurrit in aliud corpus, quod ipsum à recto suo itinere deflectere possit: *Motus reflexus* fit cum corpus motum per idem medium incurrit in aliud corpus quod impedit ipsum ne vlterius progrediatur, & repellit ipsum versus medium vnde processerat, vt cùm pila projicitur in parietem, & paries repellit ipsam versus medium vnde processit, tunc enim motus pilæ à manu ad parietem est motus directus, & motus pilæ à pariete versus medium scilicet aërem vnde processit est motus reflexus: *Motus refractus* fit cùm corpus obliquè motum per diuersa media è recta sua via decedit, cùm enim transit à medio rariori ad densius accedit ad perpédicularem, cùm verò à densiori ad rarius recedit à perpendiculari, quæ erigitur in puncto incidétiæ: Quòd si corpus sit radius directus, pertinet ad Opticam specialem, si sit radius reflexus, pertinet ad Catoptricam; si verò sit radius refractus, pertinet ad Dioptricam. Secundò, motus simplex diuiditur in naturalem & violentum. *Motus naturalis* secundum aliquos est à principio interno, *violentus* verò ab externo; & sic omnis motus saltem

corporis sensu carentis esset violentus, quia quod mouetur ab alio mouetur: At secundum alios motus naturalis est juxta inclinationem corporis; violentus verò contra inclinationem ejus; & sic motus corporis nec esset naturalis nec violentus, cum corpus sit indifferens ad motum & quietem, vt probabitur posteà. Tertiò motus simplex dividitur in rectum, obliquum, & circularem seu curuum, prout corpus mouetur per lineam rectam, obliquam, aut circularem seu curuam; & ad circularem refertur motus funipendulorum: Denique motus simplex diuiditur in impulsionem, expulsionem, tractionem, attractionem, gyrationem, percussionem, dilatationem, compressionem &c.

10. *Vnitio & vnio varijs modis fit.* Primò cùm corpora aut partes eorum vniuntur sine destructione suæ figuræ sine productione alterius nouæ, & sine debilitatione virium aut actionum, vt cùm duæ aquæ vniuntur. Secundò, cùm corpora aut partes eorum vniuntur sine destructione suæ figuræ, & sine productione alterius nouæ, sed non sine debilitatione virium aut actionum, vt cùm aqua & vinum miscentur. Tertiò, cùm corpora aut partes eorum vniuntur sine destructione suæ figuræ, sed non sine productione nouæ ex earum vnione resultantis, & novum compositum constituentis; & hæc vnitio dicitur generatio simplex, scilicet generatio nouæ formæ sine destructione veteris, vt si elementa actu tem menentia mixtum aliquod constituerent. Quartò, cùm corpora aut partes corporum vniuntur cum destructione suæ figuræ seu formæ essentialis, & productione nouæ constituentis compositum novum, & hęc vnitio vocatur non tantùm generatio, sed etiam transmutatio & conuersio, vt cum semen convertitur in animal. Quintò, cùm corpus quod vnitur alteri, figuram suam deperdit, sed corpus cui vnitur non deperdit suam, vt cum alimentum varie alteratum & mutatum vnitur viventi, & hæc vnio vocatur nutritio, quòd si nutritione vivens fiat majus dicitur etiam accretio. Prima actio vocatur simpliciter vnio aut vnitio. Secunda dicitur alteratio: Tertia generatio simplex: Quarta generatio conuersiua aut conuersio: Quinta nutritio aut accretio.

11. *Separatio fit etiam variis modis.* Primò, cùm corpora aut partes eorum separantur sine destructione figuræ suæ seu formæ essentialis, sine productione alterius nouæ, & sine augmentatione & debilitatione virium aut actionum, vt cùm duæ partes aquæ vnitæ separantur. Secundò, cùm corpora, aut partes eorum non perdunt aut mutant figuras, sed fortiùs aut debilius agunt, vt si vinum separaretur ab aqua, fortiùs ageret. Tertiò, cùm corpora aut partes eorum per separationem perdunt aut mutant figuram, & nouam induunt, vt cùm partes ligni combusti mutantur in fumum aut cineres.

12. *Transpositio fit etiam variis modis.* Primò, cùm partes corporis locum mutantes seruant eandem figuram & actionem, ut patet in per-

cussione aquæ aëris, lactis &c. Secundò, cum partes corporis locum mutantes, perdunt suam figuram & novam induunt, vt cùm Christus mutavit aquam in vinum, ita transposuit partes aut atomos aquæ, vt figurâ seu formâ essentiali aquæ destructa, figuram seu formam vini acceperint.

13. *Productio passionum in animalibus non tantùm comprehendit passiones appetitus*, quæ ad amorem & odium referri possunt, de quibus fusè agetur in Ethica, *sed etiam passiones sensuum*, quæ sunt colores, soni odores, sapores, & passiones tactus, de quibus fusè agetur dum de anima.

14. *Actio distinguitur à sua causa*: Quia potest esse causa & non esse actio, atque adeo causa potest esse separata ab actione: Deinde, esse causæ non est ipsius agere, aloquin cum causa quandiu durat habet suum esse, semper ageret: Denique actio pendet à causa, nihil autem pendet à seipso.

15. *Actio distinguitur à termino seu effectu.* Quia potest esse effectus & non esse actio, putà motus lapidis existit post projectionem, mundus existit post creationem.

16. *Actio non est in agente, sed in patiente*; putà creatio non est in Deo, sed in creatura; calefactio non est in igne, sed in re calefacta, cum ignis non calefiat: Deinde, actio & passio identificantur; at passio est in patiente, ergo & actio: Denique si omnis actio esset in agente: nulla esset actio transiens. Quare si actio sit in agente, non vt est agens, sed vt est patiens; & tunc agens & patiens non distinguuntur: Et si actio & passio sint opposita connotatiuè, eò quòd connotent agens & patiens quæ sunt sæpè diversa, non tamen entitatiuè: Denique actio vt actio respicit tantùm subjectum denominationis non inhæsionis, & sub illa ratione neque consideratur vt accidens, neque vt non accidens, neque est perfectio agentis, sed connotat eam scilicet potentiam actiuam.

17. *Conservatio rerum non est continuata productio earum.* 1. Quia sicut non potest interfici homo mortuus: ità etiam homo viuus non potest viuificari: Et sicut res annihilata non potest annihilari, ita etiam res creata non potest creari: Ac tandem sicut non potest tolli esse ei quod non habet esse, ita etiam non potest dari esse ei quod jam habet esse: Vno verbo sicut res destructa non potest destrui nisi iterum producatur, ac postea destruatur, ita etiam res producta non potest produci, nisi corrumpatur & destruatur, ac postea producatur: Sed si conservatio esset continua productio rerũ, daretur vita homini viuo, crearetur res creata, & daretur esse ei quod habet esse, quod est absurdum. Ratio hujus rei petitur ex definitione destructionis & productionis: Sicut enim destructio rei est transitus ejus ab esse ad non esse, sic productio rei est transitus ejus à non esse ad esse, cum in omni destructione & productione reperiatur terminus à quo & terminus ad quem, qui duo termini sunt oppositi & semper realiter distincti. Sed in conservatione rei non reperiuntur ejusmodi termini
reali-

realiter distincti; cum in ea non fiat transitus a non esse ad esse, sed secundum Adversarios fiat transitus ab esse ad idem esse: Ergo conseruatio non est productio continuata. Dices, rem quæ producitur primo instanti, non esse secundo instanti, atque adeo transire à non esse secundo instanti ad esse secundo instanti, qui sunt duo termini oppositi quorum vnus est negatio alterius. Sed contra, sic haberetur intentum, scilicet quòd conservatio substantiæ non est continua productio ejus, sed tantùm productio durationis ejus: Nam esse secundo instanti non est esse simpliciter, sed esse accidentale duntaxat; & actio qua producitur simpliciter aliqua substantia, est actio substantialis; at actio qua substantia jam producta ponitur in aliquo loco aut tempore seu instanti est accidentalis: Adde quòd, si vt res producatur secundo instanti, sufficeret transitus eius à non esse secundo instanti ad esse secundo instanti; sequeretur rem etiam annihilari & destrui, cùm transit ab esse primo instanti ad non esse primo instanti; & sic conservatio esset continuata productio & annihilatio simul ejusdem rei, quod est absurdum. 2. Si conservatio esset productio continuata, sequetur nullam creaturam posse localiter moveri aut operari; quia operari sequitur esse, idest res debet produci, atque adeo debet esse, antequam operetur aut moveatur localiter, si igitur singulis instantibus producatur, non operabitur aut movebitur in illis: Deinde, productio creaturæ, sive sit creatio, sive generatio, est instantanea; motus verò localis est successivus; cùm igitur res producitur non movetur: Præterea, sequetur animal nunquam lassitudinem passurum; cum productio rei nullam ei lassitudinem afferat: Denique, homines non senescerent, & Creaturæ semper in eodem statu permanerent. 3. Si conservatio esset continuata productio, sequeretur Deum continuò producentem Diabolos & homines pessimos, esse causam omnium vitiorum & peccatorum habitualium; supponamus enim hominem vitijs omnibus inquinatum in syncopen aut apoplexiam incidisse; certè si Deus tunc ipsum producat, producet etiam omnia eius vitia, cum talis homo maneat vitiosus; & Deus solus producet ejus vitia, cum homo syncopen patiens aut apoplexiâ correptus, nihil possit conferre ad productionem ejusmodi habituum vitiosorum 4. Quę sunt vnum & idem realiter, necessariò simul existunt, & nequidem divinitus possunt separari: Sed prima productio & conservatio non existunt necessario simul, & divinitus possunt separari, siquidem prima productio existit tantùm primo instanti, conservatio verò non; & postquam Deus primò produxit rem, potest influxum realem ab ea subtrahere, quo casu erit prima productio, & non erit conservatio. Confirmatur ex eo quòd actio non tantùm individuetur à principio, subjecto, & terminis, sed etiam à tempore, loco, & aliis circunstantijs; & ideo actiones quæ sunt in diversis instantibus aut temporibus realiter distinguuntur: At prima productio & conservatio sunt in diversis instantibus, cum productio fit in primo instanti, conservatio in reliquis.

18. *Tria requiruntur ad actionem corporis. 1. Vt materia aut substan-*

tia corporis sit vera & realis substantia, non autem ficta, picta, aut apparens tantum; vnde fit vt culter pictus scindere, ignis pictus vrere, & homo pictus ratiocinari non possit. 2. *Vt corpus certam figuram, certámque situm partium habeat, actionis eius modificandæ gratiâ*, idest vt vno certo modo operetur, non alio; inde fit vt corpora rotunda alio modo agant quàm quadrata, & quadrata alio modo quàm triangularia. 3. *Vt corpus figuratum moveatur*, quoniam sine motu nulla actio corporis esse potest, & corpus quiescens non agit per se.

19. *Omnia corpora perpetuò manent in eodem statu in quo sunt, nisi ab agente extrinseco dimoveantur ab ipso*; verbi gratiâ corpus quod movetur perpetuò movebitur, nisi aliud sistat ejus motum; & corpus quiescens perpetuò quiescet, nisi moveatur ab alio: vnde sequitur corpora saltem sensu carentia, per se & ex natura sua esse indifferentia ad motum & quietem; & corpora terrestria deorsum, aut ignea sursum non tendere, nisi illuc attrahantur aut impellantur; & per consequens *nullam esse gravitatem aut levitatem naturalem*: Quod probatur, primò quia quod per se & ex natura sua convenit alicui rei, semper & vbique ei convenit; & ideo si corpora per se & ex natura sua essent gravia aut levia, & naturaliter sursum aut deorsum moverentur, semper & vbique sic moverentur, saltem sublatis impedimentis: Sed corpora quæ creduntur per se & ex natura sua gravia, vt lapides, aut levia, vt ignes, non semper & vbique moverentur deorsum aut sursum, sed vtraque in quiete constituta in æternum manerent immota nisi ab alio moverentur, putà si Deus annihilaret mundum & omnia quæ sunt in mundo præter vnum lapidem & vnum ignem, nam eo casu, nec ignis sursum, nec lapis deorsum moveretur aut moveri posset, cum nullum foret sursum aut deorsum; & nulla esset ratio cur potiùs versus vnam partem quàm versus aliam moverentur; & si moverentur, in æternum moverentur, quia nulla potest reddi ratio cur quiescerent: impetus enim qui paulatim deficere creditur, infrà refutabitur: Secundò, causæ naturales, rebus omnibus in eodem statu manentibus, eodem modo semper operantur, juxta illud idem quâ idem semper facit idem: Et ideo si corpora naturaliter moverentur, semper eodem modo, atque adeo motu æquali moverentur: At corpora quæ creduntur gravia, non moventur deorsum motu æquali, sed celeritas eorum continuò augetur: Ergo corpora quæ creduntur gravia non moventur naturaliter deorsum.

20. Nullam dari generationem substantialem, nullam alterationem peripateticam, nullam intensionem & remissionem, nullam rarefactionem & condensationem, nullam reactionem, fusè probatum est suprà.

21. *Quod durat tantùm vno instanti est incapax motus localis*, quia non potest esse motus localis nisi relinquatur vnus locus & acquiratur alius: Sed non potest relinqui locus à corpore, nisi corpus fuerit antea

in

in ipſo, & nunc non ſit ampliùs in ipſo, eo quòd acqui ſierit alium, quod non poteſt fieri in inſtanti.

22. *Illud non movetur per quod cuncta moventur quæ moventur :* quod non tantùm verum eſt de Deo immobili & immutabili, ſed etiam de motu, qui cum dicat tantùm mutationem loci, propriè non eſt in loco, nec movetur de vno loco ad alium.

23. *Moveri & motum eſſe primùm ſunt vnum & idem :* Quia cùm corpus movetur, vel eſt in termino à quo, vel in termino ad quem, vel in medio vtriuſque : Si primum, adhuc quieſcit ; ſi ſecundum, motum eſt, atque adeo moueri & motum eſſe ſunt idem, nunquam autem eſt in medio, niſi ſit motus molis, quia motus eſt acquiſitio termini ad quem : hinc videtur colligi poſſe motum & quietem primò ſimul eſſe in eodem ; ſiquidem moveri, motum eſſe primùm, & quieſcere primùm, eodem inſtanti ſunt.

24. *Quæcunque moventur dum moventur æquè velociter moventur :* Cum enim motus & tempus conſtent tantum indiviſibilibus, & quolibet indiviſibili motus & temporis corpus percurrat ſpatium indiviſibile ; clarum eſt ſingulis momentis corpora mobilia æquè velociter moveri, quòd ſi aliquod corpus tardius moveatur, id oritur ex interjectis motulis. Id tantum verum eſt in ſententia eorum qui ſtatuunt continuum componi ex ſolis indiviſibilibus mathematicis.

25. *Corpora gravia celeriùs ſemper deſcendunt :* Talis autem eſt proportio celeritatis vt ſi in primo minuto decidant & percurrunt vnam orgiam, in ſecundo percurrant tres quæ cum priore faciunt quatuor, in tertio percurrant quinque quæ cum quatuor prioribus faciunt novem &c. & ſic celeritas ſingulis minutis creſcit duabus orgijs. Ratio autem talis proportionis eſt, quòd primo minuto corpus grave, putà lapis, per attractionem terræ aut impulſionem aëris, acquirit certum gradum celeritatis & percurrit vnam orgiam : At ſecundo minuto percurrit tres, vnam ab attractione terræ aut impulſione aëris & duas à primo gradu celeritatis antea acquiſito & perſeverante, qui bis æquivalet gradui ſecundo celeritatis acquiſito ſecundo minuto ab attractione ſecunda terrę aut ſecundâ impulſione aëris, eò quòd ab initio ſecundi minutis ſit completus & integer, alter verò qui ſecundò acquiritur talis non ſit niſi in fine.

26. *Motus animalium celerior eſt in medio quàm in principio & fine:* Quia in principio membra ſunt adhuc repleta vaporibus aut humoribus frigidis torporem inducentibus, & ideo tunc non ſunt ſatis idonea ad motum ita celerem exercendum : Verùm cùm agitatione & motu diſcuſſi ſunt hujuſmodi vapores, flexibilia & agiliora reddita, magis ſunt idonea ad motum celeriùs exercendum : At in fine ſpiritibus diſſipatis & viribus diminutis animal tardius mouetur ; & ob id motus animalis celerior eſt in medio quàm in principio & fine.

27. *Motus proiectorum celerior eſt in principio, in medio quàm in*

fine: Quia vis impressa corpori violenter moto, putà lapidi sursum projecto, fortior est in principio atque adeo per aërem celeriùs movetur, postea retusa in medio & multò magis in fine ejusmodi virtute impressa sive ab aëre siue ab alijs corporibus fluidis diuisionem non patientibus, & motui violento resistentibus, fit vt lapis sursum projectus tardiùs moueatur in medio, & multò magis in fine: Hæc autem virtus impressa nihil aliud esse videtur quàm motus motus lapidi impressus.

28. In omni projectione sursum facta, decrementum velocitatis ascendendo, est idem reciprocè cum incremento velocitatis descendendo, adeo vt tempus quo lapis ascendit sit æquale tempori quo descendit, & tam initio ascensus quàm in fine descensus velocitas sit maxima & æqualis, in fine ascensus & initio descensus sit minima & æqualis, & in medijs proportione spatijs medio modo proportione se habeat: Quod patet potissimùm si lapis projiciatur ex ima parte mali nauis vsque ad verticem mali; cum enim malus æquali cursu progrediatur cum naui & æqualibus temporibus æqualia spatia conficiat, & lapis non magis in ascensu quàm in descensu ipsum deserat aut ad eum accedat; sed perinde semper se habeat respectu illius, necesse est tantumdem temporis in ascensu quantum in descensu consumi; si enim malo eadem æquabilitate transllto, dum lapis ascendit & descendit, ipse lapis non tueretur proportionem expositam, adeo vt celeriùs aut tardiùs moueretur alicubi in pari altitudine, sequeretur lapidem non seruaturum eandem distantiam à malo, sed magis ad malum accessurum vel à malo recessurum, quod tamen non facit.

29. Si terra perforata esset vsque ad centrum, & à centro vsque ad Antipodas nostros, lapisque dimitteretur per illud foramen, talis lapis moueretur vsque ad nostros Antipodas, & sine interruptione reuerteretur ad nos; sicque daretur motus perpetuus hujusmodi lapidis: Quia cum gradus celeritatis continuò acquisiuerit descendendo in centrum, continuò etiam eos dependet ascendendo & progrediendo ad antipodas.

30. Secundum Cartesium causa generalis omnium motuum & quietum in mundo, est Deus, qui materiam simul cum motu & quiete in principio creavit, jamque per solum suum concursum ordinarium tantundem motus & quietis in ea tota quantum tunc posuit conseruat: Nam quamvis ille motus nihil aliud sit in materia mota quàm ejus modus certam tamen & determinatam quantitatem habet, quam intelligimus eandem semper in tota rerum vniuersitate esse posse, quamvis in singulis ejus partibus mutetur; ita scilicet vt putemus, cùm vna pars materiæ duplo celerius mouetur quàm altera, & hæc altera duplo major est quàm prior, tantundem motus esse in minore quàm in majore; & quantò motus vnius partis lentior fit, tantò motum alicujus alterius ipsi æqualis fieri celeriorem, & quantò motus vnius partis celerior fit, tantò motum alicuius alterius partis ipsi æqualis fieri tardiorem.

31. Hinc fit primò, vt si corpus quod mouetur alteri occurrat immoto, tunc deflectitur in aliam partem, & motum suum retinendo solam determina-

minationem motus perdit, si verò occurrat & ipsum moueat, quantum ei dat de suo motu, tantundem deperdit, adeo vt si totum det totum deperdat: Ita experimur dura quælibet corpora projecta, cum in aliud durum corpus impingunt, non ideo à motu cessare, sed versus contrariam partem reflecti: contra verò ad quietem statim reduci, cum occurrunt corpori molli, quia facile in illud motum suum omnem transmittunt.

32. Hinc fit secundò, vt si duo corpora, putà *B* & *C* essent planè æqualia & æquè velociter moverentur, *B* quidem à dextra versus sinistram, & *C* à sinistra versus dextram, cum si mutuò occurrerent reflecterentur, & postea pergerent moueri, *B* quidem versus dextram, & *C* versus sinistram nullâ parte suæ celeritatis amissâ.

33. Hinc fit tertio, vt si *B* esset paulò major quàm *C*, & moverentur æquè velociter vnum rectà versus alterum, tunc solum *C* reflecteretur, & vtrumque versus sinistram eadem celeritate moueretur.

34. Hinc fit quartò, vt si mole essent æqualia, sed *B* paulò celerius moueretur quàm *C*, non tantum ambo pergerent moueri versus sinistram, sed etiam transferretur ex *B* in *C* media pars celeritatis quâ hoc ab illo excederetur, hoc est si prius fuissent sex gradus celeritatis in *B*, & quatuor tantum in *C*, post mutuum occursum, vnumquodque tenderet versus sinistram cum quinque gradibus celeratis.

35. Hinc fit quintò, vt si corpus quiescens C, esset minùs quàm *B*, tunc quantumvis tardè *B* versus *C* mouerentur, illud secum moueret, partem scilicet sui motus ei talem transferendo, vt ambo postea æquè celeriter mouerentur: putà si *B* esset duplo majus quàm *C* transferret ipsi tertiam partem sui motus, quia vna illa tertia pars tam celeriter moueret *C* quàm duæ aliæ residuæ corpus *B* duplo majus; & ita postquam *B* ipsi *C* occurrisset, vnâ tertiâ parte tardiùs moueretur quàm priùs, hoc est tantundem temporis requireret vt moueretur per spatium duorum pedum, quàm priùs vt moueretur per spatium trium; eodem modo si *B* esset triplo majus quàm *C*, transferret ipsi quartam partem sui motus, & sic de cæteris.

36. Hinc fit sextò, vt si corpus *C* quiescens esset æquale corpori *B* versus illud moto, partim ab ipso impelleretur, & partim ipsum in contrariam partem repelleret; nempè si *B* veniret versus *C* cum quatuor gradibus celeratis, communicaret ipsi *C* vnum gradum, & cum tribus residuis reflecteretur versus partem adversam.

37. Hinc fit septimò, vt si *B* & *C* versus eandem partem mouerentur, *C* quidem tardiùs, *B* autem illud insequens celeriùs, ita vt ipsum tandem attingeret, essetque *C* majus quàm *B*, sed excessus celeritatis in *B* esset major quàm excessus magnitudinis in *C*, tunc *B* transferret tantum de suo motu in *C*, vt ambo postea æquè celeriter & in easdem partes moverentur: Si autem è contra excessus celeritatis in *B*. minor esset, quàm excessus magnitudinis in *C*, tunc *B* in contrariam partem reflecteretur, & motum om-

nem ſuum retineret ; atque hi exceſſus ita computantur ; ſi *C* eſſet duplo majus quàm *B*, & *B* non moueretur duplo velociùs quàm *C*, ipſum non pelleret, ſed in contrariam partem reflecteretur; ſi verò magis quàm duplo velociùs moueretur, ipſum pelleret; putà ſi *C* haberet tantùm duos gradus celeritatis, & *B* haberet quinque, demerentur duo gradus ex *B*, qui tranſlati in *C*, vnum tantùm gradum efficerent, quia *C* eſt duplo majus quàm *B*, vnde fieret vt duo corpora *B* & *C* cum tribus gradibus celeritatis poſteà mouerentur, & ita de cæteris eſt judicandum.

38. Hinc fit octauò, vt ſi corpus *C* planè quieſceret, eſſetque paulò majus quàm *B*, quacunque cum celeritate *B* moueretur verſus *C*, nunquam ipſum *C* moueret, ſed ab eo repelleretur in contrariam partem, quia corpus quieſcens magis reſiſtit magnæ celeritati quàm paruæ, idque pro ratione exceſſus vnius ſuprà alteram, & idcirco ſemper eſſet major vis in *C* ad reſiſtendum quàm in *B* ad impellendum : Hoc vltimum videtur contrarium experientiæ : Nec videtur dici poſſe, cur magna quantitas pulueris tormentarij ab ignis ſcintilla accenſi, euertat domos & montes ipſos: cum talis motus montium everſorum major ſit motu pulueris tormentarij, qui videtur quieſcere, & ad ſummum poteſt tantùm habere aliquos motus inteſtinos inæquales motui montis.

Finis primæ partis Phyſicæ.

SECVNDA PARS
PHYSICÆ,

Hæc ſecunda pars agit de Mundo, de Cœlis & Aſtris, de Elementis, de Mixtis, Inanimatis, & de Anima.

CAPVT PRIMVM
De Mundo.

1. MVNDVS eſt collectio omnium corporum rectè diſpoſitorum ; corpora ſunt inſtar materia, & recta eorum diſpſitio inſtar forma : corpora ſimplicia ſcilicet cœli & elementa pertinent ad perfectionem mundi eſſentialem, mixta ad accidentalem tantùm ; alioquin cum mixta pereant, mundus eſſentialiter mutajetur.

2. *Mundus ectypus* eſt mundus corporeus & ſenſibilis ; *archetypus* verò & intelligibilis eſt mundus idealis, ſcilicet Deus ; in quo eſt exemplar & idea mundi ectypi : *Mundus magnus* eſt mundus ſenſibilis continens omnia corpota ; *paruus* verò eſt homo ; in quo ſunt omnia entium genera, cum habeat eſſe cum

elementis, vitam cum plantis, sensum cum animalibus, & intelligentiam cum Angelis.

3. *Vnicus est mundus*, quia S. Scriptura de vno tantùm mundo loquitur, *mundus per ipsum factus est* Ioann. 1. & post creationem mundi sex diebus peractam, Deus dicitur quieuisse septima die Gen. 1. Idest cessasse ab opere creationis, licet non cesset ab opere conseruationis.

4. Quot modis aliquid dicatur perfectum & imperfectum dictum est in Metaphysica. *Mundus est imperfectus negatiuè*, quatenus caret perfectionibus quas nec debet nec potest habere, putà perfectionibus angelicis & diuinis: Sed *non est imperfectus positiuè*, quia non caret perfectione debita. *Est perfectus essentialiter* quia habet suam essentiam, scilicet corpora rectè disposita; & *accidentaliter* aut *secundum quid*, idest secundum perfectiones debitas; quia habet omnia necessaria ad finem propter quem productus est, scilicet omnia necessaria homini, & manifestationi gloriæ Dei.

5. *Mundus non potuit esse ab æterno in eo statu in quo jam est*, quia partes ejus non sunt ab æterno, quod sic probatur. Primo, mare nunquam fuit sine fluxu aut refluxu, sed neque fluxus neque refluxus fuit ab æterno, quod sic probatur: Vel fluxus solus fuit ab æterno, vel solus refluxus, vel vterque; si solus fluxus fuit ab æterno, sequitur refluxum non fuisse ab æterno; & si solus refluxus fuit ab æterno, sequitur fluxum non fuisse ab æterno, ita tamen vt aliquot horæ duntaxat defuerint, siquidem ab initio fluxus ad initium refluxus sex horæ tantùm ordinariè intercedant; & sic æternum & non æternum sex horis duntaxat sejungentur, quod est absurdum: Si vterque fuit ab æterno, vel simul vel successiuè fuerunt ab æterno; non simul, quia mare accedit ad terras in fluxu, & recedit ab ijs in refluxu; at impossibile est vt mare simul & eodem tempore accedat & recedat: Non etiam successiuè, quia duo æterna non possunt esse nisi simul, atque adeo vnum non potest esse post aliud, cum æternum nihil habeat prius; at fluxus & refluxus non possunt esse simul; ergo fluxus & refluxus non possunt esse ambo æterni, atque adeo nec mare. Eodem modo probatur Solem non fuisse ab æterno, si philosophemur de Sole respectu illuminationis nostri hemisphærii & hemisphærii Antipodum, sicut philosophati sumus de mari respectu fluxus & refluxus. Idemque dicendum est de Luna respectu nouilunij & plenilunij, de tempestatibus anni, de diebus & noctibus, alijsque rebus successioni obnoxiis, quibus adde istud argumentum validissimum.

6. Si dies & noctes fuerint ab æterno, & supponamus diem hodiernam tenere locum vltimum respectu omnium dierum & noctium præcedentium, sequetur plures esse dies quàm noctes, & non esse plures, quod est contradictorium; plures quidem, quia in tali casu omnis

nox

nox erit inter duos dies, & omnis dies non erit inter duas noctes, scilicet hodierna dies, quam supposuimus tenere vltimum locum respectu omnium dierum & noctium præcedentium; non esse verò plures, quia si in tali casu dies separarent noctes, vnitate seu vnâ die scilicet hodiernâ ad minimum eas separarent, quod tamen esse falsum sic ostenditur: si in tali casu dies omnes separarent noctes omnes vnâ die, sequeretur die ejusmodi sublatâ esse æquales; at sublatâ ejusmodi die non sunt æquales, quia eâ die sublatâ plures sunt noctes quàm dies, eò quòd tunc omnis dies reperietur inter duas noctes, & non omnis nox reperietur inter duos dies; cum eâ die sublatâ, nox quæ ipsam præcedebat, teneat vltimum locum respectu omnium dierum ac noctium præcedentium: Quòd si supponamus noctem tenere locum vltimum respectu omnium dierum & noctium præcedentium, sequetur plures esse noctes quàm dies, & non esse plures ob easdem rationes.

7. Si homines fuerint ab æterno, & perpetuâ generatione alij alijs successerint, sequitur dari numerum infinitum hominum qui hactenus extiterunt; si enim certus esset eorum numerus & in se determinatus, darentur primi qui aliquando incepissent, darentur secundi, tertij, & hodie vltimi; vbi autem est primum & vltimum, ibi est initium & finis, & per consequens non est æternitas quæ est duratio carens principio & fine: Sed numerus hominum qui hactenus extiterunt non est infinitus: Ergo homines non fuerunt ab æterno. Minor sic probatur: Non potest dari numerus major numero infinito: Sed datur numerus major numero hominum qui hactenus extiterunt, putà numerus oculorum, digitorum, capillorum, animalium &c. Ergo numerus hominum qui hactenus extiterunt non est infinitus. Major probatur hoc pacto: Numerus minor superatur à majori, atque adeo infinitus numerus minor superatur ab infinito majori; quod autem separatur, terminatur & finitur vbi superatur; quod verò terminatur & finitur est terminatum & finitum, & quod est finitum non est infinitum. Infinitus numerus fusius refutatur disputatione de Existentia Dei cap. 6. & refutatus est in prima parte hujus Physicæ dum de Quantitate.

8. Denique, homines non fuisse ab æterno alia ratione probatur hoc pacto: Vel omnes homines qui hactenus extiterunt distant inter se distantiâ temporis finitâ, vel omnes distant distantiâ infinitâ, vel alij distant inter se distantiâ fininitâ, & alij distantiâ infinitâ: Sed nec omnes distant distantiâ infinitâ, nec alij distant distantiâ finitâ & alij distantiâ infinitâ: Ergo omnes distant distantiâ finitâ, atque adeo duratio eorum est finita, & per consequens non sunt ab æterno: Quòd autem omnes homines non distent distantiâ infinitâ patet, quia alioquin sequetur inter me & Patrem meum esse distantiam infinitam, quod est absurdum: quòd etiam alij non distent distantia finita & alij distantia infinita patet, quia si ex om-

nibus distantia finita distantibus sumantur duo remotissimi, putà Petrus qui hodie viuit, & Ioannes qui longissimo seu maximo tempore finito distat à Petro, tunc si altiùs ascendatur & sumatur Guillelmus pater Ioannis, sequetur Guillelmum & Petrum distare distantiâ temporis infinità, cum magis distent quàm Ioannes & Petrus, qui intra distantiam temporis finitam sunt remotissimi; vnde sequetur distantiam temporis finitam, quæ est inter Petrum & Ioannem, & distantiam temporis infinitam quæ est inter Petrum & Guillelmum, differre tantum aliquot annis, quot scilicet intercesserunt inter Guillelmum patrem & Ioannem filium, quod est absurdum.

9. *Mundum non fuisse ab æterno in alio statu* sic probatur: Vel mundus fuit ab æterno in alio statu per tempus finitum, vel per tempus infinitum; non per tempus finitum, quoniam tempus finitum, quale fuisset illud quo mundus mansit in alio statu, additum tempori finito, quale est illud quo mundus fuit in statu præsenti, non potest facere tempus infinitum, quale creditur esse æternitas mundi: Non etiam per tempus infinitum, quia ejusmodi tempus quo mundus fuit in alio statu jam præteriit, nec amplius est, atque adeo finem habuit, & per consequens finitum est, non infinitum: Adde quòd inde sequeretur vnum infinitum esse majus alio, quod suprà refutatum est, nam tempus infinitum quo mundus mansit in alio statu & tempus quo jam mansit in statu præsenti simul sumpta, sunt quid majus tempore illo solo infinito quo mundus mansit in alio statu: Deniq; si mundus fuisset ab æterno in alio statu per tempus infinitum, fuisset in illo alio statu plus quàm per millies cèties decies centena annorum millia, quod est absurdum, cum non possi reddi ratio mutationis mundi ab illo alio statu in hunc statum præsentem; idem enim quâ idem semper facit & manet idem, præsertim si quæstio sit de naturalibus & necessarijs, non de voluntarijs & liberis.

10. *Mundus non potuit creari priùs quàm creatus est*; nam ante tempus quo mundus creatus est, nulla fuit prior duratio præter æternitatem: Sed mundus non potuit habere priorem illam durationem scilicet æternitatem, idest mundus non potuit esse ab æterno, vt suprà: Ergo mundus non potuit esse ante tempus quo creatus est, atque adeo non potuit priùs creari quàm creatus est. Adde quòd cum tempus sit duratio rei creatæ, & duratio non possit esse sine re cujus est duratio, nec res sine sua duratione; certè si tempus non possit esse citiùs, etiam nec creatura, atque adeo nec mundus; quòd autem tempus non possit esse citiùs, patet ex eo quòd τὸ citiùs denotet tempus, at tempus non potest esse ante tempus.

11. *Mundum naturaliter esse incorruptibilem patet* ex eo quòd nullum sit agens naturale quod ipsum possit destruere: Falsum est quod quidam dicunt mundum semper in peius ruere, & homines paulatim minùs viuere quàm antea; mundus enim semper eodem modo apparet,

paret, & iidem cœli, eademque elementa eodem modo dispoſita ſemper manent, & homines olim ad ſeptuaginta aut octoginta annos vitam tantùm extendebant vt nunc, veluti patet ex Pſal. 90. à Moſe compoſito, qui à quatuor millibus annorum viuebat : Quare ſi mundus corrumpatur à Deo ſolo corrumpetur ; an verò de facto mundus corrumpetur & mutabitur à Deo, & an illa mutatio futura ſit ſubſtantia, vel eſſentialis, vel accidentalis, acriter diſputatur in ſcholis. Ego exiſtimo non fore ſubſtantialem, quæ tantùm fit per annihilationem, atque adeo vel fore eſſentialem, vel accidentalem tantùm.

12. Pro mutatione eſſentiali proferuntur quædam loca Scripturæ, putà quòd omnia diſſoluentur & exurentur calore igneo, quòd cœlum & terra tranſibunt, quòd Deus creabit nouos cœlos & nouam terram &c. quæ intelligenda ſunt de innouatione purgatione & mutatione in meliorem ſtatum. Pro mutatione accidentali profertur duntaxat inſignis locus qui habetur Roman. 8. vbi dicitur mundum expectare reuelationem filiorum Dei, ſub ſpe quòd vindicabitur à ſeruitute interitus in libertatem gloriæ filiorum Dei, & omnem creaturam ſuſpirare vſque ad hoc tempus &c. quod intelligendum eſt ſecundum materiam ſubjectam, ſcilicet de omni creatura beatitudinis capaci, de qua agitur Rom. 8. Ego vtramque ſententiam probabilem cenſeo.

13. Tempus extremi judicij & mutationis totius vniuerſi, ſiue eſſentialis, ſiue accidentalis, non poteſt à nobis certò definiri: Nam Act. 1. ſciſcitantibus diſcipulis quando Chriſtus regnum Iſraelis reſtauraturus eſſet, reſpondet Dominus, *Non eſt veſtrum ſcire tempora aut tempeſtates quas Pater poſuit in ſua poteſtate*; juxta illud Euangelij Marc 11. *De die illa & hora nemo ſcit, nec Angelis quidem, nec ipſe Filius, ſed ſolus Pater, vigilate & orate, neſcitis enim quando tempus illud ſit futurum.*

14. Aliquid eſt extra mundum, & ante creationem rerum aliquid fuit vbi jam eſt mundus : Quia vbi nihil prorſus eſt, ſcilicet vbi eſt purum nihil, ibi Deus nec ſpatia nec corpora creare poteſt, putà inter duo corpora contigua Deus nec ſpatium nec corpus ponere poteſt, quia inter ea nihil prorſus exiſtit, imò nullum eſſe poteſt inter aut interſtitium : At Deus creauit mundum, & poteſt extra hunc mundum creare alios mundos ; quia Deus poteſt agere vbi eſt, at eſt extra mundum, ſi enim eſſet tantùm in mundo finitus eſſet ſicut mundus, & ſic non eſſet Deus, cum nomine Dei omnes intelligant Ens infinitum.

CAPVT SECVNDVM
De Cœlis, Aſtris, & Sphæris.

ARTICVLVS PRIMVS,
De Natura Cæli & Aſtri.

COELVM vel *Empyreum*, quod eſt ſedes beatorum; vel *aqueum*, quod eſt cæruleum illud quod apparet ſuprà ſtellas; vel *ſtelliferum*, de quo nunc, & quod definitur corpus ſimplex aërum; corpus quidem ſimplex, non abſolutè cum habeat partes, ſed comparatè ad mixta, quia non componitur ex corporibus diverſis.

2. *Cælum eſſe aëreum ſic probatur*: Id in quo ſtellæ ſunt collocatæ eſt cœlum de quo nunc: Sed in aëre ſtellæ ſunt collocatæ, quod ſic probatur: Firmamentum ſeu expanſum ſecunda die creatum, eſt id in quo ſtellæ ſunt collocatæ Gen. 1. Sed aër eſt tale firmamentũ ſeu expanſum, quod ſic probatur. Quod inter ſuperiores & inferiores aquas eſt interjectum, eáque ſeparat, eſt firmamentum ſeu expanſum Gen. 1. Sed aër eſt ejuſmodi, eò quòd ſit in confinio vtrarumque aquarum, cum tangat aquas inferiores ſeu marinas, & ab iis vſque ad ſuperiores extendatur; nubes autem non poſſunt eſſe aquæ ſuperiores, cum non ſint ſupra expanſum, ſed in parte inferiori expanſi. Adde quòd ſi cœlum eſſet naturæ diuerſæ ab aëre non poſſemus videre aſtra remotiſſima.

3. *Aſtra* ſecundum Ariſtoteleos ſunt partes denſiores & lucidiores cœli; atque adeo ejuſdem ſpeciei cum illis; eò quod denſitas & raritas diſcrimen eſſentiale non inducant: At nos dicimus aſtra differre ſpecie à cœlis; eò quòd cœli ſint aërei, aſtra verò non ſint aërea, ſed potiùs ignea aut terrea. Aſtrum igitur ſecundum nos eſt corpus cœleſte ingens & lucidum per ſe, ſi ſit fixum, per aliud verò ſi ſit erraticum, excepto Sole à quo reliqui planetæ ſuum lumen mutuantur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Sphæra articiali.

1. *Sphæra artificialis* est instrumentum varijs circulis constans, ad repræsentandam Sphæram naturalem seu cœlestem inventum.

2. *Puncta notabilia Sphæræ* sunt Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies, Zenith, Nadir, & Centrum. *Oriens* est punctum in cœlo in quo Sol aut alia stella oritur, ideſt eleuatur suprà horisontem. *Occidens* est punctum in cœlo in quo Sol aut alia stella occidit: ideſt deprimitur infrà horisontem: vtrumque autem triplex est, scilicet æstivum, hybernum & æquinoctiale.

3. *Septentrio* est punctum in cœlo distans duobus gradibus cum dimidio à stella quæ est in cauda vrsæ minoris, aliterq; vocatur polus arcticus, septentrionalis & borealis. *Meridies* verò est punctum in cœlo diametraliter oppositum Septentrioni, aliterque vocatur polus antarcticus meriodionalis & austrinus: Quòd si quis concipiat lineam rectam ductam ab vno polo ad alterum per centrum mundi, ideſt per centrum terræ; talis linea vocatur *axis*.

4. Septentrio & Meridies vocantur *poli* à Græco πολῶ ideſt verto, quia cœlum creditur volui circa polos & axem. Septentrio dicitur *polus arcticus* à Græco ἄρκτος id est vrsa, quia talis polus est juxta stellam in cauda vrsæ minoris existentem, vocatur autem Septentrio aut polus Septentrionalis, quia vrsa minor est constellatio constans septem stellis, quas Poëtæ Triones appellarunt, dicitur etiam polus borealis, quia boreas flat ex illa parte.

5. Meridies vocatur *polus antarcticus* à Græco ἀντὶ & ἄρκτος ideſt contra vrsam, quia est diametraliter oppositus polo arctico & vrsæ minori: Vocatur autem polus Meridionalis & Meridies, quia respectu nostri Sol hora meridianâ attingit meridianum nostrum: Vocatur etiam polus Austrinus, quia Auster flat ex illa parte.

6. *Oriens* vocatur à Nautis Est. Ost, Levante: *Occidens* dicitur Ouest, Ponente: *Septentrio* vocatur Nort, Tramantone: *Meridies* dicitur Sud.

7. *Zenith* vocabulum Arabicum, est punctum verticale ideſt punctum in cœlo directè imminens capiti nostro: *Nadir* verò vocabulum Arabicum, est punctum in cœlo diametraliter oppositum τῷ Zenith, & directè imminans capiti nostrorum Antipodum.

8. *Centrum Sphæræ* est centrum mundi, quod est medium terræ, si sit quæstio de centro magnitudinis, non autem de centro grauitatis.

9. Zenith & Nadir sunt puncta mutabilia: Septentrio & Meridies sunt

puncta fixa & immutabilia: Oriens verò & occidens mutantur tantùm si progrediamur ab ortu in occasum, aut ab Occasu in ortum; non autem si progrediamur à septentrione ad meridiem, aut à meridie ad septentrionem.

10. *Circulus* est figura in medio cujus est centrum, à quo lineæ ductæ ad circumferentiam sunt æquales: In quolibet autem circulo tria sunt distinguenda, scilicet centrum, axis, & poli: *Centrum* est punctum in medio circuli: *Axis* est linea recta transiens per centrum, circa quam immotam dicitur verti circulus: *Poli* sunt puncta terminantia axem.

11. *Circulus quilibet diuidi* solet in 360. partes, quæ vulgò vocantur gradus; quilibet *gradus* subdiuidi solet in sexaginta minuta seu prima, quodlibet *primum* in 60. secunda, quodlibet *secundum* in 60. tertia, & sic deinceps: Gradui autem cœlesti respondent in terra 10. milliaria Scandica. 15. Germanica. 17. Hispanica. 25. Gallica communia. 55. Anglica, & 60. Italica: Milliare autem Italicum continet octo stadia: Quodlibet stadium continet 125. passus: Passus continet quinque pedes: Pes continet quatuor palmos: Palmus continet quatuor digitos: Digitus continet quatuor grana tritici. Cum autem tota terra constet 360. gradibus, ambitus ejus in linea recta constat 5400. milliaribus Germanicis.

12. *Circuli* sphæræ octo ponuntur præcipui, scilicet quatuor majores, & quatuor minores; quibus alij addunt duos circulos majores, scilicet duos *Coluros*, qui inseruiunt ad conseruandam sphæram artificialem, & ad denotanda loca solstitiorum & æquinoctiorum. *Circuli maiores* dividunt sphæram in duas partes æquales, habéntque idem centrum cum sphæra, quorum nomina sunt Horison, Meridianus, Æquinoctialis, & Zodiacus; & horum alij sunt fixi, alij mobiles: *Fixi* servant semper eundem situm in sphæra, & ideo pinguntur in superficie sphæræ, vt Æquator & Zodiacus: *Mobiles* verò nunquam servant eundem situm, sed mutantur pro diversitate regionum; vnde fit vt notentur extra superficiem sphæræ, vt Horison & Meridianus.

13. *Circuli minores* dividunt sphæram in duas partes inæquales, habéntque centrum à sphæra diversum; súntque duo tropici & duo polares: tropicorum autem vnus vocatur tropicus Cancri, quia est sub illa constellatione quæ dicitur Cancer; alter vocatur tropicus Capricorni, quia est sub constellatione quæ dicitur Capricornus: Circulorum verò polarium vnus vocatur circulus arcticus, alter verò circulus antarcticus.

14. *Horison* est circulus major diuidens sphæram in partem visam & partem non visam: Pars visa vocatur hemisphærium superius; pars verò non visa vocatur hemisphærium inferius: Poli horisonti sunt Zenith & Nadir: Axis horisontis est linea recta ducta à Zenith ad Nadir: Centrum verò est locus in quo quis existit; quilibet enim est in centro horisontis sui. Horison vel intelligibilis, vel sensibilis: Intelligibilis diuidit terram & mundum in duas partes æquales: Sensibilis verò visum nostrum vndique terminat, à Græco ὅρος idest termino, & diuidit partem terræ quam dete-

detegere possimus ab ea quæ oculis nostris est occulta; diameter autem ejusmodi horisontis sensibilis est quatuor milliarum germanicorum ordinariè. Denique, horison inseruit primò ad notandum ortum & occasum stellarum; tunc enim stella dicitur oriri, quando eleuatur supra horisontem & occidere quando deprimitur infra horisontem. Secundò inseruit ad notandum diem artificialem & noctem artificialem; *dies* enim *artificialis* est mora solis supra horisontem; nox verò artificialis est mora solis infra horisontem; *dies* autem *naturalis* continet spatium 24. horarum, & ideo continet diem & noctem artificialem.

15. *Meridianus* est circulus major transiens per polos mundi, necnon per Zenith & Nadir, diuidens sphæram in partem orientalem & occidentalem; sic dictus, quia cum Sol eum attingit meridiem facit in vno hemisphærio & merinoctium in altero. Meridianus est circulus mobilis, ideóque sunt ferè innumeri, tot enim realiter poni possunt quot sunt puncta verticalia ab ortu in occasum ducta: Meridiani sensibiles sunt 180. vno gradu à se inuicem distantes; sensibiliter enim cognoscitur meridies diuersus in locis vno gradu distantibus: In tabulis geographicis ponuntur tantùm 18. decem gradibus inter se distantes, vt vitetur confusio. Ordo Meridianorum est ab occasu in ortum. Primus meridianus olim transibat per Insulas fortunatas, quæ hodie dicuntur Canariæ; eò quòd istæ insulæ tunc essent maximè occidentales; vltra quas non erat nauigatum: Hodie verò Nautæ qui vltra Canarias in Americam nauigarunt, voluerunt primum meridianum transire per insulas Flandricas, quæ vulgò dicuntur Açores, eò quòd in illis nulla fiat variatio acus magneticæ versus ortum aut occasum, sed acus ejusmodi rectà tendat ad polum. Officium meridianorum est indicare meridiem & merinoctium; quoties enim Sol attingit meridianum alicujus loci, meridies est incolis illius loci, & merinoctium Antipodibus eorum: Rursus, à primo meridiano desumitur longitudo alicujus loci; *longitudo* enim nihil aliud est quàm distantia loci à primo meridiano, vel spatium interjectum inter primum meridianum & meridianum loci: Cæterùm meridiani minùs inter se distant, prout magis accedunt ad polos; magis verò distant prout magis accedunt ad Æquatorem; hinc fit vt 24. homines contigui, & ita in orbem dispositi vt singuli quindecim gradibus inter se distent, possint habere simul 24. horas diei naturalis.

16. *Æquinoctialis*, qui aliter dicitur Æquidialis & Æquator, est circulus major ab ortu in occasum ductus, æqualiter distans a polis, & diuidens sphæram in partem septentrionalem & meridionalem, quem dum Sol percurrit dies sunt æquales noctibus per vniuersam terram habitabilem: Eum autem percurrit bis in anno, scilicet 21. Martij, dum est sub principio Arietis, quo tempore fit æquinoctium vernum; & 23. Septembris, dum est sub principio Libræ, quo tempore fit æquinoctium autumnale. Officium Æquinoctialis est indicare æquinoctia, de quibus supra, & ostendere latitudinem cujuslibet regionis aut loci; necnon poli eleuatio-

nem: Nam latitudo loci nihil aliud est quàm distantia Æquitoris à puncto verticali illius loci, vel est spatium interjectum inter æquinoctialem terrestrem & locum; eleuatio autem poli nihil aliud est quàm altitudo poli supra horisontem, cui semper est æqualis latitudo loci.

17. *Zodiacus* est circulus major intersecans obliquè Æquatorem in punctis Arietis & Libræ, & attingens Tropicos in punctis Cancri & Capricorni, diuidens sphæram in duas partes æquales, ita tamen vt vna pars ad Austrum, & altera ad Septentrionem 23. gradibus cum dimidio distet ab Æquinoctiali: vnde fit vt ejus poli distent eodem interuallo à polis mundi aut Æquatoris. Zodiacus quoad longitudinem diuiditur in 360. gradus, vt reliqui circuli: Rursus, diuiditur quoad longitudinem in duodecim signa, & ob id dicitur signifer: Quodlibet signum continet 30. gradus, quorum vnum Sol ferè singulis diebus percurrit; signum autem integrum percurrit vno mense; signa insigniuntur nominibus animalium, vnde fit vt Zodiacus sic dicatur à Greco ζώδιον; nomina verò signorum his duobus versibus continentur; *Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libráque, Scorpius Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces:* Ex his sex priora sunt septentrionalia, sex verò posteriora sunt Meridionalia; & omnia hæc signa sic respondent quatuor anni tempestatibus, vt tria priora respondeant veri, tria sequentia æstati, & sic deinceps. Hic circulus duntaxat habet latitudinem quæ est 12. graduum, & tribus describitur lineis, quarum media dicitur ecliptica, quia sub ea fiunt Eclipses; duæ reliquę à media distant sex gradibus: Latitudo autem tribuitur Zodiaco, quia omnes Planetæ (Sole excepto qui semper mouetur sub Ecliptica) ita mouentur vt eorum motus rectam lineam non describat, sed modo in vnam, modò in alteram partem declinet ferè sex gradibus duntaxat, exceptis Marte & Venere qui interdum ad octo gradus excurrunt. Officium Zodiaci est indicare motum & cursum annuum Solis, & aliquo modo reliquorum planetarum, necnon notare quatuor anni tempestates, menses, & dies.

18 *Tropici* sunt duo circuli minores ab ortu ad occasum ducti, & Æquatori paralleli, à quo distant 23. gradibus cum dimidio, & describuntur à Sole existente in punctis solstitialibus, scil. in primo gradu Cancri, & in primo gradu Capricorni: Dicuntur autem Tropici à Græco τροπή idest conuersio, quia cum Sol ad eos pervenit inde ad Æquatorem reuertitur. Eorum officium est limitare cursum annuũ Solis, & indicare solstitia; vt mox videbitur. Duplex est Tropicus, scilicet Tropicus Cancri & Tropicus Capricorni: *Tropicus Cancri* est circulus minor, ductus ab ortu in occasum, parallelus Æquatori, à quo distat 23. gradibus cum dimidio versus septentrionem, quem Sol percurrit 21. Iunij, quo die fit solstitium ęstiuum, & habemus diem longissimum & noctem breuissimam totius anni: *Tropicus Capricorni* est circulus minor, ductus ab ortu in occasum, parallelus Æquatori, à quo distat 23. gradibus cum dimidio versus meridiem, quem Sol percurrit 22. Decembris, quo die fit solstitium hybernum & habe-

& habemus diem breviſſimum,& noctem longiſſimam totius anni: Solſtitia autem ſic dicuntur, quòd in Tropicis Sol videatur quaſi ſtare,& reverti ad Æquatorem.

19. *Circuli polares* ſunt duo circuli minores ab ortu in occaſum ducti, æqualiter diſtantes à polis mundi, ſcilicet 23. gradibus cum dimidio: vnus dicitur circulus arcticus, qui eſt verſus Septentrionem, & noſtris oculis apparet; alter verò dicitur circulus Antarcticus, qui eſt verſus Meridiem, & nobis occultus. Eorum officium eſt indicare polus Zodiaci, & finem Climatum.

20. Ex diſpoſitione circulorum oriuntur quinque *Zonæ*, quæ ſunt quædam ſpatia terrarum, quarum duæ ſunt frigidæ, duæ temperatæ, & vna torrida: *Frigidæ* ſunt intra polos & circulos polares, & vnaquæque continet ſpatium 23. graduum cum dimidio: *Temperatæ* ſunt inter circulos polares & Tropicos, & vnaquæque continet latitudinem 43. graduum: *Torrida* eſt inter duos Tropicos,& media ſecatur ab Æquinoctiali, continens ſpatium 47. graduum; de quibus eleganter Ovidius, Metam. l. 1. Fab. 2.

21. *Clima* eſt ſpatium terræ in quo longiſſima dies creſcit vel decreſcit per dimidiam horam, ſi comparetur cum climate viciniori. Ab Æquinoctiali vſque ad circulos polares numerantur 24. climata Septentrionalia,& totidem Meridionalia; Sub Æquinoctiali propriè nullum eſt clima, niſi dicatur initium climatum, quia ſub Æquinoctiali eſt perpetuum Æquinoctium ſine vlla inclinatione terræ, & dies omnes præcisè ſunt 12. horarum: Quare in primo climate longiſſima dies eſt 12. horarum cum dimidia, in ſecundo 13. horarum &c. Primum clima eſt in 8. gradu, ſecundum in 16. tertium in 23. quartum in 30. quintum in 35. ſextum in 40. ſeptimum in 45. octavum in 49. nonum in 52. decimum in 54. vndecimum in 56. duodecimum in 58. decimumtertium in 59. cum 55. minutis, decimumquartum in 61. decimumquintum in 62. decimumſextum in 63. decimumſeptimum in 64. decimumoctavum in 64. cum 49. minutis, decimumnonum in 65. cum 21. minutis, vigeſimum in 65. cum 47. minutis, vigeſimumprimum in 66. cum ſex minutis, vigeſimumſecundum in 66. cum 20. minutis, vigeſimumtertium in 66. cum 28. minutis, vigeſimumquartum in 66. cum 30. minutis. Vltra circulos polares, qui ſunt in 66. gradu cum dimidio, non notantur ampliùs climata, eò quòd vltra eos longiſſima dies creſcit ſtatim pluſquam ſemihorâ; nam in 67. gradu cum 15. minutis longiſſima dies eſt vnius menſis, in 69. gradu cum 30. minutis maxima dies eſt duorum menſium, in 73. gradu cum 20. minutis maxima dies eſt trium menſium, in 78. gradu maxima dies eſt quatuor menſium, in 84 gradu maxima dies eſt quinque menſium, in 90. gradu ſcilicet ſub polis maxima dies eſt ſex menſium. *Parallelus* eſt tantùm dimidium climatis.

22. *Sphæra recta* dicitur ea cujus poli exiſtunt in horiſonte, & in qua horiſon ſecat Æquatorem ad angulos rectos: *Obliqua* dicitur ea cujus polus vnus exiſtit ſupra horiſontem, modo non ſit verticalis,& alter exiſtit

infra, vel eſt ea in qua horiſon ſecat ęquatorem ad angulos obliquos. *Parallela* dicitur ea cuius polus eſt verticalis, & in qua horizon & æquator ſunt paralleli.

23. *Qui habitant ſub Æquinoctiali*, ſoli habent ſphęram rectam, ſoli vident vtrumque polum & omnes ſtellas, ſoli habent perpetuum æquinoctium, habent duas ęſtates & duas hyemes, ſunt *Amphicij* ideſt habent ambas vmbras diverſis temporibus, ſcilicet Septentrionalem & Meridionalem, bis in anno Sol tranſit per eorum Zenith, & tunc ſunt Aſcij ideſt ſine vmbra.

24. *Qui habitant inter Æquatorem & Tropicos*, habent ſphęram aliquantulum obliquam, non vident omnes ſtellas, vident tantùm vnum polum, in reliquis ſunt ſimiles ijs qui ſunt ſub Æquinoctiali.

25. *Qui habitant ſub Tropicis & in Zonis temperatis*, habent ſphęram obliquam, duo Æquinoctia, vnicam ęſtatem & vnicam hyemem, vnicum polum vident, non cernunt omnes ſtellas, ſunt *Heteroſcij* ideſt habent tantùm vnam vmbram vel ſeptentrionalem vel meridionalem, & Sol ſemel in anno tranſit ſuper caput eorum qui ſunt ſub Tropicis, numquam autem ſupra caput eorum qui ſunt in Zonis temperatis.

26 *Qui ſub polis habitant*, ſoli habent ſphæram parallelam, ſoli non habent Æquinoctium, ſoli carent meridiano, ſoli habent diem ſex menſiū, & noctem totidem, ſoli ſunt *Periſcij*, & ſemper vident eaſdem ſtellas.

27. *Qui ſub circulis polaribus habitant*, ſoli habent ſemel in anno diem 24. horarum in reliquis ſunt ſimiles incolis Zonarum temperatarum.

28. *Qui inter polos & circulos polares habitant*, habent maximum diem 24. horis diuturniorem, non vident Solem cùm eſt in Tropico ab iis remotiori, in reliquis ſunt ſimiles ijs qui habitant ſub circulis polaribus.

29. Denique, *Antœci* ſunt ſub eodem Meridiano ęquè diſtantes ab Æquatore: *Periœci* ſunt ſub eodem parallelo remotiſſimi: *Synœci* ſunt ſub eodem parallelo aut Meridiano proximi: *Antipodes* verò ſunt toto diametro terrę oppoſiti. *Periœci* habent ſimul eaſdem tempeſtates non tamen ſimul diem. *Antœci* habent ſimul eundem diem, non eandem tempeſtatem. *Antipodes* verò nec habent ſimul eandem diem, nec eandem tempeſtatem.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Sphæra cœleſti in communi.

1. SPhara cœleſtis communis componitur ex tredecim cœlis in hunc ordinem deſcendendo diſpoſitis.

Primum eſt cœlum *Empyreum*, quod eſt ſedes Beatorum, & creditur ſolidum & immobile.

Secun-

Secundum est *cœlum aqueum*, abscondens nobis Empyreum, quod creditur immobile.

Tertium est *primum mobile*, quod absoluit circulationem suam ab ortu in occasum, intra spatium 24. horarum, & secum rapit reliquos omnes cœlos inferiores.

Quartum cœlum est *Chrystallinum superius*, quod præter motum communem primi mobilis, habet alium motum proprium à Septentrione ad Meridiem, & à meridie ad Septentrionem, per spatium 24. minutorum, quod percurrit intra 3400. annos, & hinc fit vt secundum eos solstitia interdum citiùs, interdum tardiùs contingant.

Quintum cœlum est *Chrystallinum inferius*, quod præter duos motus duorum cœlorum superiorum, habet motum proprium ab ortu in occasum & ab occasu in ortum per spatium 150. minutorum, quod percurrit intra 1750. annos, & hinc fit vt secundum eos æquinoctia interdum tardiùs, interdum citiùs contingant: Duo autem motus proprij duorum cœlorum Chrystallinorum vocantur motus trepidationis & vibrationis.

Sextum cœlum est *Firmamentum*, vbi sunt omnes stellæ fixæ, quod præter tres motus trium cœlorum superiorum habet motũ proprium seu circulationem propriam ab occasu in ortum, quam absoluit intra 2486. annos, & secundum alios intra 36000. vel secundum alios intra 49000. quæ revolutio vocari solet magnus annus Platonicus, quâ absolutâ Veteres crediderunt omnia in pristinum statum creationis suæ redactum iri.

Septimum est *cœlum Saturni*, quod præter motus superiorum cœlorum, habet motum proprium aut circulationem propriam ab occasu in ortum sub Zodiaco, quam absoluit intra 30. annos.

Octavum est *cœlum Iovis*, quod præter motus superiorum cœlorum, circulationem propriam ab occasu in ortum sub Zodiaco absoluit intra 12. annos.

Nonum est *cœlum Martis*, quod præter motus superiorum cœlorum, circulationem propriam ab occasu in ortum sub Zodiaco absoluit intra duos annos.

Decimum est *cœlum Solis*, quod præter motus superiorum cœlorum, circulationem propriam ab occasu in ortum sub Zodiaco absoluit intra 365. dies, 5. horas, 49. minuta, & 12. secunda.

Vndecimum est *cœlum Veneris*, eodem tempore & eodem modo quo Sol circulationem suam absolvens.

Duodecimum est *cœlum Mercurij*, eodem tempore & eodem modo quo Sol circulationem suam absolvens.

Decimumtertium est *cœlum Lunæ*, quod præter motus superiorum cœlorum, circulationem propriam ab occasu in ortum sub Zodiaco absolvit intra 7. dies & 8. horas.

2. Aristoteles posuit tantùm octo cœlos solidos, scilicet septem cœlos planetarum, & octavum stellarum fixarum, quod ab eo credebatur primum mobile. Ptolomæus qui duos motus in stellis fixis notavit, supra

cœlum stellarum fixarum quod dicitur firmamentum, posuit aliud cœlum quod esset primum mobile, sicque credidit esse nouem cœlos. Alphonsus 10. Hispaniæ Rex tres motus in fixis stellis obseruauit, & ideo duos cœlos suprà firmamentum posuit, scilicet cœlum Chrystallynum & primum mobile, sicque credidit esse decem cœlos. Tandem Clauius & alij Recentiores Astrologi quatuor motus notarunt in stellis fixis, & ideo tres cœlos posuerunt suprà firmamentum, scilicet duos Chrystallinos & primum mobile, sicque vndecim cœlos solidos & mobiles esse crediderunt, quibus si addatur cœlum aqueum & empyreum erunt tredecim suprà allati.

3. Ordo cœlorum & planetarum probatur potissimùm ex parallaxibus & vmbris: Illi enim planetæ sunt inferiores qui habent majorem parallaxim, & qui in eodem puncto cœli existentes faciunt maiores vmbras: At Luna habet parallaxim cæteris majorem, deinde Mercurius, postea Venus &c. & Luna facit maiores vmbras: Ergo &c. *Parallaxis* est differentia aspectus, vel est differentia veri & visi loci astri alicuius: Locus verus astri dicitur illa pars cœli à qua per medium astri potest duci linea recta vsque ad centrum terræ: Locus verò visus est illa pars cœli à qua per medium astri ad oculum intuentis recta linea duci potest.

4. Tanta multitudo cœlorum duobus nititur fundamentis, scilicet quòd cœli sint solidi, & quòd astra tam fixa quàm erratica sint affixa suis orbibus; his enim positis clarum est tot esse cœlos quot sunt diversi motus astrorum; sed vndecim diuersi motus deprehensi sunt ab Astronomis; ergo vndecim cœli mobiles existunt, quibus si addatur cœlum aqueum & cœlum Empyreum erunt tredecim. Astra esse affixa cœlis tanquam gemmas annulis, nodos asseribus, & clauos rotis, supponitur potiùs quàm probatur: Cœlos verò esse solidos nonnulli probant ex cap. 37. Iobi, vbi juxta versionem vulgatam cœli dicuntur solidissimi instar æris: Verùm responderi potest primò, non Deum aut Iobum loqui capite citato, sed Iobi amicum, qui ibidem à Deo reprehenditur; secundò, vbi Latinè habetur qui solidissimi sunt, periti linguæ Hebraicæ dicunt phrasem hebraïcam habere, qui pellucidi sunt, nihilque asperitatis habent, sed sunt collucentes ad modum æris politissimi.

5. Hæc opinio de tanta multitudine cœlorum & soliditate, necnon de vnione indissolubili astrorum cum cœlis, refutatur his argumentis. Primum argumentum sic procedit: Tycho Brahe, Copernicus, Galilæus, & alij insignes Astronomi, obseruarunt Martem visum fuisse aliquando suprà Solem, aliquando infrà ipsum, idemque obseruarunt de Mercurio & Venere: Præterea, quinque visi sunt planetæ circa Iouem oberrantes, dicti Satellites Iouis, & duo alij circa Saturnum, qui omnes priùs ignoti beneficio perspiciliorum à Galilæo inuentorum innotuerunt; quibus adde tres maculas figuræ triangularis anno Christi 1613. ab vniverso orbe conspectas, quæ per duos integros menses durarunt, & successiuè Solem ipsum ingressæ & egressæ sunt; nonnulli ponunt ejusmodi maculas numero 30.

quæ

quæ non videntur esse quàm planetæ inter nos & Solem constitui : At si cœli essent solidi, & astra essent affixa suis orbibus, Mars non esse modò infrà modò suprà Solem, nec darentur eiusmodi Satellites & maculæ; ergo &c.

6. Secundum argumentum est ejusmodi : Omnes Astronomi Recentiores referunt Cometam qui apparuit anno Christi 1618. fuisse suprà cœlum Mercurij & Veneris, eò quòd haberet minorem parallaxim quàm Mercurius & Venus : Cum autem Cometa sit meteorum igneum ortum ex calida sicca viscosa & ampla exhalatione, non potuisset euehi suprà cœlos solidos.

7. Tertium argumentum tale est : Planetæ non sunt semper in eodem situ sui orbis, nec semper æqualiter distans à terra ; vnde Astronomi ponunt in illis Apogæum & Perigæum : *Apogæum* est punctum in quo planeta existens remotissimus est à terra : *Perigæum* verò est punctum in quo planeta existens est terræ proximus : At hæc esse non possent, si cœli essent solidi, & astra affixa orbibus.

8. Respondent Aduersarij, vnumquodque cælum planeticum constare tribus partialibus orbibus solidis in eo inclusis ; quorum supremus est concentricus terræ secundum superficiem conuexam, excentricus verò secundum concauam, medium est simpliciter excentricus secundum vtramque superficiem, infimus verò est excentricus secundum superficiem conuexam, concentricus verò secundum concauam : Dicunt autem planetam in medio orbe situm esse, & ad eius motum deferri ; vnde quia non omnes partes orbis æqualiter distant à terra, fieri potest vt planeta affixus orbi solido, modò dicatur esse in Auge seu Apogæo remotior à terra, modò in Perigęo proximior terrę.

9. Hęc Responsio refutatur ex eo quòd Luna verbi gratiâ existens in Apogæo aut Perigęo modo altior, modo depressior visa sit ; notatæ enim sunt ab Astronomis duæ Eclipses quę ambę contigerunt Sole & Luna existentibus in Apogęo vel in Perigęo, cum tamen vna fuerit notabiliter maior altera, & per consequens necesse fuerit Lunam vna vice fuisse propiorem terrę quàm alterâ.

10. Respondent Aduersarij ad hanc experientiam, in cœlo planetico, pręter orbem excentricum simpliciter, admittendum esse in illo orbe aliquam sphęrulam quæ communiter dicitur Epicyclus, adeo vt dum excentricus simpliciter circa proprium centrum voluitur, ipse Epicyclus circa suum moueatur, in eo autem Epicyclo planetam residere existimant, vnde licet Epicyclus sit in Apogęo vel Perigæo, attamen Planeta ipsi affixus modò altior, modò dimissior videbitur, prout planeta erit in suprema vel infima parte epicycli.

11. Contra hanc Responsionem, Dico inde sequi quòd non semper occurreret eadem facies planetę putà Lunę, sed interdum opposita appareret, quod tamen est contra experientiam, nisi dicatur Lunam alium motum conuersiuum habere in se intra Epicyclum, vnde fit vt semper eadem

facies Lunæ obscuretur: Verùm sic Luna non erit affixa suo orbi, quod solum hic contendo.

Objectiones Aduersariorum infrà dissoluentur, dum de Phęnomenis Astrorum.

12. Refutatâ cœlorum soliditate, eorúmque multitudine, & adhęsione astrorum suis orbibus, ea sententia cæteris probabilior mihi videtur, quæ pręter cœlum empyteum, & aquas tegentes ipsum, quæ dicuntur cœlum aqueum, statuit vnicum esse cœlum, quod Scriptura vocat expansum seu firmamentum, in quo scilicet Deus posuit Solem Lunam & stellas, quod diuidit aquas marinas à cœlestibus, & ipsum elementum aëris: Ejusmodi autem cœlum aëreum potest diuidi in duas partes, quarum vna est stellata quæ vulgò dicitur cœlum, altera verò non stellata in qua aues volitant, quæ vulgò dicitur aër. Ad id autem quod solet obiici de Pauli raptu vsque ad tertium cœlum: Respondetur, id intelligendum de cœlo empyreo, aqueo, & aëreo; vel de Empyreo, stellato, & non stellato; vel secundum alios de Empyræo, firmamento solido in quo sunt stellæ fixæ tanquam gemmæ in annullo, & de cœlo planetico fluido in quo sunt septem planetę, sed ei non affixi: Ponunt autem firmamentum solidum, quia sic commodiùs explicatur stellatum omnium fixarum mirabilis ordo, quæ paribus interuallis à se invicem semper distant.

ARTICVLVS QVARTVS.

De Sphæra Copernicana.

1. SPhæra Copernicana constat octo cœlis, aut potiùs octo partibus eiusdem cœli fluidi. Primò, ponit Solem immobilem in centro mundi, licet multi existiment eum moueri circa centrum suum, & circulationem suam absoluere intra 27. dies. Secundò, ponit Mercurium, qui circulationem suam circa Solem absoluit intra tres menses. Tertiò, ponit Venerem, quę circulationem suam circa Solem absoluit intra nouem menses. Quartò, ponit terram, aërem, & Lunam in eodem cœlo, quæ circulationem suam circa Solem absoluunt intra vnum annum: Sed Luna pręter motum quem habet communem cum terra circa Solem, habet alium particularem circa terram quem absoluit intra vnum mensem aut circiter: Terra verò, quę ab eo creditur planeta, pręter motum annum circa Solem, habet alium diurnum circa centrum suum, qui facit motum apparentem Solis, Lunę, & stellarum ab ortu in occasum. Quintò, ponit Martem, qui circulationem suam circa Solem absoluit intra duos annos. Sextò, ponit

Iouem

Iouem cum suis quatuor satellitibus, qui circulationem suam absoluunt circa Solem intra duodecim annos: Sed quatuor satellites Iouis, prętet motum communem quem habent cum Ioue circa Solem, alium habent particularem circa Iouem quem absoluunt intra paucos dies; nam remotissimus cum absoluit intra 16. dies, sequens intra 7. tertius intra tres dies cum dimidio, & quartus qui est proximus intra vnum diem & aliquid ampliùs. Septimò, ponit Saturnum cum suis duobus satellitibus, qui circulationem suam circa Solem absolvunt intra 30. annos. Octauò, ponit Firmamentum, quod est cœlum stellarum fixarum, quas statuit immobiles. Figura huius Sphærę Copernicanæ tradetur postea; argumenta autem quæ proponi solent contra opinionem Copernici, hęc sunt pręcipua.

2. Primum argumentum sic procedit: Si terra moueretur circa Solem intra annum, & circa centrum suum 24. horas, sequeretur nullum pondus posse ad perpendiculum cadere, neque lapidem projectum directè sursum, in eundem locum recidere, si dum pondus aut lapis sursum in aëre est, terra interim subducatur, & moueatur per aliquot milliaria: Sequeretur quoque aues è nidis prodeuntes, & sursum per aliquot tempus volantes, non reperturas ampliùs suos nidos si terra, arbores, & nidi auium iis affixi, interim moueantur per aliquot milliaria: Sequeretur etiam, neque globo, neque sagittâ, neque alia re, attingi posse scopum, qui vel ad boream, vel ad Austrum, vel sursum, vel oblique sit, scopo vtpote in ortum progresso simul cum terra, & re missili versus occasum manente: Sequeretur prætetea, duos globos bombardicos simul explosos, vnum versus ortum, alterum versus occasum, non æqualiter distare ab explodente, sed globum explosum versus occasum remotiorem fore globo exploso versus ortum, quia explodens simul cum terra moueretur versus ortum, dum globi mouerentur per aërem ęqualiter motibus contrarijs.

3. Respondent Copernicani, rem quę movetur imprimere suum motum rei ipsi coniunctę & rebus omnibus ab ea, vel à re ipsi coniuncta expulsis aut proiectis: Verbi gratiâ quando homo movetur, imprimit motum suum vestimento suo, quod movetur eodem motu quo homo vestitus, & si aliquis ęquè velociter currens, in medio suo cursu projiciat lapidem sursum, imprimet ipsi motum, & lapis ipsum sequetur, & cadet supra ipsum: Si currus moueatur, res omnes quę sunt in curru mouebuntur eodem motu quo currus; & si aliquis in curru existens proiiciat lapidem, lapis movebitur eodem motu quo ipse & currus, quia equi trahentes currum imprimunt motum suum currui, currus imprimit eundem motum homini existenti in curru, & homo existens in curru imprimit motum suum lapidi proiecto, adeo vt duo homines in duobus curribus ęqualiter motis existentes, eodem modo possint ludere pilâ ac si quiescerent currus. Si nauis moueatur, quicquid est in navi mouetur eodem motu quo nauis, & si lapis decidat ex suprema parte mali nauis motę, sequetur necessariò motum mali

& nauis, & ad pedem mali decidet. Cum igitur terra moueatur, & sub Æquinoctiali intra 24. horas 5400. milliaria germanica percurrat, necessariò imprimit motum suum rebus omnibus ipsis conjunctis, vel ab ipsis rebus conjunctis projectis: & sic necesse est primò, vt turres, pontes, arbores, homines, & belluas, moueri eodem moto quo terra, & intra 24. horas percurrere 5400. milliaria germanica sub Æquinoctiali veluti terra, non numeratis plusquam 16000. milliaribus germanicis, quæ ab ijs singulis diebus peraguntur circa Solem. Secundò, necesse est vt lapis decidens ex turri, vel directè sursum projectus ab homine, eodem motu moueatur quo terra & turris aut homo; & sic necesse est vt lapis decidens ex turris ad pedem turris decidat, & lapis directè sursum proiectus recidat in eundem locum vnde proiectus fuit. Tertiò, necesse est globum aut sagittam in scopum emissam moueri eodem motu quo terra homo & scopus, & sic globum aut sagittam tendere in scopum ac si terra & scopus essent immobiles. Quartò necesse est vt duo globi ex duabus catapultis æquali motu explosi, vnus versus ortum, & alter versus occasum, eodem motu moueantur quo terra, catapultæ, & explodens; & sic globi ejusmodi sint æqualiter remoti ab explodente, ac si terra esset immobilis. Quintò, necesse est vt lapis ex turri decidens, non moueatur rectà deorsum, nec descendat per rectam lineam, sed per lineam mixtam ex rectà & circulari, quæ dicitur parabolica, quoniam motus eius est mixtus ex motu recto lapidis decidentis & motu circulari terræ ipsum lapidem transferentis, licet aliter appareat oculis nostris. Sextò, necesse est vt sub æquinoctiali globus emissus versus occasum, in eodem loco maneat ac antea, nullum prorsus percurrens spatium, quoniam tantumdem fertur motu terræ versus ortum, quantùm pulsus est versus occasum vi pulueris tormentarij, siquidem secundum Copernicanos motus terræ sub Æquinoctiali & motus globi bombardici sunt æquales.

4. Contra hanc Responsionem sic insto. Primò, licet res quæ mouetur imprimat suum motum rebus proiectis, quando sunt capaces eiusmodi impressionis & motus, quales sunt lapides, globi bombardici &c. non tamen imprimit suum motum rebus tales motus recipiendi incapacibus, quales sunt plumæ, chartæ folia &c. & nihilominus pluma aut folium chartæ decidit ad pedem turris non minùs quàm lapis. Secundò, si auis currui celeriter moto insidens volet in altum, non sequetur motum currus; & ideo licet terra moueretur, & suum motum imprimeret turri, cui auis insideret, nihilominus si auis volet in altum non sequetur motum turris, & sic statim multis milliaribus distabit à turri, quod est contra experientiam. Tertiò, fumus lampadis extinctæ ab homine existente in curru velociter moto, non sequetur motum currus; & ideo licet terra moueretur, & imprimeret motum homini qui iam iam lampadem extinxit, non propterea fumus eiusmodi lampadis sequeretur motum terræ aut hominis; & sic fumus iste statim distabit pluribus milliaribus ab homine, quod tamen est contrà experientiam. Idem dicendum estde vaporibus è terra vel

aqua

aqua prodeuntibus, & nubibus, scilicet quod non sequerentur motum terræ; & sic nubes semper apparerent celeriter moveri ab ortu ad occasum, quod est contra experientiam. Quartò, si terra moveretur & motum suum imprimeret incolis terræ, sequeretur aërem ab ijs proscissum tanquam ventum continuum & rapidissimum sentiri.

5. Respondent Copernicani, non solùm terram & res ipsi conjunctas, sed etiam aërem & res in aëre contentas, moveri simul cum terra ab occasu in ortum motu circulari, sicut ea quæ sunt in navi moventur eodem motu quo navis: & quemadmodum ea quæ sunt in navi ita moventur motu navis, vt possint habere suos motus proprios versus hanc vel illam partem: Sic ea quæ sunt in aëre, putà aves, nubes &c. ita moventur motu aëris & terræ, vt possint moveri versus diuersas partes, siue secundum naturam, siue secundum desiderium.

6. Contra hanc Responsionem sic insto: vel totus aër, vel pars aëris duntaxat, movetur cum terra circa Solem & centrum terræ: Sed neutrum dici potest. Primò quidem totum aërem non sic moveri probatur hoc pacto: Totus aër comprehendit totum illud expansum secunda die creatum, quod se extendit à superficie terræ & maris vsque ad aquas supracœlestes, quæ sunt vltra stellas fixas, vt fusè probatum est suprà: Sed totus ille aër & totum illud expansum non potest moveri circa Solem & circa centrum terræ; alioquin sequentur eadem omnia absurda quæ à Copernicanis reperiuntur in motu Solis & astrorum, potissimùm ille motus rapidissimus & incomprehensibilis æquè reperietur in aëre aut expanso, ac in Sole & astris secundum Ptolomaicos, vt patet attendenti. Secundò, partem aëris non sic moveri probatur hoc pacto: Quia vel esset illa duntaxat pars aëris quæ se extendit à superficie terræ vsque ad fastigium celsissimorum montium, adeo vt terra imprimat ipsi suum motum, veluti currus qui celeriter movetur imprimit motum suum aëri & reliquis rebus in eo inclusis: vel esset illa pars aëris quæ se extendit ad quindecim milliaria vltra celsissimos montes, quæ dicitur Atmosphęra seu regio vaporum, sive constet solis vaporibus, sive constet etiam corporibus subtilissimis à terra emissis ad attractionem rerum quæ dicuntur graves; adeo vt ejusmodi vapores aut corpora subtilia sint veluti capilli terræ, quę moventur ad motum eius, sicut capilli moventur ad motum hominis; quò etiam refertur sententia eorum qui existimant totum aërem aut expansum nihil aliud esse quàm corpora subtilia à Terra, Sole, Luna, stellis, & alijs corporibus opacis emissa, quę pręter motum rectum quem habent ab emissione, habent motum circularem, per quem sequuntur corpora opaca, quæ ea emiserunt: vel denique est illa pars aëris in qua sunt planetæ, quæ simul cum planetis movetur à Sole circa suum centrum moto: Sed nullum horum dici potest, quod sic probatur.

Quintò; corpus pellens aliud corpus secundum Cartesium non potest communicare motum majorem eo quem habet, & quantùm communicat de suo motu tantùm deperdit de suo; at si Sol moveret vastam materiam planeticam communicaret ipsi motum mojorem eo quem habet, siquidem planetæ omnes simul cum tota materia planetica, habent motum majorem motu Solis; & Sol nihil vnquam deperdit de suo motu.

10. Secundum argumentum contra opinionem Copernici est ejusmodi: Terra est corpus gravissimum omnium: Ergo convenit ipsi locus infimus; scilicet centrum vniuersi; & per consequens non convenit Soli. Deinde, non potest alius motus convenire toti, quàm qui convenit partibus: At terræ partibus non convenit motus circularis, sed tantùm motus rectus in terram, vt patet experientiâ. Præterea, corpus simplex habet tantùm vnum motum. At terra est corpus simplex: Ergo habet tantùm vnum motum; atque adeo non habet duos motus, vnum circa suum centrum, alterum circa Solem. Denique, cum corpus sit naturâ suâ indifferens ad motum & quietem, & corpus non moveatur à principio intrinseco, sed quicquid movetur ab alio moveatur, vt probatum est dum de motu; necesse est vt motus terræ circa suum centrum & circa Solem sit à principio extrinseco: At nullum potest assignari principium extrinsecum tribuens terræ ejusmodi motus.

11. Respondent Copernicani primò, nullam esse grauitatem & levitatem naturalem, atque adeo terram ex natura sua non esse gravem aut levem, tantùm abest vt sit corpus grauissimum: Licet autem partes eius aliquo modo dicantur graves, quatenus scilicet abductæ à suo toto, ab eo retrahuntur, attamen tota terra à suo loco non abducitur, vt cum impetu reducatur; & ideo terra secundum se totam non est magis grauis quam Luna, Venus, aut globus alius sydereus quamuis in ipsis quoque vis insit partes suas retrahendi, si contingat illas abduci. Respondent secundò, partes terræ moveri tantùm motu recto per accidens, quatenus scilicet attrahuntur à terra magnetica; & non est necesse vt si motus partium terræ tectus sit ipsa terra tota alium, habere quàm rectum non possit; nam quicquid convenit parti, quâ pars est, non est necesse vt toti quâ est totum conueniat, alioquin ex quantitate, ex figura, ex positu, aut ex alijs adjunctis cujuslibet partis argumentari liceret ad idem toti asserendum, quod est paralogisticum. Respondent tertiò, non repugnare vnum & idem corpus pluribus motibus moveri; & terram esse corpus simplex assumitur; non probatur, præsertim cum tam variè mixta compositáque appareat: Sed sive sit simplex, sive composita, nihil obstat quò minùs plures motus habeat; alios proprios partium qui recti sunt, alium totius proprium qui est circularis; quin etiam motum circularem multiplicem esse nihil prohibet; quia vt puerorum turbo lusorius, & circa suum axem circumagitur, & simul supra pauimentum variè gyratur & circumcurrit, ita potest terra & revolui circa suum axem & circa Solem. Respondent quartò, va-

ſtum eſſe ſpatium in medio globi terreſtris repletum corporibus ſubtiliſſimis, quæ moventur circa centrum terræ, & faciunt vt terra moveatur circa centrum ſuum; & quidam exiſtimant ejuſmodi corpora ſubtilia eſſe ignea, & nihil aliud quàm ignem centralem: motum verò terræ circa Solem procedere ab ipſo Sole, qui motu ſuo circa centrum ſuum, motum imprimit planetis, atque adeo terræ, quam eſſe planetam ſtatuunt.

12. Contra hanc Reſponſionem Copernicanorum ſic inſto: Primò, ſive terra ſit gravis, ſive non; certum eſt eam eſſe denſiſſimam, & ob id collocatam eſſe à Deo in centro vniverſi, à quo ſi abduceretur, & ſibi relinqueretur, ſtatim in ipſum recideret, ſive naturaliter: ſive ab impulſione aëris, ſive alio modo; & licet tota terra non abducatur à centro, poteſt tamen abduci, ſive ab Angelis, ſive à Deo. Secundò, licet globus terreſtris varia corpora contineat, attamen plus terræ illi ineſſe quàm cujuſvis alterius corporis certiſſimum eſt; corpora autem compoſita non minùs quàm mixta moventur vi prædominanti elementi; & cum pura terra ſit corpus ſimplex, vel nullum, vel vnicum motum duntaxat habere poteſt: Adde quòd corpora terræ conjuncta non poſſunt illi dare duos motus tam diverſos, ſcilicet vnum circa ſuum centrum, alterum circa Solem. Tertiò, licet quod convenit toti heterogeneo non conveniat ejus parti, & quod convenit parti heterogeneæ non conveniat toti: Attamen quod convenit toti homogeneo convenit ejus partibus, & quod convenit parti homogeneæ convenit toti: Cum igitur pura terra ſit homogenea, imò totus globus terreſtris conſtans terra & aqua ſit homogeneus quoad motum, ideſt motum rectum exigant non circularem, manifeſtum eſt non habere motus diverſos vnum circa centrum ſuum, alterum circa Solem. Quartò, comparatio duorum diverſorum motuum turbinis luſorij cum duobus motibus circularibus terræ, non eſt ad rem; quia diverſi motus ejuſmodi turbinis ſunt violenti; at motus circulares terræ ſecundum pleróſque Copernicanos ſunt naturales; & poſſunt dari rationes diverſorum motuum turbinis, deſumptæ vel à brachio quod turbinem pellit deorſum, vel à funiculo ipſum turbinem cingente & in orbem voluente, vel ab inæqualitate pavimenti quæ in cauſa vt tubo modò huc modò illuc moueatur; at non poteſt reddi ratio duorum motuum circularium terræ circa centrum ſuum & circa Solem. Quintò, Ignis centralis movens circulariter terram circa centrum eſt purum figmentum intellectus humani, quod neque nititur ratione, neque experientia, neque vlla authoritate fide digna; & nulla aſſignari poteſt ratio cur ille ignis centralis moveat terram potiùs verſus ortum quam verſus occaſum. Denique, motus terræ à Sole refutatus eſt ſuprà, & attractio rerum gravium à terra magnetica refutabitur ſuo loco.

13. Ter-

13. Tertium argumentum contra opinionem Copernici tale est: Si terra non esset in centro vniuersi, sed Sol; & si terra intra 24. horas moueretur circa centrum suum, & intra annum circa Solem; sequeretur primò, numquam appariturum nobis hemisphærium integrum, seu dimidium cœli, nec per consequens dimidium Zodiaci seu sex signa Zodiaci, quia terra existens in Tropicis esset vicinior vni parti cœli 6000000. milliaribus gallicis, quàm alteri: At semper nobis apparet dimidium cœli seu sex signa Zodiaci. Secundò, sequeretur non fore semper eandem poli eleuationem aut depressionem, sed nobis quidem verbi gratiâ terrâ existente in Cancro, polum boream appariturum suprà horisontem eminentius quàm existente in Capricorno. Tertiò, sequeretur non futuras semper easdem stellas nobis verticales; eædem enim quæ vertici nostro imminent dum terra est in Cancro, non possunt imminere dum in Capricorno versatur. Quartò, sequeretur stellas non semper nobis apparituras ejusdem magnitudinis, siquidem ad eas propiùs accederemus 6000000. milliaribus gallicis, vt probabitur posteà & proximitas ejusmodi æqualem deberet habere virtutem perspicilijs per quas stellæ nobis apparent majores: Certum est tamen stellas nobis semper apparere ejusdem magnitudinis: In Eclipsi totali Solis stellæ nobis apparent ejusdem magnitudinis ac nocte, cùm tamen in tali Eclipsi simus remotiores à stellis milliaribus gallicis 6000000. Quintò, sequeretur nullam extituram in vlla prorsus terræ parte diuersitatem dierum & noctium, neque hyemis ac æstatis vllam vicissitudinem, quoniam translatâ per Eclipticam terrâ quælibet ejus pars eodem semper modo respiciet Solem; & ideo eadem semper siue rectitudine siue obliquitate ipsum respiciens, eodem modo diem, noctem, tempestatemque inuariatè est habitura. Sextò, sequeretur eundem hominem faciem habentem obuersam Septentrioni, manentem immotum, intra sex menses habiturum faciem obuersam meridiei, quod tamen est contra experientiam.

14. Respondent Copernicani; primò, quòd sicut tota terra est insensibilis magnitudinis comparata ad cœlum; & hinc fit vt ob longissimam distantiam duæ lineæ parallelæ terminatæque in duas partes cœli tantùm distantes inter se quantus est diameter terræ, coire tamen appareant, terminarique in eandem indiuisibilem partem cœli, neque terræ molem proinde obstare quominùs totum hemisphærium cum sex signis Zodiaci appareat: Ita Copernicana sententia statuit magnum illum seu annuum orbem quem terra circa Solem percurrit, collatum ad cœlum fixatum esse insensibilem, & statuit duas lineas parallelas & terminatas in duas partes cœli tantùm distantes inter se quantus est orbis diameter, apparere visui ob immensitatem distantiæ coëuntes, neque amplitudo orbis magni obstat quò minùs totum hemisphærium cum sex signis Zodiaci appareat.

Secundò, præter motum diurnum terræ circa centrum suum, & motum eius annuū circa Solem, tertius motus ei tribuitur, qui dicitur motus declinationis seu inclinationis, & qui propriè nihil aliud est quàm continentia axis terræ in suo parallelismo, adeo vt si existente terra in principio Arietis aut Libræ, seu in ipso mundi Æquatore, concipias Æquatorem terræ cum ipso coincidere, esséque proinde axem terræ parallelum ad axem mundi; concipere debeas ejusmodi axem, dum terra deinceps continenter pergit per Zodiacum, nullo modo deflecti aut variare situm, sed in eodem cum axe mundi seu cum seipso parallelismo constanter manere: Constat autem ex talis axis terræ continentia in sui ipsius parallelismo, & insensibili magnitudine totius circuli magni orbis quem terra motu suo circa Solem describit, futuram semper eandem poli eleuationem & depressionem in eodem loco: Constat etiam exinde fieri vt stellę eædem nobis verticales, ejusdémque magnitudinis semper appareant, quoniam propter eandem axis continentiam efficitur, vt punctum vertici nostro imminens, quando terra est in Cancro, tantùm ab eo distet, quod imminet nobis dum terra est in Capricorno, quanta est distantia inter duos Tropicos in ipso magno orbe acceptos; at quia hæc distantia, imò, & totus magnus orbis pro puncto est, ideo in cœlo quoque illud interuallum inter duo verticalia puncta pro puncto sit; atque ita stellæ quæ sunt nobis verticales terrâ existente in Cancro, eędem ipsæ sunt verticales terrâ existente in Capricorno: Et si terræ quidem axis nutaret, haberemus ad verticem modò has, modò alias stellas, at quia semper eódem respectat, ideo fit vt quemadmodum altitudo poli inuariata manet, ita & punctum verticale & cætera omnia inuariata maneant: Aliunde autem quia vbicumque est terra in magno orbe in eodem semper quasi puncto est, inde profectò efficitur vt stellarum magnitudo non possit ad visum crescere aut decrescere, cum vt id fiat necesse sit rem non ex eodem puncto spectare, sed ex distantia quæ sit sensibiliter major aut minor. Tertiò constat dierum & noctium, æstatis & hyemis, cæterarumque tempestatum vicissitudines, ideo fieri quòd propter eandem axis continentiam in suo parallelismo, terrę partes ad ipsum Solem comparatæ situm commutent; si enim axis terrenus conuerteretur ad Eclipticæ polos, ac intra ipsorum planum contineretur, tunc contingeret eandem terræ partem eodem semper situ degentem in cœlo Solem spectare; at quia terræ axis in alios polos dirigitur, ipsiúsque Æquator secat continenter in aliis aliisque locis Eclipticæ planum, hinc fit vt dum certa quędam pars terræ puta ista quam incolimus, dum terra est Capricorno Solem in Meridie magis apertum habeat adeoque magis eleuatum suprà horisontem concipiat; dum verò est in Cancro, obstet terræ gibbus qui tunc versus Austrum est, ne eadem pars Solem adeó apertum habeat & adeo eleuatum suprà horisontem. Quartò constat ob eandem axis continentiam in suo parallelismo, hominem habentem faciem obuersam Septentrioni, eò semper obuersam eam habere.

15. Contra hanc Responsionem Copernicanorum, Dico primò, notabilem

bilem esse magnitudinis differentiam inter terram & magnum hunc orbem quem terra dicitur percurrere circa Solem, cum terræ ambitus sit tantùm 10000. milliarium gallicorum, ambitus verò magnis orbis sit 18000000. adeo vt licet terra appareat tantùm quasi punctum respectu cœli, non tamen magnus orbis, cum à majori ad minus liceat tantùm argumentari negatiuè, non affirmatiuè.

16. Dico secundò, quòd si magnus orbis se haberet instar puncti respectu cœli stellarum fixarum, sequeretur quòd magnus ille orbis translatus in cœlum stellarum fixarum, appareret nobis hic manentibus instar puncti; quod tamen est falsum, quia magnus ille orbis comprehendit Solem, Lunam, Mercurium, Venerem, & omnia spatia quę sunt intra Solem & terram: At Sol translatus in cœlum stellarum fixarum, non appareret nobis hîc manentibus instar puncti, alioqui minor esset minimâ stellâ; & licet appareret instar puncti, non est tamen verisimile magnum illum orbem in quo 100000. Soles collocari possent apparriturum nobis hîc manentibus instar puncti, alioqui minima stella esset major 100000. Solibus, quod est absurdum.

17. Dico tertiò, distantiam stellarum fixarum à terra, qualem ponunt Copernicani, vt defendant magnum orbem esse instar puncti comparatè ad cœlum, omnem fidem superare: Statuunt enim stellas fixas distare à terra quadraginta duobus millionibus semidiametrorum globi terrestris; cum autem semidiameter globi terrestris contineat 860. milliaria germanica, vt notant Tycho Brahe, Kepplerus &c. necesse est vt 42. milliones semidiametrorum terrę contineant 36. billiones & 120. milliones milliarium germanicorum: At absurdum est ponere tantam distantiam stellarum fixarum à terra; tale enim spatium non potest percurri à corpore quod æqualiter moueretur ac globus à tormento explosus, nisi intra octodecim millia annorum & ampliùs, cum talis globus intra vnum diem percurreret tantùm milliaria germanica 5400. adeo vt licet corpus Christi, aut Eliæ, aut Enochi, in cœlum ascendentium, octodecies motum fuisset velociùs ejusmodi globo, attamen non ascendisset in cœlum stellarum fixarum nisi intra mille annos, & intra plures in cœlum Empyreum, quod est absurdum & contrarium Scripturæ.

18. Denique, hęc loca Scripturę destruunt sententiam Copernicanorum, *Terra in æternum stat, fundasti terram super stabilitatem suam, oritur Sol & occidit, Sol stetit miraculosè ad preces Iosuæ* &c.

ARTICVLVS QVINTVS.

De Sphæra Tychobraheana.

1. Tychobrahe, natione Danus, insignis Mathematicus & Astrologus, suam Sphęram nobis sic tradidit. Primò posuit terram immobilem

in centro mundi cum alijs elementis vulgaris. Secundo, posuit Lunam, quæ præter motum diurnum intra spatium 24. horarum, circulationem propriam absoluit circa terram in Zodiaco intra spatium 27. dierum & octo horarum, & redit ad idem punctum & gradum Zodiaci vnde processerat. Tertiò, posuit Solem, qui præter motum diurnum intra spatium 24. horarum, circulationem propriam absoluit circa terram in Zodiaco, & redit ad eundem gradum Zodiaci vnde processerat intra spatium vnius anni, idest intra spatium dierum 365. horarum 5. minutorum 49. Quartò, posuit Mercurium, qui præter motum diurnum intra spatium 24. horarum, & motum annuum simul cum Sole, circulationem propriam absoluit circa Solem intra tres menses aut circiter. Quintò, posuit Venerem quę prę-ter motum diurnum intra spatium 24. horarum, & motum annuum simul cum Sole, circulationem propriam absoluit circa Solem intra nouem menses aut circiter. Sextò, posuit Martem, qui præter motum diurnum intra spatium 24. horarum, circulationem propriam absoluit circa Solem in Zodiaco intra spatium duorum annorum aut circiter, & circulum aut viam Solis bis secat. Septimò, posuit Iouem, qui præter motum diurnum intra spatium 24. horarum, circulationem propriam absoluit circa Solem in Zodiaco intra spatium duodecim annorum aut circiter. Octauò, posuit Saturnum, qui præter motum diurnum intra spatium 24. horarum, circulationem propriam absoluit circa Solem in Zodiaco intra spatium triginta annorum. Denique, posuit firmamentum, cuius stellæ fixæ præter motum diurnum intra spatium 24. horarum, circulationem propriam absoluunt circa terram intra spatium vigintiquinque millium annorum.

2. Hæc sententia cæteris præferenda, & probanda ex refutatione aliarum: Est magis conformis Scripturæ quàm Copernicana, & vitantur omnia incommoda & absurda quæ in alijs reperiuntur. Duo motus in stellis & planetis vitantur per vnum motum spiralem versus occasum. Incredibilis celeritas astrorum vel vitatur, vel excusatur, minuendo distantiam illam immensam astrorum à terra, quæ ponitur à Copernicanis, & quæ nec ex parallaxibus nec alia ratione probari potest; imò in ponenda distantia illa tantopere dissident, vt nihil certi statui posse quilibet indicare possit; Copernicani enim ponunt quadringenta millia milliarium germanicorum aut circiter, plusquam Tychobraheani in distantia planetarum à terra, excipiendo Lunam: Copernicani volunt stellas fixas distare à terra quadraginta duobus millionibus semidiametrorum terræ; Tychobraheani verò tredecim tantùm millibus semidiametrorum terræ distare asserunt. Adde quòd si anima Christi intra tres horas rapta fuit in cœlum Empyreum, vt ait Scriptura, quod tamen est suprà cœlum stellarum fixarum; cur stellæ fixæ non poterunt circulationem suam absoluere intra viginti quatuor horas.

Schemata seu Systemata Ptolomaicorum, Copernicanorum & Tychobraheanorum hîc desiderantur.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS,

De Eclipsibus Solis & Lunæ.

1. ECclipsis *Lunæ* est priuatio aut defectus luminis solaris in Luna; propter interpositionem Terræ inter Solem & Lunam: Cum enim Terra sit corpus opacum, non potest Luna habere terram inter se & Solem positam, quin Solis luce, quâ solâ fulget, spolietur.

2. Vt sciamus *cur Luna Eclipsim patiatur, stellæ verò fixæ, & quidam planetæ eclipsim non patiantur*; notandum est triplicem esse vmbram, scilicet cylindricam, conoïdalem, & calathoïdem: *Vmbra Cylindrica* fit, cùm corpus opacum & lucidum sunt æqualia; tunc enim corpus opacum projicit vmbram suo corpori æqualem: *Conoidalis* fit, cùm corpus opacum est minus lucido; tunc enim corpus opacum projicit vmbram semper decrescentem: *Calathoides* fit cum corpus opacum est maius lucido; tunc enim corpus opacum projicit vmbram semper increscentem: In primo casu dimidium corporis opaci illustratur: In secundo aliquid ampliùs: In tertio aliquid minùs. Cum autem Terra quę est corpus opacum, sit minor Sole qui est corpus lucidum, atque adeo conoidalem vmbram in partem à Sole auersam continuò projiciat; contingit quidem Lunam esse immunem defectus, si dum est Soli opposita extra hunc conum vmbrosum sit, sed necessariò deficere, si intra ipsum immergatur.

3. *Constat autem Lunam esse Soli oppositam, & posse pati Eclipsim duntaxat in plenilunio*, quia tunc tantùm potest terra interjici inter Solem & Lunam. *Constat etiam Lunam non in omni plenilunio deficere aut Eclipsim pati*; quia Terrâ projiciente semper vmbram in Eclipticam à qua Sol non digreditur, Luna plerúnque ob deflexionem suam ab Ecliptica, modò versus septentrionem, modò versus meridiem, talem vmbram prætersugiat: Prætersugere autem vix potest senis quibúsque proximè mensibus, interdum tamen, sed rarò contingit vt Luna vmbram præterlabatur per annum integrum.

4. Notandum autem *Eclipses totales*, quæ sunt præsertim centrales, & quæ sunt maximæ durationis, *vix paucis minutis quatuor horas excedere, ac sæpe consistere infra*, quòd motus Lunę per id tempus non sit semper tardissimus: Notandum etiam dimidium pene hujus temporis consumi intra totales tenebras. Quòd si Luna paulo remotior sit ab Ecliptica in oppositione, tunc potest pars Lunę duntaxat per ipsam vmbram transcurrere, sicque fieri tantum Eclipsis partialis, ipsáque maior aut minor, prout distantia Lunæ ab Ecliptica maior aut minor fuerit. Et cum Lunę diameter

diuidatur in duodecim vncias seu partes æquales quas appellant digitos, solet defectus quantitas per digitos ac digitorum etiam minuta repræsentari.

5. Quod spectat ad luculam illam quæ in deficiente Luna obseruatur, quæque per totalem præsertim eclipsim tantò rubicundior obscuriórque euadit, quantò magis Luna versus vmbræ axem centrúmve accedit, censeo fieri ex refractione radiorum solarium, qui prætergredientes Atmosphæram terrenam, versus vmbræ axem ita deflectuntur, vt ipsam vmbram veluti dilucionem efficiant; ac tantò magis quantò minùs à margine receditur, tantò verò minùs quantò magis ad axem acceditur, quo radii jam pauci nulliue perueniunt, quibus Luna vix ac ne vix quidem visibilis fiat.

6. *Eclipsis Solis* est auersio radiorum Solis à nobis propter interpositionem Lunę inter Solem & aspectum nostrum; & meliùs diceretur eclipsis Terræ quàm Solis, quippe Terra est quę tunc luce Solis priuatur, cum alioquin Sol lucem suam illibatam retineat: Sed dicatur tamen Sol eclipsim pati, quatenus respectu nostri deficit.

7. *Eclipsis Solis fit tantùm in Nouilunio*, quia tunc tantùm Luna conjungitur cum Sole, & interponitur inter Solem & nos, adeo vt supernè duntaxat recipiat radios solares, & impediat quo minùs ad nos perueniant. Quòd autem non in omni Nouilunio fit eclipsis Solis, causa est latitudo Lunę seu deflexio eius ab ecliptica, ob quam Luna ad Boream aut ad Austrum prętetit, neque directè inter nos & Solem transit.

8. Hic quęri potest primò, *cur longè plures Lunæ quàm Solis eclipses appareant*? Ad quod respondetur, causam esse, quia globus Lunæ quo nobis Sol eripitur est longè minor globo Terræ quo Sol præripitur ipsi Lunæ, vt proinde longè faciliùs Luna incurrat in vmbram Terrę, quàm visus noster in vmbram Lunæ. Verùm id accipiendum est de loco Terræ determinato; nam spectato toto Terræ disco, nihilo sunt Solis eclipses Lunaribus infrequentiores; siquidem per senos vt plurimùm menses aliquæ aut hîc aut illic terrarum contingunt: Id autem ideo euenit quòd Luna, cum sit longè minor quàm Terra, non possit toti Terræ disco ad Solem conuerso eripere Solem, sed vmbram tantum in aliquam ipsis partem transmittere vnde solet fieri vt alicubi terrarum eclipsis totalis Solis sit, cùm alibi partialis tantùm, alibi etiam nulla est.

9. Hîc quæri potest secundò, *an possint dari eclipses Solis totales?* Ad quod respondetur posse dari; quia licet Luna sit minor, est tamen etiam nobis propior, vt propterea possit apparens eius discus apparenti Solis disco exæquari, sicque eum totum obtegere, quando scilicet est Perigæa. Hęc tamen est differentia inter eclipsim totalem Solis & eclipsim totalem Lunæ; quod eclipsis totalis Lunæ plerunque cum insigni sit mora, tanquam non valente se Luna ab vmbra terrena breui se expedire, eò quòd diameter vmbræ sit habeatúrue propemodùm triplo major diametro Lunę, occupétque propè gradum cum semisse, ipsa verò Luna non

peruadet

peruadat nisi vnum dimidium gradus intra vnam circiter horam; eclipsis verò totalis Solis nequeat esse cum mora saltem valde sensibili, neque adeo possint esse diuturnæ, quæ interdum densissimæ, etiam sub meridiem creantur tenebræ, adeo vt stellæ conspiciantur, aut condantur, aut procidant, eò quòd Luna motu suo in ortum Soli subtercurrens statim ac limbo suo orientali orientalem limbum Solis attigit atque adeo totum Solis aperuit, incipiat ipso occidentali occidentalem deserere, & Solem reuelare.

10. Hic quæri potest tertiò, *quæ maxima eclipsis Solis duratio sit?* Ad quod respondetur, maximam eclipsis durationem esse plùs minùs duarum horarũ: Nam cum Luna singulis horis conficiat plùs minùs vnius gradus dimidium, & diameter Solis sit vnius gradus; necesse est vt ex quo Luna limbo suo orientali occidentalem limbum Solis attigit, eclipsique principium fecit horam vnam integram insumat quovsque idem limbus ad orientalis Solis perueniat, mediúmque eclipsis efficiat, & quia tunc tantùm limbus Lunæ occiduus ad occiduum Solis peruenit, quem mox relinquit, necesse est vt horam iterum insumat quousque idem limbus ad orientalem Solis perueniat, & ab eo excedens eclipsi finem faciat.

11. Rursus, quia apparens discus Lunæ Apogeę, minor est quàm Perigeæ, atque adeo minor quàm ipse discus Solis, interdum contingit, vt dum Luna Apogea subtercurrit Soli, & centrum centro conjunctum habet, supersit ex Sole totus circum limbus, quasi armilla aurea, aureúsve quidam circulus, totum scilicet Solem non tegente Lunâ.

12. Hic quæri potest quartò, *quid dicendum de illa tam celebri eclipsi Solis, quæ apparuit in morte Christi, an fuerit naturalis, an contra naturam, & an fuerit vera eclipsis?* Ad quod respondetur primò, non potuisse esse naturalem; quia eclipsis naturalis Solis fit tantùm in nouilunio, & maxima durat tantùm per duas horas: At hæc contigit in plenilunio, tempore Paschatis quod celebrabatur die 14. Lunæ mensis Martij, & durauit per tres horas, vt dicitur in Euangelio. Respondetur secundò, non fuisse veram eclipsim, sed caliginem quandam densissimam in sola Iudęa, similem illi quæ olim contigit in Ægypto tempore Mosis: Si enim fuisset vera eclipsis & tam extraordinaria, proculdubio notata fuisset ab omnibus historicis, quod tamen factum non est. Dices Eusebium in Chronico referre Phlegonem historicum & libertum Imperatoris, qui vixit eo tempore, mentionem fecisse huius eclipsis prodigiosæ. Verùm respondetur Phlegonem mentionem tantùm facere eclipsis quæ contigit anno 1. Olympiadis 202. anno vrbis conditę 781. At hæc caligo tenebrosa & mors Christi contigerunt anno vrbis conditæ 784. vt probaui in Libro gallico qui inscribitur *Lumen rationis*.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

De Diebus, Horis, Crepuſculis, Septimanis, Menſibus, & Annis.

1. Dies, vel naturalis, vel artificialis. *Naturalis* dies eſt ſpatiũ 24. horarum æqualium, quo tempore Sol vnam circulationem abſoluit circa terram, & continet diem & noctem artificialem. *Dies artificialis* eſt mora Solis ſupra horiſontem; *nox* verò *artificialis* eſt mora Solis infra horiſontẽ.

2. *Hora*, vel ęqualis, vel inęqualis: Hora *æqualis* eſt vigeſima quarta pars diei naturalis, quę ę diuiditur in ſexaginta ſcrupula ſeu minuta prima, & quodlibet minutũ in ſexaginta ſecunda, quodlibet ſecundũ in 60. tertia &c. *Hora inæqualis* eſt duodecima pars diei aut noctis artificialis, quę dicitur inęqualis non comparata ad alias horas ejuſdem diei, ſed ad horas aliorũ dierum.

3. *Crepuſculum* eſt crepera ſeu quaſi dubia aut media lux quę tam ante Solis ortum in regione orientis apparet, & aurora ac crepuſculum matutinum vocatur quàm poſt Solis occaſum in regione occidentis, & crepuſculum veſpertinum appellatur. Cauſa crepuſculorum eſt Atmoſphæra ſeu regio vaporum, quâ Terra quaſi circumueſtita Solis radios reflectit ad nos ſi enim nulli eſſent vapores, ſed tantùm puriſſimus aër nihil planè lucis, ſiue ante ortum Solis, ſiue antę eius occaſum cerneremus, ſed ſtatim fieret tranſitus ex tenebris meris ad diurnam Solis lucem, & ex diurna Solis luce ad meras tenebras. Initium autem crepuſculi matutini, & finis crepuſculi veſpertini contingit, cùm Sol eſt infra horiſontem octodecim gradibus ſecundum verticalem circulum perpendiculariter acceptis. Altitudo verò Atmoſphærę ſupra terram eſt quadraginta circiter milliarium Italicorum. In ſphęra recta crepuſculum eſt breuiſſimum, & durat tantum per horam & aliquid ampliùs, quia Solis aſcenſus & deſcenſus eſt perpendicularis & rectus: In ſphæra obliqua crepuſculum eſt prolixius, quia arcus paralleli inter punctum orituri & occaſuri Solis in vno verticali, & punctum gradus decimioctaui in alio verticali interceptus, obliquè ſe habet, atque adeo eſt octodecim gradibus prolixio, vnde & quia per æſtatem prolixior eſt quàm per hyemem, fit vt crepuſculum ęſtiuum prolixius ſit quàm hyemale, & in vrbe Lutetia cum per hyemem non accedat ad horas duas, accedat tamen per ęſtatem proximè ad quatuor; & crepuſculum tantò eſt prolixius, quantò ſphęra eſt obliquior: In ſphæra demum parallela continuum crepuſculum eſt per dies proximè 52.

4. *Septimana* ſeu hebdomas eſt collectio ſeptem dierum, quâ vſi ſunt orientales ſemper, occidentales verò duntaxat à Chriſtiana fide recepta; nam Gręci quidem Decade, Romani verò Enneade potiùs vtebantur. Ethni-

Ethnici singulos hebdomadis dies donarunt nominibus Planetarum, eamque retinent adhuc appellationem apud nos; nisi quòd loco diei Solis diem dominicam dicimus, ob reverentiam ejus diei quâ Christus Dominus surrexit à mortuis & loco diei Saturni diem Sabbathi, quasi diem quietis vocamus, ob memoriam ejus diei quâ Deus initio dicitur quieuisse ab omni opere: At cur post diem Solis sequitur dies Lunæ, & post hunc dies Martis &c. Id oritur ex domino illo quod tribuitur Planetis singulis in singulas horas: Cum enim velint prima diei hora, incipiendo à Meridie, dominari Planetam qui diei nomen dat, & hora sequenti planetam sequentem iuxta ordinem quem descendendo habent in cœlo, & sic deinceps, etiam redeundo ad supremum cum ventum fuerit ad infimum, eueniet vt attribuendo singulos planetas horis singulis, postquam ventum est ad vigesimamquartam, sequatur pro hora vigesima quinta, hoc est prima diei sequentis planeta ille qui diei nuncupationem tribuit.

5. *Mensis*, vel Lunaris, vel Solaris: Mensis *Lunaris*, vel periodicus vel Synodicus, vel illuminationis. Mensis *periodicus* est spatium temporis quo Luna digressa ab vno Zodiaci puncto ad idemmet redit, estque dierum 27. horarum 7. & minutorum 44. Mensis *Synodicus* est spatium temporis quo Luna ab vna coniunctione cum Sole ad aliam coniunctionem redit, estque dierum 29. horarum 12. minutorum 44. Est autem hic mensis Synodicus maior periodico, quia Luna postquam redierit ad punctum in quo fuerat Soli coniuncta, duos & ampliùs dies adhuc progredi debet, vt Solem qui interea motum non intermisit, assequatur. Mensis *illuminationis* est tempus illud quod fluit ex quo primùm Luna apparet recens vesperi quousque iam vetus manè occultetur, estque dierum 26. aut circiter. Mensis Solaris, si assumatur medius inter excessum defectumque, est dierum 30. & horarum 10. proximè cum semisse. Mensis etiam distingui solet in Astronomicum & Ciuilem: *Mensis Astronomicus* est propriè Lunaris, sed Synodicus præsertim. *Mensis civilis* est quo Civitates nationésque variæ pro institutis suis vtuntur. Lunaribus Synodicis vsi sunt olim Iudæi, Græci, Romani, & hodie Mahumetani, quorum vnus erat 30. dierum & dicebatur plenus alter verò 29. & dicebatur cauus: Solaribus mensibus vsi sunt Ægyptii, & Romani post Iulium Cæsarem & nos Christiani quorum quidam sunt dierum 31. alii 30. & Februarius 28. aut 29.

6. *Annus*, vel Solaris, vel Lunaris: Annus *Solaris* vel Tropicus, vel Iulianus: *Annus tropicus* est spatium temporis quo sol ab vno Zodiaci puncto, putà Æquinoctij aut solstitii, ad idem reuertitur; estque dierum 365. horarum 5 minutorum 49. secundorum 12. *Annus Iulianus* quem Iulius Cæsar introduxit in vsum populi Romani, est præcisè dierum 365. horarum sex, quę sex horę non numerantur nisi in fine quarti anni, faciuntque vnum diem, qui additur mensi Februario, qui tunc est 29. dierum cum tribus precedentibus annis fuerit tantùm 28. dierũ. Romani interserebant illũ diem inter 23. & 24. mensis Februarii qui erat sextus ante Calendas Martias, & quia talis dies bis numerabatur, dictus est *bissextus*, & annus bissex-

tilis. Inde patet annum Tropicum esse minorem Iuliano minutis vndecim, atque adeo nimium esse quod additur quolibet anno bissextilis, ac posse idcirco æquinoctia & solstitia non fieri eodem die anni, atque exinde euenisse, vt cùm tempore Concilij Nicæni Æquinoctium vernum contingeret circa diem vigesimum primum Martij, deprehensum fuerit sęculo præcedenti contigere circa vndecimum diem Martij; vnde factum est vt año Christi 1582. suppressi fuerint decem dies, vt æquinoctium vernum rediret ad vigesimum primum Martij; & quia post 133. annos aut circiter, annus Iulianus vno die superat Tropicum, cautum est vt in posterum singulis centum annis non numeraretur dies bissextilis, nisi quarto centenario; Romani sequuntur hanc correctionem Calendarij à Gregorio 13. Pontefice Romano factam; at Reformati eam non sequuntur.

7. *Annus Lunaris* constat 12. mensibus Lunaribus Synodicis, seu diebus 354. horis octo, minutis 48. sicque minor est anno Solari diebus ferè vndecim, quos quia quot annis adiicimus vt Lunarem cursum ad Solarem accommodemus, ideo epactales vel epactas vocamus; quare id quod vulgò dicitur *Epacta* crescit singulis annis vndecim diebus, & quando superat triginta, id quod superest dicitur Epacta, quòd si jungatur Epacta cum numero mensum incipiendo à Martio, & cum numero dierum mensis præsentis, quod resultabit erit numerus dierum Lunæ, & si numerus resultans superet triginta, supprimendi sunt dies illi trigenta, & quod superrerit notabit numerum dierum Lunæ.

8. His adde *Olympiadem* quæ est est spatium 4. annorum, quibus elapsis, scilicet in principio quinti celebrabantur ludi Olympici. *Lustrum* est spatium 4. aut 5. annorum. *Indictio* est spatium quindecim annorum, eà vtebantur Imperatores, & hodie Papæ. *Numerus aureus* seu *cyclus Lunæ* est spatium 19. annorum, quibus elapsis redeunt eadem Nouilunia & plenilunia & eędem Epactę *Cyclus Solaris* est spatium 28. annorum, quibus elapsis redeunt eædem literæ dominicales. *Iubilæum* est spatium 49. aut 50. annorum. *Seculum* est spatium centum annorum. *Epoche* seu Æra Christi est ab annis 1679. Epoche Olympiadum ante annum Christi 777. Epoche vrbis Romæ conditę est annus primus septimæ Olympiadis ante annum Christi 752. Epoche Nabonassari Babyloniorum Regis ante annum Christi 747. Epoche obitus Alexandri magni, quâ vsi sunt Ægyptij est ante annum Christi 324. Epoche Iulij Cæsaris est ante annum Christi 45. Epoche seu Æra Diocletiani, seu Martyrum qui sub eo sunt passi in Regione Coptitarum prope Nilum, quæ dicitur etiam Æra Abyssinorum & Æthiopum, est post annum Christi 183. Epoche Arabum seu Hegiræ aut Fugæ Mohammedis, est post annum Christi 622. Epoche persarum seu Ieldagiro vltimi Persarum Regis, quem vicit & interfecit Othman est post annum Christi 631.

ARTI-

ARTICVLVS OCTAVVS.

De ortu & occasu Syderum.

1. ORtus & *occasus Syderum* duplex est, Astronomicus & Poëticus: *Astronomicus* nihil aliud est quàm ascensio & descensio Syderum penes Æquatorem spectata, ideft ascensio & descensio Syderis cum aliqua parte Æquatoris; quæ ascensio & descensio Syderis est recta in Sphæra recta, obliqua verò in Sphæra obliqua; in Sphęra parallela nullus est talis ortus & occasus.

2. *Poëticus* duplex est, horisontalis, & heliacus: *Horisontalis* attenditur penes horisontem suprà quem emergunt aut infrà quem demergunt Sydera: *Heliacus* verò attenditur penes Solem à cujus radijs reliqua Sydera aut liberantur, aut occultantur.

3. *Horisontalis* duplex, Cosmicus seu mundanus, & Acronychus *Cosmicus* desumitur à tempore orientis Solis; adeo vt si quod astrum oritur quo tempore Sol oritur, id dicitur Cosmicè oriri, & si aliquod astrum occidit quo tempore Sol oritur, id dicitur Cosmiscè occidere. *Acronychus* verò desumitur à tempore occidentis Solis, adeo vt si aliquod astrum oriatur cùm Sol occidit, eius ortus dicatur acronychus; si verò aliquod astrum occidit cùm Sol occidit, eius occasus dicatur acronychus.

4. *Heliacus ortus Syderis desumitur ab apparitione eius à Sole*; adeo vt illud astrum heliacè oriri dicatur, quod cum prius foret ob Solis viciniam inconspicuum, conspici deinceps mane vesperíue incipit ob ejus distantiam à Sole, emersionemque ex ejus splendore; illud verò astrum heliacè occidere dicatur, quod cum prius foret ob Solis distantiam conspicuum deinceps conspici desinit ob Solis viciniam, ipsiúsque astri immersionem in Solares radios: Dixi Solis vicinam, ne comprehendi putes isto aut exortu illam quasi reuelationem omnium Syderum quæ singulis noctibus toto passim cœlo fit Sole abeunte, aut occasu illam quasi occultationem omnium syderum quæ toto cœlo singulis diebus fit Sole adueniente; sed illę Solæ stellæ sunt huius ortus & occasus heliaci participes, quę Solis Zodiacum percurrentis splendore ita obducuntur vt per multos dies reddantur inuisæ, quippe quæ per noctem sint vnà cum Sole infrà horisontem, & licet aut mane Sole nondum exorto, aut vespere Sole jam occaso suprà horisontem sint versantur tamen in ea auroræ crepusculinæ claritate vt fiant prorsus inconspicuæ.

ARTICVLVS NONVS.

De Reliquis Phænomenis astrorum.

1. Reliqua astrorum phænomena hęc sunt pręcipua. Primò, *Sol inæquabiliter Eclipticam motu annuo percurrit saltem apparenter*: nam ab Æquinoctio verno vsque ad Autumnale dies insumit 187. Ab Autumnali verò in vernum nonnisi 178. sicque in percurrenda vna medietate Eclipticę totos nouem dies plusquam in altera moratur. Vt huius phęnomeni ratio reddatur, concipiendus est circulus Eclipticę Eccentricus, idest cuius centrum distet à centro mundi seu Terrę proximè triginta ipsius Terrę semidiametris quę intercapedo vocatur Eccentricitas: Posteà concipienda est linea per hęc duo centra traducta circulum sectura, tum in puncto illius à terra remotissimo quod vocatur Aux seu Apogæum, tum in puncto eiusdem circuli Terrę proximo, quod dicitur Perigęum seu oppositum Augis, & hęc linea dicitur linea Apsidum seu linea Apogæi: Deinde, concipienda est alia linea, quæ ad angulos rectos illam secans, per centrum Terrę transeat, & simul concipietur secare Eccentricum in duas partes inęquales, quorum maior erit ex parte Apogęi, minor verò ex parte Perigæi; & hæc linea dicitur linea mediarum longitudinum. Denique, concipiamus Solem ęquabiliter moueri per Eccentrici circunferentiam, & fingamus nos esse in centro Eccentrici, quia Solem ęqualiter semper distantem habebimus, agnoscemus fore vt æqualiter, idest non vno tempore velociùs tardiúsve moueri quam alio: Nunc autem quia sumus non in eccentrici, sed in centro mundi, scilicet in terra, & ex terra non ex centro eccentrici Solem spectamus, agnoscimus, quia Solem non habemus vndique æqualiter distantem, necesse esse vt Sol nobis videatur moueri inęquabiliter, hoc est ad Apogæum segniùs, ad Perigęum velociùs ac medio modo, cùm à terra elongatur mediocriter, idest cùm versatur in linea mediarum longitudinem: Porrò cum Apogęum hoc tempore non longè sit à principio Cancri per initia nempe gradus septimi, ac Perigęum proinde non longè sit à principio, Capricorni, fit vt Sol à principio Arietis percurrens signa borealia vsque ad principium Libræ insumat dies 187. & à principio Librę percurrens australia vsque ad principium Arietis non insumat nisi 178. hoc est nouem minùs. Dixi autem Solis Apogęum esse hoc tempore non longè ab initio Cancri, quoniam lentè quidem, sed nonnihil tamen procedit semper in consequentia, scilicet quantùm procedunt fixæ suo motu in ortum, scilicet quotannis vno & quinquaginta secundis.

2. *Astra interdum maiora, interdum minora nobis apparent*; maiora quidem quando sunt in Perigęo terræ proxima, minora verò quando sunt in Pe-

in Perigæo à terra remotissima. Inde fit vt Sol per Cancri initia, seu circa solstitium æstiuum, in Apogæo existens, diametro minor appareat vno minuto proximè, quàm per initia Capricorni, seu circa solstitium hybernum. Inde etiam fit vt Martis diameter appareat octuplo major in Perigæo quàm in Apogæo, & cum in Apogæo vix stellæ secundæ magnitudinis exæquetur, scilicet in coniunctione, in Perigæo seu in oppositione cum Sole, Iouis & Veneris magnitudinem æmuletur. Inde rursus fit vt Venus existens in Perigæo etiam interdiu ac sub ipsum meridiem facilè videatur. Denique fit vt Lunæ diameter in Perigæo sit minutorum 31. secundorum sex, in Apogæo verò sit tantùm minutorum 26. secundorum 36.

3. *Astra interdum velociùs, interdum tardiùs moueri nobis apparent*: velociùs quidem quando mouentur à linea mediarum longitudinum ad Perigæum & à Perigæo ad lineam ejusmodi; tardiùs verò quando mouentur à linea mediarum longitudinum ad Apogæum, & ab Apogæo ad illam lineam. In Luna secus res se habere dicitur, vt explicabitur in magna Physica.

4. *Astra nec semper oriuntur, nec semper occidunt in eodem puncto horizontis, sed oriuntur & occidunt modò magis versus septentrionem, modò magis versus meridiem*: quod à Ptolomaicis tribuitur duplici motui, quorum vnus est ab ortu in occasum raptu primi mobilis, alter vero ab occasu in ortum oblique per Zodiacum; sed ab alijs tribuitur, & quidem meliùs, vnico motui simplici spirali versus occasum, ideſt non directè seu per circulos parallelos, sed obliquè siue per spiras, stellæ autem fixæ velocissimè omnium feruntur in occasum, & spiras describunt confertissima & quasi attiguas: Sol mouetur segniùs, & laxiores spiras describit; Luna mouetur segnissima, & describit laxissimas spiras: Hinc autem fit vt Sol diebus singulis vno gradu, & Luna tredecim retardatior quàm fixæ moveri in ortum videantur: Hinc etiam fit vt Luna circulationem suam circa terram ab ortu ad occasum non absoluat nisi intra ferè vigintiquinque horas; & Sol nisi intra 24. horas & decimamquintam partem horæ, quæ continet quatuor minuta: Hinc quoque fit vt stellæ quædam videantur Solem antecedentes aut subsequentes, quæ postea non videntur ampliùs; quæque non videntur posteà videantur, quia stellæ orientes cum Sole, citiùs eo occidunt, eo quod motu suo spirali faciant suas spiras angustiores, Sol verò laxiores, & Sol per consequens in circulatione sua diurna percurrat gradus 361. cum stellæ percurrant tantùm 360. vnde fit vt stellæ ortæ cum Sole singulis diebus recedant à Sole vno gradu & sic post aliquot dies non sint ampliùs intra radios solares, atque adeo videantur, aliæ verò quæ antea videbantur immergantur intra radios solares & non videantur.

5. *Planetæ non semper seruant eandem distantiam inter se: nec cum stellis fixis*: Nam interdum sunt in conjunctione, interdum in oppositio-

ne, & modò se respiciunt aspectu sextili, modò trino, modò quadrato, quod tribui debet diuersis motibus planetarum. Hinc fit vt *Luna* sit *noua*, idest fit *nouilunium* in coniunctione cum Sole, quando scilicet Sol eam illuminat supernè duntaxat; fit *corniculata* quando parùm recessit à Sole; fit *semiplena* quando recessit à Sole tribus signis, fit verò *plena*, atque adeo plenilunium, cùm maximè recessit à Solè, scilicet in oppositione: Recedit autem singulis diebus à Sole, vel accedit ad illum, quia tardiùs Sole occidit, eò quòd motu suo spirali describat spiras multò laxiores quàm Sol.

6. *Declinatio astri* est distantia ejus ab Æquatore tendendo in polum mundi alterutrum: *Latitudo astri* est distantia ejus ab Ecliptica: *Longitudo* verò *Astri* est distantia ejus à principio Arietis. Hinc fit vt astrum quod est in Æquatore careat omni declinatione, quod est in Ecliptica careat omni latitudine, & quod est in principio Arietis careat omni longitudine. Hinc fit etiam vt declinatio & latitudo nõ possint excedere gradus 90, seu quadrantem circuli, eò quòd vtraque terminetur hinc inde ad oppositos polos; cum tamen ascensio recta & longitudo astri excurrant vsque ad 360. scilicet secundum totum ductum tam Æquatoris pro ascensione recta, quàm Eclipticæ pro longitudine.

8. *Interdum Luna Ecclipsim patiente, Sol & Luna supra horisontem apparent, licet vtrumque luminare sit realiter infra horisontem*; cujus rei ratio petenda ex refractionibus hoc pacto: Radij transeuntes ex medio rariori in densius refringuntur, & versus perpendicularem accedunt; transeuntes verò ex densiore in rarius refringuntur, & à perpendiculari recedunt: Inde fit vt Solis & cæterorum syderum radij, dum ex purissimo æthere in Atmosphæram incidunt, refringuntur versus perpendicularem, idest versus illum radium qui dirigitur ex Sole versus centrum Terræ, quod idem est cum centro Atmosphæræ: Et quia tendentes versus nos radij sunt maximè versus perpendicularem obliqua, cùm sydus est in horisonte, idcirco tunc fit maxima refractio, eáque in stellis fixis minutorum 30. In Sole autem & Luna minutorum 31. aut 34. ac deprehenditur tantò minor refractio quantò sydus euectius est, adeo vt stella fixa vltra vigesimum, Sol verò & Luna vltra 35. aut 58. gradum altitudinis nullam sensibilem refractionem patiantur: Ex illa autem horisontali refractione efficitur vt Sol verbi gratia in horisonte constitutus, & per radium refractum visus, appareat nobis altior proximè minutis 34. quàm reuerà sit, & quam appareret si sublatis vaporibus directo radio conspiceretur, & cum ipsius diameter dimidij gradus seu minutorum 30. sit; ideo possit videri totus suprà horisontem, cùm est tamen totus reuerà infra horisontem; Id perinde fit ac dum posito in fundo peluis calculo, caput ita firmas, vt labium peluis obstet ne calculum videas, quem si tamen aquâ infusâ visurus, calculo oculóque immotis, nimirùm qui radius directus desinebat prius in frontem, ita refringitur transeundo ex aqua in aërem vt allabatur acu-

lo,

lo, calculúmque ipsi visibilem faciat: Et hinc etiam fit vt Luna Eclipsim patiente, vtrumque luminare supra horisontem existens appareat: licet reverà vtrumque sit revera infrà: Et hinc etiam factum est, vt in noua Zemola post noctem continuam duorum mensium ac semissis, Hollandi Solem recuperarint aliquot diebus maturiùs quàm meritò expectabatur, Atmosphæra videlicet speciem Solis euehente.

8. *Datur parallaxis* ob quam planetæ altiores aut humiliores judicantur. *Parallaxis* est differentia inter verum & visum locum alicujus astri, *Verus locus astri* est punctum in Firmamento ad quod terminatur recta linea ex centro Terræ seu mundi per ipsum astri centrum traducta: *Visus* autem *locus* est punctum in Firmamento ad quod terminatur recta linea quæ ex oculo per astri centrum traducitur: Quò autem aliquod astrum est terræ propinquiùs, eò majorem paralaxim creare; & quò altius eò minorem, vt patet ex Schemate quod hîc desideratur.

9. Præter primariam lucem Lunæ, quam mutuatur à Sole, *datur secundaria lux* circa nouilunium, & paulò antè & pòst, necnon tempore eclipsis Lunæ. *Secundaria lux, quæ in Luna recente & vetere apparet*, deriuatur à Sole, sed per reflexionem radiorum Solis à Terra: Cum enim Sole continenter dirigente radios in terram, Terra continenter ipsos reflectat versus regionem in qua est Sol, efficitur vt quoniam Luna tam recens quàm vetus in eadem regione versatur, ideo reddatur particeps ejusmodi reflexionis, ac tantò magis quantò propinquior Soli extiterit, tanto minùs quantò remotior; quòd si Luna reflectat lumen à Sole acceptum in terram, cur non terra reflectet lumen à Sole acceptum in Lunam. *Secundaria lux, quæ in Luna eclipsim patiente apparet*, explicata est suprà articulo 6. numero 5.

10. *Planetæ interdum sunt directi, interdum retrogradi, interdum stationarij*; exceptis Sole & Luna quibus nulla retrogradatio conuenit: *Directi planetæ* dicuntur qui moventur in consequentia, putà ab Ariete ad Taurum, à Tauros ad Geminos, à Geminis ad Cancrum &c. *Retrogradi* dicuntur qui mouentur in antecedentia, putà ab Ariete ad Pisces, à Piscibus ad Aquarium, ab Aquario ad Capricornum &c. *Stationarij* verò dicuntur qui per aliquod tempus sub ijsdem stellis fixis hærere & eundem locum occupare videntur. *Ptolomaici* id tribuunt quinque planetis, quatenus in partibus varijs epicyclorum suorum versantur: Nam quia planeta in superiore epicycli parte imitatur motum ipsius Eccentrici centrive Epicycli, qui est semper in consequentia, hinc fit vt duplicato motu planeta velut dirigatur seu secundum seriem signorum suum cursum intendat, & per ipsum quidem Apogæum Epicycli ocyssimè, hinc inde autem tantò segniùs quantò ampliùs ab ipso abest: Quia autè in inferiori parte Epicycli existens planeta aduersatur motui Eccentrici, & celeriùs fertur per Epicyclum in antecedentia, quàm deuehatur ab Eccentrico in consequentia, inde fit vt retrogredi seu contra successionem signorum moveri appareat, ac per ipsum quidem Perigæum Epicycli citissimè, hinc inde tantò

lentiùs quantò longiùs ab eo versatur: Tandem quia in parte Epicycli descendente seu orientali, & qua parte ex directo retrogradus fit, ac in parte Epicycli ascendente seu occidentali, qua ex retrogrado fit directus, eundem sub fixis occupare locum videtur, hinc fit vt vtrobique stare seu Stationarius fieri dicatur: Cæterùm Saturnus non retrograditur nisi septem gradibus, Iupiter nisi decem, Mars nisi ad summum viginti, & interdum nisi duodecim, Venus circiter 16. aut 17. Mercurius interdum tantundem, interdum vndecim, Sol autem & Luna non fiunt retrogradi, quia Sol non mouetur per Epicyclum, sed per Eccentricum duntaxat: Luna verò mouetur quidem per Epicyclum, & superiori quidem parte contra successionem signorum; sed quoniam motus Eccentrici seu centri Epicycli per Eccentricum est longè velocior quàm motus Lunæ per Epicyclum, inde fit vt Luna tunc quoque velociùs deuehatur ab Eccentrico in consequentia, quàm reuehatur per Epicyclum in antecedentia. *Tycho-brahe* Epicyclos solidos rejicit tanquam superuacaneos ad explicandas directiones stationes & retrogradationes quinque Planetarum; nam descriptos quidē à Venere & Mercurio circa Solem orbes seu circulos, pro ipsis esse Epicyclis, quippe illos supra Solem incedentes eandémque viam cum illo in consequentia euntes esse directos; infra illum esse retrogrados, & inter directionem & retrogradationem esse stationarios: In cæteris tribus, scilicet Saturno, Ioue, & Marte; quia Sole pergente ad oppositionem, centrum circuitionis quam vnusquisque peragit, quasi retrò terram sic abducitur, vt planeta versus terram non modò adducatur, sed etiam à tramite suo reduci appareat, inde primùm fieri vt stare videatur, ac deinceps retrogredi, quousque Sole post superatam oppositionem circuitionis Planetæ centrum in adversam partem referente, Planeta apparet tum iterum stare, tum iter directionis resumere, atque ita quidem vt directionis medium in ipsa Planetæ cum Sole respectu nostri conjunctione fit. *Copernicani* tribuunt motum terræ, quæ semper vno tenore inter Venerem & Martem incedens, apparere facit eo planè modo quo apparent ejusmodi omnes directiones, retrogradationes & stationes, absque eo quod ipsi planetæ ascendant, descendant, regrediantur, stent, tenorémque cursus sui tantillùm immutent: Nam quod Mercurius ac Venus eodem semper tenore circa Solem incedant, & appareant nihilominus cum sunt vltra Solem directi, cùm citra ipsum retrogradi, cum nonnihil infra medias maximásve tam ad ortum quam ad occasum elongationes stationarij, id necessariò consequitur ex Terræ situ citrà ipsos; cum incedentes enim vltra Solem tendant versus ortum sicut Terra, necesse est vt appareant directi; cum verò circa Solem incedentes tendant versus occasum, contra quam Terra, necesse est vt appareant retrogradi, & cum aliquanto infra elongationes medias, rectà penè vel ad nos accedant, vel à nobis recedant, necesse est vt appareant stationarij, quatenus visus noster non potest eorum progressum discernere, vt neque discernit in hominibus qui secundum eandem rectam viam aut ad nos veniunt,

aut

aut à nobis abeunt, discernit vero si transversum pergunt: Quòd similia in Marte, Ioue, & Saturno appareant, id etiam necessariò consequitur ex Terræ situ accessuque ad illos & recessu ab illis; quippe cum velociùs moueatur quàm ipsi, necesse est vt dum Solem quidem habet inter se, & illos, obseruet tenentes eandem secum viam, quatenus percurrens opposita signa evadere eos videt sub fixas quæ juxta signorum successionem sunt: At cùm est inter Solem & illos, necesse est vt dum est prope ipsos appareant esse retrogradi, quatenus lentiùs incedentes velut à tergo relinquuntur, evaderéque apparent sub fixas contra signorum successionem; cum autem paulò remotius aut accedit aut abscedit apparent stationarij.

11. *In cœlo est color cyaneus seu cæruleus*, qui nihil aliud esse videtur quàm mixtura luculæ radiusculorúmve ex stellis fixis parcè ad nos peruenientium, ac nigredinis seu tenebrarum immensitatis Ætheris quas trajicientes illi radiusculi aliquatenus discutiant ac diluant: Vel color eiusmodi non apparet in firmamento seu cœlo stellifero, sed in cœlo aqueo seu in aquis supracœlestibus ex reflexione radiorum Solis vel stellarum fixarum, eo ferè modo quo similis color cæruleus apparet in mari lacubus & fluvijs ex reflexione radiorum Solarium ad oculos nostros.

12 *In cœlo apparet circulus lacteus seu via lactea*, quæ nihil aliud est quàm congeries innumerabilium stellarum minutissimarum, quarum quælibet cum seorsim nudo oculo discerni non possit, ac solitaria foret eodem colore cæruleo cum reliquo cœlo apparitura, idque ob paucos nimis radios obvias tenebras depellere non valentes, adjuncta tamen circumuicinis & radiolos suos earum radiolis copulans, tenebras obvias validiùs latiúsque discutit, quàm vt cæruleum duntaxat colorem exhibeat & illum potiùs sic diluit vt in album convertat; quæ omnia hodie conspicua facta sunt per Telescopium.

13. *Apparent in Luna maculæ, quarum aliæ sunt perennes*, cujusmodi sunt majores illæ omnibus notæ *aliæ verò temporaneæ*, cujusmodi sunt minutiores innumeræ quæ in parte Lunæ aliàs lucida, aut in ipsis confinijs nunc generari nunc aboleri Telescopio deprehenduntur; & quæ partes Lunæ circa lucis & vmbræ sectionem apparent esse nigerrimæ, eas per plenilunium candidissimas fieri; adeo vt quæ partes Lunæ maximè albicare videntur in plenilunio, eæ ipsæ (vnâ aut alterâ exceptâ) crescente & decrescente Lunâ maximè nigricent, ac tanto lucidiores fiant, quantò plenilunio propinquiores sunt; tantò verò obscuriores; quanto remotiores. De vtrisque autem maculis hæc sunt notanda. Primò perennes maculas superficiei çquabilis esse, siquidem vmbrę sectio quæ per ipsas traducitur vno filo est, quę vero per lucidas partes transit interruptissima sit, velut quibusdā partibus eminētibus, quibusdam depressis; vnde fit vt maculæ illæ perennes habeant analogiam cū maribus nostris, quæ dicta sunt æquora à superficiei æquabilitate; & certè sicut in maribus nostris videre

licet insulas,scopulos,hic rariores,illic crebriores;ita propemodum observare licet in illis maculis Lunaribus. Secundò, notandum est easdem maculas superficiei esse depressioris, quàm lucidas partes circunstantes, quod patet ex eo quòd Littora circunstantia sensibiles vmbras in ipsas maculas projiciant,ac si essent rupes præaltæ, idque quâ ex parte Lux Solis aduenit; vti & littora ex aduerso sita quasi forent juga præcelsorum montium eadem Luce tum perfunduntur, cum vmbræ sectio citeriùs adhuc admodum per maculas transit;illa autem montium juga superant altitudinem macularum multis milliaribus. Tertiò, maculæ temporaneæ oriuntur ex eo quòd in Luna qua parte est Lucida sunt partes eminentes & depressæ, quasi montes & valles; & quia Lunâ crescente aut decrescente Sol radios obliquè in latera montium sibi objecta conjicit vmbras ad regionem oppositam creat, quam regionem deinde illustrat in plenilunio, quia directè radios emittit.

14. *Maculæ, Solis, vel sunt in ipso Sole, vel ab ipso distant insensibili spatio:* Vulgò creditur ejusmodi maculas esse planetas particulam aliquam Solis tegentes; verùm cum in ipso disco solari nasci & perire passim observentur, probabilius est non esse planetas; sed potius, vel quasdam veluti nubes, quæ è Sole anfractuoso & poroso eructantur; vel quasi quasdam cauernas, quæ certis temporibus & successiuè dehiscant, ac pari ratione compleantur.

ARTICVLVS DECIMVS.

De Numero Astrorum.

1. DE numero Astrorum hæc est communis Philosophorum sententia. *Astra* vel fixa, vel erratica: *Fixa* sic dicuntur, vel quia sunt affixa Firmamento, vel potiùs quia eandem perpetuò seruant propinquitatem & distantiam inter se: *Erratica* verò seu *Planetæ* sic dicuntur, quia non seruant semper eandem propinquitatem & distantiam inter se, nec cum stellis fixis. *Planetæ septem* sunt hoc ordine dispositi à superioribus incipiendo, *Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna. Fixæ* numerantur *mille viginti duo*, quæ dividuntur in 48. Constellationes, quarum 36. sunt extra Tropicos, scilicet 21. ad Septentrionem, & 15. ad Austrum, reliquæ mediæ sunt 12. intra Tropicos contentæ, quæ Zodiaci Signa dicuntur. *Constellatio* autem seu Asterismus est multitudo astrorum vicinorum, quæ suo situ & ordine imaginem rei alicujus referre dicuntur. Omnes Constellationes his versibus exprimuntur.

Insunt

Insunt *signifero bis sex* cœlestia signa,
Suntque *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,*
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.
Ad *Boream* verò *ter septem conspiciuntur,*
Vrsa Minor, Maior, Custos, Draco, Gemma, Genúque,
Prolapsus, Lyra, Olor, Cepheus, & Cassiopeia,
Perseus, Andromede, Deltotum, Auriga, Caballus,
Rictus equi, Delphin, telum hinc *Aquila, Anguifer, Anguis,*
Denique conuerti *ter quinque* notantur *ad Austrum,*
Cetus, & *Eridanus, Lepus,* & nimbosus *Orion,*
Syrius, & *Procyon, Argo* ratis, *Hydráque, Crater,*
Coruus, Centaurus, Lupus, Ara, Coronáque, Piscis.
Temporibus nuperis hæc sunt detecta per Austrum,
Phœnis, Grus, Indus, Xiphias, Pauo, Anser, & *Hydrus,*
Passer, Apus, Triquetrum, Musca ; Chamæque Leon.

2 *Ego existimo plures esse Planetas quàm septem, & plures esse stellam fixas quàm mille viginti duæ :* Nam *Galilæus* natione Florentinus ope dioptrici à se inventi seu telescopij, anno 1609. primus in Italia *circa Iovem quatuor minores Planetas circum volui observavit* ; quorum qui intimus & Iovi proximus, non ampliùs hinc inde ab illo discedit quàm tribus minutis, neque in circuitu peragendo moratur ampliùs quàm diem vnum horasque 18. cum semisse ; qui succedit hinc inde excurrit ad 5. minuta, absolvitque circuitum intra tres dies & horas 13. ac trientem ; tertiùs excurrit ad minuta octo, & circuitum perficit diebus septem & horis prope quatuor ; quartus excurrit ad minuta 13. & circuitum perficit diebus 16. horis 18. Idem *Galilæus observavit etiam duos laterones circa Saturnum*, qui interdum occultantur, non tamen moventur circa Saturnum. Hipparchus in Aratum scribens numerat stellas fixas mille octoginta. Astrologi ex Plinio lib. 2. cap. 41. obseruarunt mille & sexcentas. Sed sciendum est esse has duntaxat præcipuas & observabiles stellas ; nam quæ sereno cœlo possunt præterea conspici numerari prorsus non possunt, maximéque nocte illuni ; omitto quàm jam multò innumerabiliores Telescopium demonstret, potissimùm toto Galaxiæ tractu.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

De distantia Astrorum à Terra, & de eorum Magnitudine.

1. QVandoquidem Astronomi tantopere dissentiunt in assignanda magnitudine astrorum, & eorum distantia à Terra, solius Tychonis sententiam tanquam probabiliorem tradam.

Distantia mediocris quâ absunt à Terra	Luna	*est terrenorum semidiametrorum*	56.
	Mercurius		1150.
	Venus		1150.
	Sol		1150.
	Mars		1745.
	Iupiter		3990.
	Saturnus		10550.
	Stellæ fixæ		13000.

2. *Diometer apparens in distantia mediocri*	Lunæ	*est minutorum*	32.
	Mercurij		2. & aliquid ampliùs.
	Veneris		3. & aliquid ampliùs.
	Solis		31.
	Martis		1. & aliquid ampliùs.
	Iouis		2. & aliquid ampliùs.
	Saturni		1. & aliquid ampliùs.

3. *Luna minor Terrâ vicibus* 42. *Mercurius* 19. *Venus* 6. *Sol maior Terrâ vicibus* 139. *Mars minor Terra vicibus* 13. *Iupiter major Terra vicibus* 14. *Saturnus* 22. *Fixæ magnitudinis primæ maiores Terrâ* 68. *secundæ* 28. *tertiæ* 11. *quartæ* 3. *quintæ* 1. *sextæ minores terrâ* 3.

4. *Astra omnia sunt Sphærica, vel proximè accedunt ad talem figuram.*

ARTICVLVS DVODECIMVS.

De Reliquis Proprietatibus Cœlorum & Astrorum.

1. *COEli sunt perspicui seu diaphrani, astra verò sunt opaca :* Quia *perspicuum* illud dicitur quod lumen recipit non tantùm in superficie,

de, sed etiam in profunditate, & per illud transmittitur ad alia corpora; hoc autem habent cœli, cum experientiâ constet lucem astrorum recipi in tota profunditate cœlorum & ad nos transmitti. Rursus; illud dicitur *opacum* quod recipit tantùm lumen in superficie, & impedit quo minùs ad corpora vlteriora transmittatur; hoc autem habent astra, vt constat experientia Lunæ & aliorum astrorum.

2. *Mundus non est animatus, atque adeo nec cœli, nec astra.* Primò, quia si daretur vnica forma omnium corporum quæ dicitur anima mundi aut spiritus vniuersalis; sequeretur vnam & eandem entitatem, scilicet vnam & eandem formam aut animam eodem tempore velle contraria & contradictoria, putà amare & odisse simul eandem rem, simul peccare & non peccare, simul appetere & non appetere, cognoscere & non cognoscere eandem rem; nam anima Petri sæpe amat Paulum, quem anima Ioannis odit & non amat eodem tempore; anima Petri furantis peccat, & anima Pauli non furantis, sed Deum deuotè orantis eodem tempore non peccat; anima Petri iudicat dari animam mundi, & eodem tempore anima Pauli iudicat non dari: De hac re plura diximus in prima parte Physicæ, dum de materia & forma secundum nos numero 45. Secundò, si totus mundus esset animatus, vnaquæque pars deberet esse particeps vitæ sui totius: At multæ mundi partes vitâ carent, vt lapides, metalla, elementa &c. Tertiò, nec mundus, nec cœli, nec astra exercent functiones animæ, siue vegetantis, siue sentientis, siue rationalis aut intellectualis: Mundus enim non generat alium mundum, nec cœlum aliud cœlum, nec astrum aliud simile sibi; quod & animalia & plantæ ipsæ faciunt: Non etiam pabulo nutriuntur aut crescunt, vt plantæ & animalia faciunt: Multò minùs exercent visiones, auditiones, locutiones, iras, gaudia, cæterósque affectus: Et adhuc multò minùs ratiocinationes, deliberationes &c. Quartò non sunt multiplicanda entia sine necessitate; at nulla est necessitas ponendi talem animam vniuersalem in mundo: cum omnia quæ fiunt in mundo commodè referri possint ad singulorum naturam: *Dicet aliquis, talem animam vniuersalem esse animam sui generis*: Sed videat, ne hoc idem sit ac si esse anima dicatur quæ non sit anima, cum non sit tale quale concipimus dum concipimus animam; & si dicat, cœlos & astra esse animalia sui generis, videat ne hoc idem sit ac si dicatur esse animalia quæ non sunt animalia, cum non sint ejusmodi animalia qualia nos concipimus dum concipimus animalia: Talis enim anima vniuersalis non est actus corporis organici; & ejusmodi animalia non habent neruos, musculos, fibras, spiritus &c. His adde authoritatem Concilij Constantinopolitani, quod est quintum generale, vbi hæc sententia damnatur his verbis, *si quis dixerit cœlum, lunam, stellas, & aquas quæ supra cœlos sunt, animantes quasdam esse, anathema sit.* Denique Aristoteles lib. 2. de Cœlo text. 6. hac ratione ostendit formam cœli aut astri non esse animam, *omne animal* (inquit) *post motum quiescit, vt se à fatigatione recreet*: At cœli & astra nunquam quiescunt secundum Aristotelem: Ergo non habent pro forma animam.

3. *Objicitur*, quòd Deut. 32. cœli compellantur ad audiendam vocem Dei, his verbis; *audite cœli quæ loquor*; & in Psalmis dicitur quòd *cœli enarrant gloriam Dei*,& alibi *cœli* dicuntur *facti in intellectu*; & Augustinus in Genesim dubitat *an cœlum sit animal*; & Arist.lib.2. de cœlo ait *cœlum esse animatum*: Quibus adde argumentum ex ratione petitum, scilicet *quòd fieri non possit vt inanimatum sit causa efficiens animalium; at cœlum & astra sunt causæ animalium saltem imperfectorum, quæ producuntur ex putri materia, puta ranarum, murium* &c.

4. *Respondetur ad testimonia Scripturæ*, sæpe in sacris litteris dirigi sermonem ad res inanimatas, per figuram Oratoribus & Poëtis visitatam: vnde & Esaiæ 1. non tantùm cœli, sed etiam terra compellatur ad audiendam vocem Dei, cum tamen manifestum sit terram esse inanimatam. *Ad id quod dicitur Cœlos factos esse in intellectu: Respondetur*, τὸ *in intellectu*, referri ad causam efficientem, scilicet ad Deum, cujus intelligentia & sapientia elucet in productione cœlorum; non autem referri ad ipsos cœlos. *Ad id quod dicitur cœlos enarrare gloriam Dei: Respondetur*, id intelligendum, non formaliter, sed objectiuè, quatenus ex cœlis tanquam ex objecto excitantur homines ad Deum glorificandum. *Ad dubium Augustini, Respondetur* ipsum sententiam retractasse. *Ad authoritatem Aristotelis; Respondetur* Aristotelem sumere cœlum pro aggregato ex cœlo & intelligentia, quæ est quasi anima, & forma assistens, non informans. *Denique ad rationem allatam, respondetur* cœlos & astra esse instrumenta Dei in productione animalium, & concurrere materialiter ad generationem eorum, vel excitare tantùm semina ejusmodi animalium.

5. *Sol est moderatè calidus & moderatè siccus astrologicè*: Licet enim Sol sit manifestè calidissimus, attamen moderatus calor ei tribuitur ab Astrologis, quia non judicant de rebus prout sunt in se, sed prout rebus inferioribus conueniunt; calor Solis vniuersaliter se habet ad hæc inferiora, modificatur tamen ab alijs planetis, & hanc modificationem considerat Astrologus; verbi gratiâ quia à Marte calor Solis augetur, existimatur Sole calidior, quia Mars extraordinario calore cum Sole calefacit; ordinariùs enim calor Solis videtur blandus,& ordinatæ temperiei rerum accommodatus: Similiter Sol exsiccat partem humidam, sed moderatè; cum Marte verò immoderatè: Dixi *astrologicè*; nam physicè & realiter Sol est omnium planetarum lucidissimus & calidissimus, & quasi superiorum ac inferiorum moderator, & probabiliter creditur esse elementum ignis, vt infrà; eò quòd habeat omnes effectus & proprietates ignis; cum ipsi radij solares coëuntes comburant.

6. *Luna est frigida & humida*, si non physicè & realiter in se, saltem *astrologicè & quoad nos*; quia habet lucem blandam & caliditatem mutuatam à Sole, quæ educit vapores aqueos, & omnia aquea rarefacit & humectat; vbi autem est raritas & vapor aquarum, eò frigus facilè insinuatur.

7. *Saturnus astrologicè & quoad nos est frigidus & siccus*; quia calor ejus

exiguus

exiguus calori Solis commixtus, quandam duritiem & sensum frigoris facit in rebus. Ptolomaici faciunt Saturnum frigidum; quia nimis distat à Sole, qui est fons & causa omnis caloris secundum eos: Sed malè, cum Canicula quæ est calida multò magis distet à Sole.

8. *Iupiter astrologicè & quoad nos est calidus & humidus temperatè*; quoniam calor eius calori Solis commixtus vapores eleuat, & res humectat, facitque eas succulentas & formosas.

9. *Mars astrologicè & quoad nos est calidus & siccus immoderatè*; quia creditur esse molis densæ & rubræ, adeo vt in commixtione cum Sole nimis calefaciat & exsiccet.

10. *Venus astrologicè & quoad nos est calida & humida, sed magis humida quàm calida*; quia in commixtione cum Sole magis humectat quàm calefacit.

11. *Mercurius astrologicè & quoad nos est ancipitis & versatilis naturæ, aliorum planetarum vires augens, cum bonis bonus, cum malis malus*; nam suscipit qualitates planetarum & stellarum cum quibus miscetur, & vicinior Soli calefacit & exsiccat, vicinior verò Lunæ humectat &c.

12. Denique, *planetæ* (excepto Sole) *non scintillant*; *astra* verò *fixa scintillant*, idest micant & quasi scintillas emittere & quasi tremere videntur; cujus rei rationes petuntur vel ex debilitate visus & nimia distantia, vel potiùs ex nimia luce congenita; sunt enim corpora per se lucida, planetæ verò habent tantùm lumen mutuatum à Sole.

13. *Astra habere aliquam affinitatem, & influere in hac inferiora*, ostendunt distinctiones tempestatum à Sole, calor vehementior æstate quàm hyeme propter accessum & recessum Solis, accretio & decretio medullarum crescente & decrescente Lunâ, & multa alia hujusmodi.

14. *Actiones eorum maximè sensibiles* sunt *illuminatio* & *calefactio*; de luce autem & calore fusè agetur infra dum de elementis. Alij præter illuminationem & calefactionem tribuunt astris *actiones occultas* aut *influentias*, per quas volunt in visceribus terræ produci metalla, æstum marinum fieri &c. Verùm hoc effectus lumini aut calori astrorum tribui possunt, vel substantijs quibusdam subtilibus ab astris promanantibus.

15. *Cœlestia corpora in actiones humanas intellectus & voluntatis non influunt directè, sed ad summum indirectè. Directè* quidem *non influere* probatur, quia intellectus & voluntas hominis, necnon vtriusque actiones sunt spirituales & immateriales, eò quòd fiant & recipiantur in anima rationali quæ est spiritualis: Accidens autem sequitur naturam sui subjecti: Ergo ab influxu cœlorum & astrorum, quorum virtutes sunt corporeæ & materiales, actiones humanæ non dependent directè. *Indirectè* verò *cœlestia corpora influere in actiones humanas*, patet ex eo quòd astra habeant virtutem afficiendi temperamentum, & immutandi

sensus, qui sunt facultates corporeæ: Intellectus autem & voluntas hominis in hac vita, non operantur nisi cum aliqua dependentia à temperamento & sensibus, cum quibus habent naturalem cognationem & affinitatem, propter quam facilè allicitur intellectus vt judicet id bonum esse, quod bonum sensibus videtur, & voluntas sæpius feratur in id quod amplectitur appetitus sensitiuus, & semper sequatur dictamen vltimum practicum intellectus, vt probabitur in Ethicis.

16. Hic quæritur *Vtrum Astrologi ex obseruatione syderum certò prædicere possint res futuras?* Respondetur primò *Astrologos certò prædicere posse, multò antequàm eueniant astrorum ortus, occasus, aspectus, conjunctiones, eclipses &c.* quia constantes & æquales sunt motus astrorum, atque adeo longâ obseruatione ratio motuum cœlestium nota perfectè esse potest, quantum satis est ad astrorum ortus, occasus, conjunctiones, oppositiones eclipses, & alia similia prædicenda.

17. Respondetur secundò, *Astrologos non posse certò & infallibiliter prædicere morbos, tempestates, pluuias, siccitates, terræ motus, & alia ejusmodi naturalia, sed ad summum probabiliter.* Primò, quia in tanta astrorum multitudine & effectuum varietate fieri non potest, vt notæ sint omnes eorum virtutes, & certò sciatur quibus singuli effectus sint adscribendi.

18. Secundò, quia multiplex & quotidiana motuum, positionum & figurationum mutatio, prædictionis certitudinem impedit, per diuersas enim ejusmodi positiones vires astrorum varie augentur, minuuntur, impediuntur, & mutantur, vt fatentur ipsi Astrologi; cœlum autem nunquam habet eandem positionem. Tertiò, quia stellarum innumerabilis multitudo Astrologis ignota, certitudinem prædictionis tollit: Cum enim Astrologi tantùm notauerint mille viginti duas stellas, & tamen sint aliæ innumerabiles, clarum est eos non posse certò prædicere effectus, quorum causæ sunt ignotæ. Quartò, ad ejusmodi effectuum perfectam cognitionem non sufficit habere perspectam astrorum vim, sed etiam oportet probè intelligere sublunaris mundi naturam diuersam, regionúmque diuersam temperiem, & causas proximas quæ ad impediendum aut promouendum cœli influxum conferre possunt; quis autem id studio assequi potest? Denique experientiâ constat peritissimos Astrologos in ejusmodi futuris rebus prædicendis sæpius aberrare; & Picus Mirandulanus affirmat ex centum obseruationibus cujusdam periti Astrologi, se deprehendisse septem veras duntaxat: Dixi *ad summum probabiliter,* quia longo studio virtus multorum astrorum ex effectibus deprehendi potuit sufficienter vt colligi probabiliter possit quinam effectus ex astrorum conjunctione vel oppositione exorituri sint.

19. Respondetur tertiò, *Astrologos nullatenus prædicere posse effectus liberos, & à voluntate dependentes.* Primò quia effectus à libertate dependentes talem habent causam, quales ipsi sunt, idest habent causam liberam; ergo in cœlis aut in astris præcognosci non possunt, cum cœli & astra sint causę necessarię. Secundò, quia si stellæ possent indicare effectus

liberè

liberè futuros, vel tanquam causæ, vel tanquam signa naturalia, vel tanquam signa supernaturalia seu ex instituto diuino, non tanquam causæ, quia vt suprà ostendimus, astra non influunt directè in voluntatem humanam: Non tanquam signa naturalia, nam signum naturale alicuius rei vel est effectus rei quam significat, vt fumus respectu ignis, vel est effectus ejusdem causæ, vt Iris respectu serenitatis, vel aliunde habet necessariam connexionem cum illo: sed astra eorumque motus, nec sunt effectus euentuum liberorum, nec ab eadem causa oriuntur, nec alia afferri potest ratio propterquam cum ijs habent necessariam connexionem; ergo non possunt dici signa naturalia: Non etiam tanquam signa supernaturalia seu ex diuina ordinatione, quia si hoc esset, significatio eorum cognosci tantùm posset diuinâ reuelatione, quæ nebulonibus & præstigiatoribus artem diuinandi profitentibus proculdubio non concederetur. Tertiò, quia experientiâ constat aliquos eodem tempore conceptos, & natos, sub eodem syderum aspectu, putà Iacobum & Esauum, & innumeros alios gemellos, non eadem habuisse fata, sed alios probos, alios improbos, alios diuites, alios pauperes, alios solertes, alios ingenio tardos &c. Et sæpè sub diuerso aspectu syderum conceptos & natos eadem morte occubuisse, vt patet in prælijs; nec non eandem fortunam, & eosdem effectus habuisse. Adde varia loca Scripturæ quibus ejusmodi prædictiones ex motu astrorum prohibentur.

20. Objicitur primò, facilè esse Genetliaco ea obseruatione astrorum cognoscere temperamentum hominis, atque adeo etiam ejus mores, qui vt ait Galenus sequuntur temperamentum corporis.

21. Respondetur primò, astra non esse causam totalem & adæquatam temperamenti; præcipua enim causa est vtriusque parentis constitutio, seminis qualitas, aliæque materiæ conditiones.

22. Respondetur secundò, ex cognitione alicujus temperamenti nonnisi incertam de moribus sententiam ferri posse, licet enim quis in vitium à natura propendeat, potest tamen ratione, educatione, & conuersatione, illi propensioni non parere, quod intellige in moralibus simpliciter, nam in supernaturalibus omnia tribuenda gratiæ diuinæ.

23. Objicitur secundò, Astrologos prædixisse multa futura contingentia à libertate dependentia, quorum euentus veritatem comprobarunt: Refert enim Curtius Magos Chaldæorum mortem propinquam Alexandro prædixisse; & apud Xiphilinum legitur qua nocte Nero natus est: Astrologum quendam prædixisse natum quidem mundo Imperatorem, sed qui futurus esset matricida &c.

24. Respondetur primò, prædictiones quæ reperiuntur in historijs profanis scriptas esse post euentum; facilè autem fuit dicere ante prædictum fuisse, quod jam factum videbatur, vt etiam nostris temporibus accidit: sæpè enim cum aliquod mirum contigit, post euentum, scribuntur carmina quæ Nostrodamo tribuuntur, quasi longè ante prædixisset, cum tamen nunquam ei venerit in mentem,

& in veteribus codicibus non reperiatur.

25. Respondetur secundò, sæpissimè etiam vanas extitisse ejusmodi prędictiones. Imò & Dęmones sępius oracula falsa dedisse, non est tamen negandum prædictionibus quibusdam eventum respondisse, cujus rei ratio multiplex afferri potest: Primò, quia cōjectando multa, fieri aliter non potuit, quin interdum fortuitò in veritatem inciderint. Secundò, quia Deus occultâ divinæ providentiæ suæ dispositione id aliquando permittit in pœnam scelerum; & vt ait Apostolus, Deus dat efficaciam erroris iis qui fidem adhibent mendatio: Tertiò, quia pactum & societatem cum dæmone iniuerunt qui longâ doctus experientiâ ex præteritis conjecturam facit de futuris, & Magis aut Astrologis indicat.

CAPVT TERTIVM.

DE ELEMENTIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Elementis in Communi.

1. HOc capite nomen, definitio, diuisio, & proprietates Elementi in communi explicantur. *Nomen Elementi* sumitur quinque modis. 1. Latissimè pro cujuslibet rei principio, sic Aristoteles in Metaphysicis dicit tria esse generationis elementa, id est principia, scilicet materiam formam, & priuationem, 2. Sumitur pro materia prima cujuslibet rei; & sic literæ in Grammatica dicuntur elementa orationis. 3. Elementa sumuntur pro principijs primis viuentium, quæ dicuntur esse partes similares, vt cutis, caro &c. quę à Fernelio dicuntur elementa ad sensum. 4. Elementa sumuntur pro principijs proprijs animantium sanguine præditorum, scilicet pro quatuor humoribus, qui sunt sanguis, pituita, bilis, & melancholia. 5. Pro quatuor vulgaris elementis, quę sunt Ignis, Aër, Aqua & Terra: Et hoc pacto nunc sumuntur à nobis elementa.

2. *Elementum definitur vulgò Corpus simplex, ex quo mixtum primò componitur.*

ponitur. Dicitur *corpus simplex*, non absolutè, eo quod habeat partes; sed comparatè ad mixta, quæ habent partes specie diuersas, non autem elementa. Dicitur *ex quo mixtum componitur*, quia elementa sunt materia mixti, materia autem est id ex quo res fit aut componitur. Denique dicitur *primò*, quia mixta resoluuntur vltimò in elementa; quod autem est vltimum in resolutione, fuit primum in compositione. *Hæc definito elementi non potest fusti .eri, nisi in sententia eorum qui statuunt elementa esse materiam primam omnium mixtorum*; non autem in sententia eorum qui existimant elementa esse generabilia, corruptibilia, transmutabilia, & resolubilia in aliam priorem materiam, putà in atomos, aut aliam materiam innominatam, de qua in prima parte Physicæ egimus.

3. *Elementa quatuor sunt vulgò*, scilicet *Ignis, Aër, Aqua, & Terra.* Primò, quia quatuor tantùm sunt in quæ resoluuntur mixta, vt patet in combustione ligni. Secundò, quia quatuor tantùm sunt corpora maxima & amplissima in mundo scilicet quatuor elementa allata, ex quibus proximè vel remotè fiunt cætera corpora. *Quidam ponunt tantùm duo elementa*, scilicet *aquam & terram.* Verum *contra dico*, quod si partes igneę aut calidę tollerentur à vino, pipere, sulphure, puluere tormentario, aliisque innumeris corporibus, procul dubio petirent, & non ampliùs operarentur secundum naturam ijs conuenientem.

4. *Proprietates elementorum in communi hæ sunt præcipuæ. Prima* est ejusmodi: *Elementa sunt generabilia, corruptibilia & transmutabilia essentialiter, non tamen substantialiter*; quia Elementa componuntur ex atomis, aut alijs partibus innominatis tanquam ex materia; & ex vnione ejusmodi atomorum & partium, tanquam ex forma; cùm autem elementa corrumpuntur aut transmutantur, manent atomi aut partes materiales, quæ sunt tota substantia elementorum; perit verò vnio ejusmodi atomorum aut partium, quæ licet sit accidens prædicamentale inhærens atomis aut partibus, est tamen de essentia elementorum, & per consequens elementa pereunt & transmutantur essentialiter, non tamen substantialiter.

5. *Secunda proprietas Elementorum in communi* talis est: *Elementa secundum Aristoteleos, alterationem, intensionem & remissionem, rarefactionem & condensationem, subire possunt:* At secundum nos non item, saltem prout vocabula illa vsurpantur ab Aristoteleis, vt probatum est fusè in prima parte Physicæ, dum de materia & forma secundum nos.

6. *Tertia proprietas elementorum in communi* sic se habet *Elementa non sunt pura & syncera*: Nam terra est aquæ admixta, & seminibus omnium ferè rerum conspersa; aër ob vapores redditur crassus, idque factum est ob commoditatem & salutem animantium, quæ simplici & puro elemento, nec produci, nec nutriri possunt; si enim terra esset pura non posset suppeditare humorem rebus nascentibus; si aqua esset pura esset insipida, & inepta ad generationem; cum igitur docet Aristoteles, lupos nutriri terrâ, & Camelæontem aëre, vel falsum dicit, vel intelligendus est de

terra impura & aëre impuro. Cæterùm cùm elementa dicuntur à nobis impura; non propterea existimandum est ea propriè esse mixta, sed tantùm esse conjuncta cum alijs, ob quam conjunctionem actiones eorum retunduntur, eo ferè modo quo vinum aquæ admixtum non est purum vinum, eò quòd ejus actio retundatur ab aqua; quare sicut vinum aquæ conjunctum est in se purum vinum, & vbi vinum est, ibi non est aqua, diciturque tantùm impurum ob conjunctionem cum aqua; sic vnum elementum alteri conjunctum, putà ignis aëri, est in se purus ignis, diciturque tantùm impurus ob conjunctionem cum aëre, qui ejus actionem retundit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De gravitate & Levitate.

1. Tres præcipuæ sunt Philosophorum sententiæ de Grauitate & Leuitate. Prima est Peripateticorum, secunda Epicureorum, tertia quorundam *Recentiorum*.

2. *Peripatetici* statuunt primò, *duas esse qualitates motrices elementorum & aliorum corporum*, scilicet *grauitas & leuitas*, & vtraque vel est talis simpliciter, vel secundum quid. *Graue in genere* dicitur illud quod tendit deorsum; *leue* verò quod tendit sursum. *Graue simpliciter* dicitur illud quod substat omnibus vt terra: *Graue* verò *secundum quid* est illud quod ita substat aliquibus, vt tamen quibusdam alijs supereminear, vt aqua, quæ igne & aëre est inferior, terrâ verò est superior. *Leue simpliciter* dicitur illud quod supereminet omnibus, vt ignis: *Leue* verò *secundum quid* est quod ita supereminet aliquibus, vt tamen alteri subsit, vt aër qui terrâ & aquâ est superior, igne verò inferior. Quare *Leuitas communiter definitur potentia naturalis quâ subjectum mouetur sursum*. *Grauitas* verò *definitur potentia naturalis quâ subjectum mouetur deorsum*. Et vtraque vel est talis simpliciter, vel secundum quid.

3. Secundò, statuunt *grauitatem & leuitatem esse qualitates accidentales, realiter distinctas à subjectis seu substantijs grauibus aut leuibus*; quia sunt potentiæ naturales in secunda specie qualitatis comprehensæ, & inhærentes suis subjectis.

4. Tertiò, statuunt *has duas qualitates motrices specie differre inter se*: Nam quod spectat ad grauitatem & leuitatem determinata est vtriusque natura ad motus oppositos. Deinde, sunt proprietates subjectorum essentialiter diuersorum. Denique, postulant diuersas primas qualitates, putà leuitas calorem, & grauitas frigus. De leuitate simpliciter & secundum quid inter se, nec non de grauitate simpliciter & secundum quid major est quæstio,

quæstio; quia videntur tantùm differre secundum magis aut minùs, magis autem & minùs non variant speciem. Verùm experientiâ constat, sic non posse intendi gravitatem aquæ vt terræ gravitatem exæquet; nec sic minui aut remitti gravitatem terræ vt non sit gravior aquâ; idemque dicendum de levitate ignis & aëris. Nec propterea existimandum est, levitatem aëris aut gravitatem aquæ, quæ sunt levitas & gravitas secundum quid, esse qualitates mixtas formaliter; sicut enim elementa sunt simplicia, ita & qualitates eorum: Quare ad summum debent tantùm dici mixtæ virtualiter & æquivalenter, quatenus scilicet subjectis suis ea tribuunt loca quæ tribuerentur, licet formaliter mixtæ essent.

5. Quartò, statuunt *causam immediatam motus naturalis elementorum & aliorum corporum, esse gravitatem aut levitatem eorum, atque adeo esse qualitates accidentales ipsis corporibus congenitas*, quia nullum est externum principium cui ascribi possit talis motus & absurdum est asserere corpora naturalia esse destituta potentiâ motivâ ad suum locum obtinendum cum habeant in se naturam, id est principium motus & quietis.

6. Quintò, statuunt cum Aristotele lib.4. de cœlo, *ex duobus corporibus uniformis materia, quod maius graviùsque ferri & cadere celeriùs in terram*; & similiter *versùs cœlum quod fuerit minus ac levius*; existimant enim cœlum tenere locum supremum, terram verò infimum.

7. Sextò, statuunt *Elementa in propriis locis nec gravitare, nec levitare*; quod vt intelligatur, notant levitare & gravitare non esse tantùm habere levitatem aut gravitatem, cùm secundum eos elementa in propriis locis alterutram retineant; sed est exercere aliquem actum levitatis aut gravitatis; talis autem actus triplex excogitari potest, scilicet motus sursum aut deorsum, quies in proprio loco, & conatus de quo tertio tantùm est difficultas, cum elementum in proprio loco existens à levitate aut gravitate sua non moveatur, sed illic beneficio ejus quiescat. Hoc prænotato, dicunt elementa in propriis locis nec gravitare, nec levitare, id est non niti descendere aut ascendere compressione inferioris aut superioris corporis: Primò quia alioqui non esset placida elementorum quies in loco naturali, ac proinde nusquam, & per consequens violenter esset in quolibet loco: Secundò, quia duo elementa, scilicet ignis in supremo & terra in infimo loco constituta vlteriùs nisi non possunt: Tertiò, quia alioqui partes inferiores aëris & ignis comprimerent & condensarent superiores aut seipsas, & superiores aquæ & terræ condensarent inferiores aut seipsas, quod est contra experientiam: Quartò, quia experientia comprobatum est homines sub aqua nullum aquæ pondus sentire, & pondus aëris cervicibus nostri impositi non sentiri à nobis.

8. *Epicurei* statuunt primò, *Atomos moveri duplici motu locali* scilicet *naturali* & *reflexo*: *Naturalis* est quo atomus suo deorsum pondere fertur; *Reflexus* verò quo atomus vna in aliam atomum incurrens repercutitur & aliorsum divertitur: *Naturalis duplex* ponitur ab ipsis, scilicet

perpendicularis seu ad lineam, & *declinationis*: *Perpendicularis* & quo rectà fertur atomus deorsum; *declinationis* quo obliquè; & hic motus declinationis necessarius est visus, quoniam alioqui nullus concursus atomorum futurus fuisset, nullâque proinde extitisset vllius rei generatio. Circa perpendicularem notant, non accepisse eum Epicurum comparatione alicujus centri, putà mundi, terræ, aut alterius rei; quoniam nullum tale centrum agnovit, nec vllum esse posse censuit in vniverso existente infinito; sed accepisse respectu duarum in vniverso regionum, quarum vna sursum, alia deorsum diceretur; & alia quidem sursum, ex qua absque vllo termino advenirent atomi; illa verò deorsum, in quam absque vllo termino atomi abirent. Reflexus motus, vel κατὰ παλμὸν, quæ fit ex incursu atomi unius in aliam versus locum dissitum, seu per notabile intervallum, vel κατὰ παλμὸν, quæ brevi spatio terminatur, cùm scilicet atomus resiliens statim incidit in aliam, à qua denuò repellatur, & rursus à tergo in aliam à qua rursus reuibretur, &c.

9. Secundò, statuunt *atomos præditas esse vigore quodam ingenito*, seu internâ illâ energiâ, quum gravitatem appellant, quoque illas moveri per inane sic volunt, vt cum inane sit infinitum, & centro omni careat, nunquam cessaturæ sint ab illo suo motu, vtpote sibi naturali, sed in omne tempus in eo persistituræ, nisi aliæ aut atomi aut concretiones occurrerint, à quibus aliorsum flectantur. Statuunt etiam, atomos deflexas, indesinenter viam tenere quam de novo injerint, quousque aliquid occurrerit quod ipsas iterum deflectat &c. Ac denique statuunt omnes illas atomos esse partis celeritatis.

10. Tertiò, statuunt *in compositis & solidis concretionibus intra quas omnia se quàm pacatissimè habere videntur, esse motus aliquos intestines*, qui licet sensibus non pateant, probantur tamen ex eo quòd nullum sit corpus adeo compactum, quod seclusâ etiam extrinsecâ causâ non habeat in se principium corruptionis, idque aliunde esse non potest quàm quia ejusmodi corpus constat ex iis principiis, quæ nunquam quiescunt, sed sunt semper in perpetuo quasi emergendi conatu, adeo vt (faventibus spatiolis inanibus quæ in densissimis corporis intercipiuntur) conniti, evolui, & libertatem quasi quærere nunquam desinentes, tandem evincant, & ipsum corpus exsoluant & destruant. Vnde patet voluisse Epicurum causam primariam omnis actus & agitationis quæ observatur in rebus, in ipsis esse atomis, scilicet primam rerum materiam non inertem fecit, sed eam voluit esse affectuosam & mobilissimam; atque adeo atomos non tantùm esse primam materiam ex qua omnia fiunt, sed etiam primam causam efficientem, quatenus volunt omnem actionem quæ ab ipso motu non distinguitur, ad atomos earúmque motum referendam esse.

11. Quartò, statuunt *gravitatem omnem quæ in rebus concretis est, sic pendere à gravitate quæ est in ipsis atomis, vt vnumquodque corpus tantò gravius sit, quantò ex pluribus atomis, seu ex eo copiosiore materia constat*,

constat; tantò minus, quantò ex paucioribus seu ex materia parciore.

12. Quintò, statuunt *aliqua dici quidem levia*, illa scilicet quærendum sursum; at *nolunt tamen levitatem esse in illis quasi vim aut qualitatem ingenitam, sed esse potiùs vim extrinsecùs impressam*, adeo ut sursum tendant non nativo impetu, sed extensione corporum aliorum quæ ipsa sursum repellant.

13. *Recentiorum* quorumdam *sententia*, quam ego probabiliorem censeo, sequentibus assertionibus explicatur, Primò, *probabiliter sustineri potest nullam esse gravitatem aut levitatem corporibus congenitam*; atque adeo lapidem verbi gratiâ non moveri deorsum naturaliter per quandam qualitatem innatam quæ dicitur gravitas, & ignem non moveri sursum naturaliter per quandam qualitatem naturalem quæ dicitur levitas; sed lapidem & ignem moveri tantùm violenter & à principio extrinseco: Ratio est quia quæcúnque conveniunt naturaliter alicui rei, ei semper conveniunt, siquidem proprietates naturales omni, soli, & semper conveniunt: At corpora gravia, putà lapides, sublato quovis impedimento non semper moventur deorsum; & corpora levia, putà ignis, sublato quovis impedimento non semper moventur sursum: Si enim Deus annihilaret mundum & omnia quæ sunt in mundo præter vnicum lapidem & vnicum ignem, lapis non moveretur deorsum, & ignis non moveretur sursum; quia in tali casu neque esset sursum, neque deorsum; atque adeo naturaliter quiescerent; vnde sequitur corpora per se non esse mobilia, nec per se naturalia, quatenus naturale sumitur pro eo quod habet principium activum congenitum motus. Adde quod corpora quæ creduntur naturaliter gravia, non habent motum æqualem, sed vno tempore tardiùs, & alio tempore moventur celeriùs: At motus naturalis propriè ille est qui est æqualis; quod patet ex hoc communi axiomate, nullum violentum perpetuum; siquidem radix perpetuitatis, atque adeo motus naturalis, est ipsa æquabilitas; eò quòd nulla res naturalis, aut invalescendo perpetuum incrementum, aut decrescendo perpetuum detrimentum ferat; ipsa verò inæquabilitas tanquam perpetuitati adversa, rei violentæ character est; corpora autem quæ creduntur gravia, habent motum inæquabilem, cum lapis verbi gratiâ in principiò tardiùs in fine verò celeriùs moveatur. Quare corpora, quæ creduntur levia moventur sursum, quia vi expelluntur sursum ab aliis quæ creduntur graviora; & corpora quæ creduntur gravia moventur deorsum, vel attractione terræ, vt volunt nonnulli, vel impulsione aëris aut aëreæ æthereæ superioris, vt volunt alij.

14. Secundò, Quamvis *corpora* neque gravitatem neque levitatem in se habeant, quibus moveantur deorsum per gravitatem, ac sursum per levitatem; *habent tamen in se principium passivum motus & quietis*, id est habent ex se vt possint recipere motum aut quiete ab alio: Ex se igitur sunt indifferentia ad motum & quietem; & in se non habent principium activum motus aut quietis; sed recipiunt motum & quietem ab alio.

licet insulas, scopulos, hîc rariores, illic crebriores; ita propemodum observare licet in illis maculis Lunaribus. Secundò, notandum est easdem maculas superficiei esse depressioris, quàm lucidas partes circunstantes, quod patet ex eo quòd Littora circunstantia sensibiles vmbras in ipsas maculas projiciant, ac si essent rupes præaltæ, idque quâ ex parte Lux Solis aduenit; vti & littora ex aduerso sita quasi forent juga præcelsorum montium eadem Luce tum perfunduntur, cum vmbræ sectio citeriùs adhuc admodum per maculas transit; illa autem montium juga superant altitudinem macularum multis milliaribus. Tertiò, maculæ temporaneæ oriuntur ex eo quòd in Luna qua parte est Lucida sint partes eminentes & depressæ, quasi montes & valles; & quia Lunâ crescente aut decrescente Sol radios obliquè in latera montium sibi objecta conjicit vmbras ad regionem oppositam creat, quam regionem deinde illustrat in plenilunio, quia directè radios emittit.

14. *Maculæ, Solis, vel sunt in ipso Sole, vel ab ipso distant insensibili spatio:* Vulgò creditur ejusmodi maculas esse planetas particulam aliquam Solis tegentes; verùm cum in ipso disco solari nasci & perire passim observentur, probabilius est non esse planetas; sed potius, vel quasdam veluti nubes, quæ è Sole anfractuoso & poroso eructantur; vel quasi quasdam cauernas, quæ certis temporibus & successiuè dehiscant, ac pari ratione compleantur.

ARTICVLVS DECIMVS.

De Numero Astrorum.

1. DE numero Astrorum hæc est communis Philosophorum sententia. *Astra* vel fixa, vel erratica: *Fixa* sic dicuntur, vel quia sunt affixa Firmamento, vel potiùs quia eandem perpetuò seruant propinquitatem & distantiam inter se: *Erratica* verò seu *Planetæ* sic dicuntur, quia non seruant semper eandem propinquitatem & distantiam inter se, nec cum stellis fixis. *Planetæ septem* sunt hoc ordine dispositi à superioribus incipiendo, *Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna. Fixæ* numerantur *mille viginti duo*, quæ diuiduntur in 48. Constellationes, quarum 36. sunt extra Tropicos, scilicet 21. ad Septentrionem, & 15. ad Austrum, reliquæ mediæ sunt 12. intra Tropicos contentæ, quæ Zodiaci Signa dicuntur. *Constellatio* autem seu Asterismus est multitudo astrorum vicinorum, quæ suo situ & ordine imaginem rei alicujus referre dicuntur. Omnes Constellationes his versibus exprimuntur.

Insunt

Insunt *signifero bis sex* cœlestia signa,
Suntque *Aries*, *Taurus*, *Gemini*, *Cancer*, *Leo*, *Virgo*,
Libraque, *Scorpius*, *Arcitenens*, *Caper*, *Amphora*, *Pisces*.
Ad *Boream* verò *ter septem conspiciuntur*,
Vrsa Minor, *Maior*, *Custos*, *Draco*, *Gemma*, *Genúque*,
Prolapsus, *Lyra*, *Olor*, *Cepheus*, *&* *Cassiopeia*,
Perseus, *Andromede*, *Deltotum*, *Auriga*, *Caballus*,
Rictus equi, *Delphin*, *telum* hinc *Aquila*, *Anguifer*, *Anguis*,
Denique conuerti *ter quinque* notantur *ad Austrum*,
Cetus, & *Eridanus*, *Lepus*, & nimbosus *Orion*,
Syrius, & *Procyon*, *Argo* ratis, *Hydráque*, *Crater*,
Coruus, *Centaurus*, *Lupus*, *Ara*, *Coronáque*, *Piscis*.
Temporibus nuperis hæc sunt detecta per Austrum,
Phœnix, *Grus*, *Indus*, *Xiphias*, *Pauo*, *Anser*, & *Hydrus*,
Passer, *Apus*, *Triquetrum*, *Musca*; *Chamæque Leon*.

2 *Ego existimo plures esse Planetas quàm septem*, *&* *plures esse stellam fixas quàm mille viginti duæ*: Nam *Galileus* natione Florentinus ope dioptrici à se inventi seu telescopij, anno 1609. primus in Italia *circa Iovem quatuor minores Planetas circum volui observavit*; quorum qui intimus & Iovi proximus, non ampliùs hinc inde ab illo discedit quàm tribus minutis, neque in circuitu peragendo moratur ampliùs quàm diem vnum horasque 18. cum semisse; qui succedit hinc inde excurrit ad 5. minuta, absolvitque circuitum intra tres dies & horas 13. ac trientem; tertiùs excurrit ad minuta octo, & circuitum perficit diebus septem & horis prope quatuor; quartus excurrit ad minuta 13. & circuitum perficit diebus 16. horis 18. Idem *Galilæus observavit etiam duos laterones circa Saturnum*, qui interdum occultantur, non tamen moventur circa Saturnum. Hipparchus in Aratum scribens numerat stellas fixas mille octoginta. Astrologi ex Plinio lib. 2. cap. 41. obseruarunt mille & sexcentas. Sed sciendum est esse has duntaxat præcipuas & observabiles stellas; nam quæ sereno cœlo possunt præterea conspici numerari prorsus non possunt, maximéque nocte illuni; omitto quàm jam multò innumerabiliores Telescopium demonstret, potissimùm toto Galaxiæ tractu.

cie, sed etiam in profunditate, & per illud transmittitur ad alia corpora; hoc autem habent cœli, cum experientiâ constet lucem astrorum recipi in tota profunditate cœlorum & ad nos transmitti. Rursus; illud dicitur *opacum* quod recipit tantùm lumen in superficie, & impedit quo minùs ad corpora vlteriora transmittatur; hoc autem habent astra, vt constat experientia Lunæ & aliorum astrorum.

2. *Mundus non est animatus, atque adeo nec cœli, nec astra.* Primò, quia si daretur vnica forma omnium corporum quæ dicitur anima mundi aut spiritus vniuersalis; sequeretur vnam & eandem entitatem, scilicet vnam & eandem formam aut animam eodem tempore velle contraria & contradictoria, putà amare & odisse simul eandem rem, simul peccare & non peccare, simul appetere & non appetere, cognoscere & non cognoscere eandem rem; nam anima Petri sæpe amat Paulum, quem anima Ioannis odit & non amat eodem tempore; anima Petri furantis peccat, & anima Pauli non furantis, sed Deum deuotè orantis eodem tempore non peccat; anima Petri iudicat dari animam mundi, & eodem tempore anima Pauli iudicat non dari: De hac re plura diximus in prima parte Physicæ, dum de materia & forma secundum nos numero 45. Secundò, si totus mundus esset animatus, vnaquæque pars deberet esse particeps vitæ sui totius: At multæ mundi partes vitâ carent, vt lapides, metalla, elementa &c. Tertiò, nec mundus, nec cœli, nec astra exercent functiones animæ, siue vegetantis, siue sentientis, siue rationalis aut intellectualis: Mundus enim non generat alium mundum, nec cœlum aliud cœlum, nec astrum aliud simile sibi; quod & animalia & plantæ ipsæ faciunt: Non etiam pabulo nutriuntur aut crescunt, vt plantæ & animalia faciunt: Multò minùs exercent visiones, auditiones, locutiones, iras, gaudia, cæteróſque affectus: Et adhuc multò minùs ratiocinationes, deliberationes &c. Quartò non sunt multiplicanda entia sine necessitate; at nulla est necessitas ponendi talem animam vniuersalem in mundo: cum omnia quæ fiunt in mundo commodè referri possint ad singulorum naturam: *Dicet aliquis, talem animam vniuersalem esse animam sui generis:* Sed videat, ne hoc idem sit ac si esse anima dicatur quæ non sit anima, cum non sit tale quale concipimus dum concipimus animam; & si dicat, cœlos & astra esse animalia sui generis, videat ne hoc idem sit ac si dicatur esse animalia quæ non sunt animalia, cum non sint ejusmodi animalia qualia nos concipimus dum concipimus animalia: Talis enim anima vniuersalis non est actus corporis organici; & ejusmodi animalia non habent neruos, musculos, fibras, spiritus &c. His adde authoritatem Concilij Constantinopolitani, quod est quintum generale, vbi hæc sententia damnatur his verbis, *si quis dixerit cœlum, lunam, stellas, & aquas quæ supra cœlos sunt, animantes quasdam esse, anathema sit.* Denique Aristoteles lib. 2. de Cœlo text. 6. hac ratione ostendit formam cœli aut astri non esse animam, *omne animal* (inquit) *post motum quiescit, vt se à fatigatione recreet:* At cœli & astra nunquam quiescunt secundum Aristotelem: Ergo non habent pro forma animam.

3. *Objicitur*, quòd Deut. 32. cœli compellantur ad audiendam vocem Dei, his verbis; *audite cœli quæ loquor*; & in Psalmis dicitur quòd *cœli enarrant gloriam Dei*, & alibi *cœli* dicuntur *facti in intellectu*; & Augustinus in Genesim dubitat *an cœlum sit animal*; & Arist. lib. 2. de cœlo ait *cœlum esse animatum*: Quibus adde argumentum ex ratione petitum, scilicet *quòd fieri non possit vt inanimatum sit causa efficiens animalium*; *at cœlum & astra sunt causæ animalium saltem imperfectorum, quæ producuntur ex putri materia, putà ranarum, murium &c.*

4. *Respondetur ad testimonia Scripturæ*, sæpe in sacris litteris dirigi sermonem ad res inanimatas, per figuram Oratoribus & Poëtis visitatam: vnde & Esaiæ 1. non tantùm cœli, sed etiam terra compellatur ad audiendam vocem Dei, cum tamen manifestum sit terram esse inanimatam. *Ad id quod dicitur Cœlos factos esse in intellectu*: *Respondetur*, τὸ *in intellectu*, referri ad causam efficientem, scilicet ad Deum, cujus intelligentia & sapientia elucet in productione cœlorum; non autem referri ad ipsos cœlos. *Ad id quod dicitur cœlos enarrare gloriam Dei*: *Respondetur*, id intelligendum, non formaliter, sed objectiuè, quatenus ex cœlis tanquam ex objecto excitantur homines ad Deum glorificandum. *Ad dubium Augustini*, *Respondetur* ipsum sententiam retractasse. *Ad authoritatem Aristotelis*; *Respondetur* Aristotelem sumere cœlum pro aggregato ex cœlo & intelligentia, quæ est quasi anima, & forma assistens, non informans. *Denique ad rationem allatam*, *respondetur* cœlos & astra esse instrumenta Dei in productione animalium, & concurrere materialiter ad generationem eorum, vel excitare tantùm semina ejusmodi animalium.

5. *Sol est moderatè calidus & moderatè siccus astrologicè*: Licet enim Sol sit manifestè calidissimus, attamen moderatus calor ei tribuitur ab Astrologis, quia non judicant de rebus provt sunt in se, sed provt rebus inferioribus conveniunt; calor Solis vniuersaliter se habet ad hæc inferiora, modificatur tamen ab alijs planetis, & hanc modificationem considerat Astrologus; verbi gratiâ quia à Marte calor Solis augetur, existimatur Sole calidior, quia Mars extraordinario calore cum Sole calefacit; ordinariùs enim calor Solis videtur blandus, & ordinatæ temperiei rerum accommodatus: Similiter Sol exsiccat partem humidam, sed moderatè; cum Marte verò immoderatè: Dixi *astrologicè*; nam physicè & realiter Sol est omnium planetarum lucidissimus & calidissimus, & quasi superiorum ac inferiorum moderator, & probabiliter creditur esse elementum ignis, vt infrà; eò quòd habeat omnes effectus & proprietates ignis; cum ipsi radij solares coëuntes comburant.

6. *Luna est frigida & humida*, si non physicè & realiter in se, saltem *astrologicè & quoad nos*; quia habet lucem blandam & caliditatem mutuatam à Sole, quæ educit vapores aqueos, & omnia aquea rarefacit & humectat; vbi autem est raritas & vapor aquarum, eò frigus facilè insinuatur.

7. *Saturnus astrologicè & quoad nos est frigidus & siccus*; quia calor ejus exiguus

exiguus calori Solis commixtus, quandam duritiem & sensum frigoris facit in rebus. Ptolomaici faciunt Saturnum frigidum; quia nimis distat à Sole, qui est fons & causa omnis caloris secundum eos: Sed malè, cum Canicula quæ est calida multò magis distet à Sole.

8. *Iupiter astrologicè & quoad nos est calidus & humidus temperatè*; quoniam calor eius calori Solis commixtus vapores eleuat, & res humectat, facitque eas succulentas & formosas.

9. *Mars astrologicè & quoad nos est calidus & siccus immoderatè*; quia creditur esse molis densæ & rubræ, adeo vt in commixtione cum Sole nimis calefaciat & exsiccet.

10. *Venus astrologicè & quoad nos est calida & humida, sed magis humida quàm calida*; quia in commixtione cum Sole magis humectat quàm calefacit.

11. *Mercurius astrologicè & quoad nos est ancipitis & versatilis naturæ, aliorum planetarum vires augens, cum bonis bonus, cum malis malus*; nam suscipit qualitates planetarum & stellarum cum quibus miscetur, & vicinior Soli calefacit & exsiccat, vicinior verò Lunæ humectat &c.

12. Denique, *planetæ* (excepto Sole) *non scintillant*; *astra* verò *fixa scintillant*, idest micant & quasi scintillas emittere & quasi tremere videntur; cujus rei rationes petuntur vel ex debilitate visus & nimia distantia, vel potiùs ex nimia luce congenita, sunt enim corpora per se lucida, planetæ verò habent tantùm lumen mutuatum à Sole.

13. *Astra habere aliquam affinitatem, & influere in hac inferiora*, ostendunt distinctiones tempestatum à Sole, calor vehementior æstate quàm hyeme propter accessum & recessum Solis, accretio & decretio medullarum crescente & decrescente Lunâ, & multa alia hujusmodi.

14. *Actiones eorum maximè sensibiles* sunt *illuminatio* & *calefactio*; de luce autem & calore fusè agetur infra dum de elementis. Alij præter illuminationem & calefactionem tribuunt astris *actiones occultas* aut *influentias*, per quas volunt in visceribus terræ produci metalla, æstum marinum fieri &c. Verùm hoc effectus lumini aut calori astrorum tribui possunt, vel substantijs quibusdam subtilibus ab astris promanantibus.

15. *Cœlestia corpora in actiones humanas intellectus & voluntatis non influunt directè, sed ad summum indirectè. Directè* quidem *non influere* probatur, quia intellectus & voluntas hominis, necnon vtriusque actiones sunt spirituales & immateriales, eò quòd fiant & recipiantur in anima rationali quæ est spiritualis: Accidens autem sequitur naturam sui subjecti: Ergo ab influxu cœlorum & astrorum, quorum virtutes sunt corporeæ & materiales, actiones humanæ non dependent directè. *Indirectè* verò *cœlestia corpora influere in actiones humanas*, patet ex eo quòd astra habeant virtutem afficiendi temperamentum, & immutandi

liberè futuros, vel tanquam causæ, vel tanquam signa naturalia, vel tanquam signa supernaturalia seu ex instituto diuino, non tanquam causæ, quia vt suprà ostendimus, astra non influunt directè in voluntatem humanam: Non tanquam signa naturalia, nam signum naturale alicuius rei vel est effectus rei quam significat, vt fumus respectu ignis, vel est effectus ejusdem causæ, vt Iris respectu serenitatis, vel aliunde habet necessariam connexionem cum illo: sed astra eorumque motus, nec sunt effectus euentuum liberorum, nec ab eadem causa oriuntur, nec alia afferri potest ratio propterquam cum ijs habent necessariam connexionem; ergo non possunt dici signa naturalia: Non etiam tanquam signa supernaturalia seu ex diuina ordinatione, quia si hoc esset, significatio eorum cognosci tantùm posset diuinâ reuelatione, quæ nebulonibus & præstigiatoribus artem diuinandi profitentibus proculdubio non concederetur. Tertiò, quia experientiâ constat aliquos eodem tempore conceptos, & natos, sub eodem sydertum aspectu, putà Iacobum & Esauum, & innumeros alios gemellos, non eadem habuisse fata, sed alios probos, alios improbos, alios diuites, alios pauperes, alios solertes, alios ingenio tardos &c. Et sæpè sub diuerso aspectu sydertum conceptos & natos eadem morte occubuisse, vt patet in prælijs; nec non eandem fortunam, & eosdem effectus habuisse. Adde varia loca Scripturæ quibus ejusmodi prædictiones ex motu astrorum prohibentur.

20. Objicitur primò, facilè esse Genethliaco ea obseruatione astrorum cognoscere temperamentum hominis, atque adeo etiam ejus mores, qui vt ait Galenus sequuntur temperamentum corporis.

21. Respondetur primò, astra non esse causam totalem & adæquatam temperamenti; præcipua enim causa est vtriusque parentis constitutio, seminis qualitas, aliæque materiæ conditiones.

22. Respondetur secundò, ex cognitione alicujus temperamenti nonnisi incertam de moribus sententiam ferri posse, licet enim quis in vitium à natura propendeat, potest tamen ratione, educatione, & conuersatione, illi propensioni non parere, quod intellige in moralibus simpliciter, nam in supernaturalibus omnia tribuenda gratiæ diuinæ.

23. Objicitur secundò, Astrologos prædixisse multa futura contingentia à libertate dependentia, quorum euentus veritatem comprobarunt: Refert enim Curtius Magos Chaldæorum mortem propinquam Alexandro prædixisse; & apud Xiphilinum legitur qua nocte Nero natus est: Astrologum quendam prædixisse natum quidem mundo Imperatorem, sed qui futurus esset matricida &c.

24. Respondetur primò, prædictiones quæ reperiuntur in historijs profanis scriptas esse post euentum; facilè autem fuit dicere ante prædictum fuisse, quod jam factum videbatur, vt etiam nostris temporibus accidit: sæpè enim cum aliquod mirum contigit, post euentum, scribuntur carmina quæ Nostrodamo tribuuntur, quasi longè ante prædixisset, cum tamen nunquam ei venerit in mentem,

& in veteribus codicibus non reperiatur.

25. Respondetur secundò, sæpissimè etiam vanas extitisse ejusmodi prędictiones. Imò & Dęmones sępius oracula falsa dedisse, non est tamen negandum prædictionibus quibusdam eventum respondisse, cujus rei ratio multiplex afferri potest: Primò, quia cōjectando multa, fieri aliter non potuit, quin interdum fortuitò in veritatem inciderint. Secundò, quia Deus occultâ divinæ providentiæ suæ dispositione id aliquando permittit in pœnam scelerum; & vt ait Apostolus, Deus dat efficaciam erroris iis qui fidem adhibent mendatio: Tertiò, quia pactum & societatem cum dæmone iniuerunt qui longâ doctus experientiâ ex præteritis conjecturam facit de futuris, & Magis aut Astrologis indicat.

CAPVT TERTIVM.

DE ELEMENTIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Elementis in Communi.

1. HOc capite nomen, definitio, diuisio, & proprietates Elementi in communi explicantur. *Nomen Elementi* sumitur quinque modis. 1. Latissimè pro cujuslibet rei principio, sic Aristoteles in Metaphysicis dicit tria esse generationis elementa, id est principia, scilicet materiam formam, & priuationem, 2. Sumitur pro materia prima cujuslibet rei; & sic literæ in Grammatica dicuntur elementa orationis. 3. Elementa sumuntur pro principijs primis viuentium, quæ dicuntur esse partes similares, vt cutis, caro &c. quę à Fernelio dicuntur elementa ad sensum. 4. Elementa sumuntur pro principijs proprijs animantium sanguine præditorum, scilicet pro quatuor humoribus, qui sunt sanguis, pituita, bilis, & melancholia. 5. Pro quatuor vulgaris elementis, quę sunt Ignis, Aër, Aqua & Terra: Et hoc pacto nunc sumuntur à nobis elementa.

2. *Elementum definitur vulgò Corpus simplex, ex quo mixtum primò componitur.*

ponitur. Dicitur *corpus simplex*, non absolutè, eo quod habeat partes; sed comparatè ad mixta, quæ habent partes specie diuersas, non autem elementa. Dicitur *ex quo mixtum componitur*, quia elementa sunt materia mixti, materia autem est id ex quo res fit aut componitur. Denique dicitur *primò*, quia mixta resoluuntur vltimò in elementa; quod autem est vltimum in resolutione, fuit primum in compositione. *Hæc definito elementi non potest sustineri, nisi in sententia eorum qui statuunt elementa esse materiam primam omnium mixtorum*; non autem in sententia eorum qui existimant elementa esse generabilia, corruptibila, transmutabilia, & resolubilia in aliam priorem materiam, putà in atomos, aut aliam materiam innominatam, de qua in prima parte Physicæ egimus.

3. *Elementa quatuor sunt vulgò*, scilicet *Ignis, Aër, Aqua, & Terra*. Primò, quia quatuor tantùm sunt in quæ resoluuntur mixta, vt patet in combustione ligni. Secundò, quia quatuor tantùm sunt corpora maxima & amplissima in mundo scilicet quatuor elementa allata, ex quibus proximè vel remotè fiunt cætera corpora. *Quidam ponunt tantùm duo elementa*, scilicet *aquam & terram*. Verum *contra dico*, quod si partes igneę aut calidę tollerentur à vino, pipere, sulphure, puluere tormentario, aliisque innumeris corporibus, procul dubio perirent, & non ampliùs operarentur secundum naturam ijs conuenientem.

4. *Proprietates elementorum in communi hæ sunt præcipuæ. Prima* est ejusmodi: *Elementa sunt generabilia, corruptibilia & transmutabilia essentialiter, non tamen substantialiter*; quia Elementa componuntur ex atomis, aut alijs partibus innominatis tanquam ex materia; & ex vnione ejusmodi atomorum & partium, tanquam ex forma; cùm autem elementa corrumpuntur aut transmutantur, manent atomi aut partes materiales, quæ sunt tota substantia elementorum; perit verò vnio ejusmodi atomorum aut partium, quæ licet sit accidens prædicamentale inhærens atomis aut partibus, est tamen de essentia elementorum, & per consequens elementa pereunt & transmutantur essentialiter, non tamen substantialiter.

5. *Secunda proprietas Elementorum in communi* talis est: *Elementa secundum Aristoteleos, alterationem, intensionem & remissionem, rarefactionem & condensationem, subire possunt*: At secundum nos non item, saltem prout vocabula illa vsurpantur ab Aristoteleis, vt probatum est fusè in prima parte Physicæ, dum de materia & forma secundum nos.

6. *Tertia proprietas elementorum in communi* sic se habet *Elementa non sunt pura & syncera*: Nam terra est aquæ admixta, & seminibus omnium ferè rerum conspersa; aër ob vapores redditur crassus, idque factum est ob commoditatem & salutem animantium, quæ simplici & puro elemento, nec produci, nec nutriri possunt; si enim terra esset pura non posset suppeditare humorem rebus nascentibus; si aqua esset pura esset insipida, & inepta ad generationem; cum igitur docet Aristoteles, lupos nutriri terrâ, & Camelæontem aëre, vel falsum dicit, vel intelligendus est de

terra impura & aëre impuro. Cæterùm cùm elementa dicuntur à nobis impura; non propterea existimandum est ea propriè esse mixta, sed tantùm esse conjuncta cum alijs, ob quam conjunctionem actiones eorum retunduntur, eo ferè modo quo vinum aquæ admixtum non est purum vinum, eò quòd ejus actio retundatur ab aqua; quare sicut vinum aquæ conjunctum est in se purum vinum, & vbi vinum est, ibi non est aqua, diciturque tantùm impurum ob conjunctionem cum aqua; sic vnum elementum alteri conjunctum, putà ignis aëri, est in se purus ignis, diciturque tantùm impurus ob conjunctionem cum aëre, qui ejus actionem retundit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De gravitate & Levitate.

1. Tres præcipuæ sunt Philosophorum sententiæ de Grauitate & Leuitate. Prima est Peripateticorum, secunda *Epicureorum*, tertia quorundam *Recentiorum*.

2. *Peripatetici* statuunt primò, *duas esse qualitates motrices elementorum & aliorum corporum*, scilicet *grauitas & leuitas*, & vtraque vel est talis simpliciter, vel secundum quid. *Graue in genere* dicitur illud quod tendit deorsum; *leue* verò quod tendit sursum. *Graue simpliciter* dicitur illud quod substat omnibus vt terra: *Graue* verò *secundum quid* est illud quod ita substat aliquibus, vt tamen quibusdam alijs superemineat, vt aqua, quæ igne & aëre est inferior, terrâ verò est superior. *Leue simpliciter* dicitur illud quod supereminet omnibus, vt ignis: *Leue* verò *secundum quid* est quod ita supereminet aliquibus, vt tamen alteri subsit, vt aër qui terrâ & aquâ est superior, igne verò inferior. Quare *Leuitas communiter definitur potentia naturalis quâ subjectum mouetur sursum. Grauitas* verò *definitur potentia naturalis quâ subjectum mouetur deorsum.* Et vtraque vel est talis simpliciter, vel secundum quid.

3. Secundò, statuunt *grauitatem & leuitatem esse qualitates accidentales, realiter distinctas à subjectis seu substantijs grauibus aut leuibus*; quia sunt potentiæ naturales in secunda specie qualitatis comprehensæ, & inhærentes suis subjectis.

4. Tertiò, statuunt *has duas qualitates motrices specie differre inter se.* Nam quod spectat ad grauitatem & leuitatem determinata est vtriusque natura ad motus oppositos. Deinde, sunt proprietates subjectorum essentialiter diuersorum. Denique, postulant diuersas primas qualitates, putà leuitas calorem, & grauitas frigus. De leuitate simpliciter & secundum quid inter se, nec non de grauitate simpliciter & secundum quid major est quæstio,

quæstio; quia videntur tantùm differre secundum magis aut minùs; magis autem & minùs non variant speciem. Verùm experientiâ constat, sic non posse intendi gravitatem aquæ vt terræ gravitatem exæquet; nec sic minui aut remitti gravitatem terræ vt non sit gravior aquâ; idemque dicendum de levitate ignis & aëris. Nec propterea existimandum est, levitatem aëris aut gravitatem aquæ, quæ sunt levitas & gravitas secundum quid, esse qualitates mixtas formaliter; sicut enim elementa sunt simplicia, ita & qualitates eorum: Quare ad summum debent tantùm dici mixtæ virtualiter & æquivalenter, quatenus scilicet subjectis suis ea tribuunt loca quæ tribuerentur, licet formaliter mixtæ essent.

5. Quartò, statuunt *causam immediatam motus naturalis elementorum & aliorum corporum, esse gravitatem aut levitatem eorum, atque adeo esse qualitates accidentales ipsis corporibus congenitas*, quia nullum est externum principium cui ascribi possit talis motus & absurdum est asserere corpora naturalia esse destituta potentiâ motivâ ad suum locum obtinendum cum habeant in se naturam, id est principium motus & quietis.

6. Quintò, statuunt cum Aristotele lib. 4. de cœlo, *ex duobus corporibus vniformis materiæ, quod maius graviúsque ferri & cadere celeriùs in terram*; & similiter *versus cœlum quod fuerit minus ac levius*; existimant enim cœlum tenere locum supremum, terram verò infimum.

7. Sextò, statuunt *Elementa in propriis locis nec gravitare, nec levitare*; quod vt intelligatur, notant levitare & gravitare non esse tantùm habere levitatem aut gravitatem, cùm secundum eos elementa in propriis locis alterutram retineant; sed est exercere aliquem actum levitatis aut gravitatis; talis autem actus triplex excogitari potest, scilicet motus sursum aut deorsum, quies in proprio loco, & conatus de quo tertio tantùm est difficultas, cum elementum in proprio loco existens à levitate aut gravitate sua non moveatur, sed illic beneficio ejus quiescat. Hoc prænotato, dicunt elementa in propriis locis nec gravitare, nec levitare, id est non niti descendere aut ascendere compressione inferioris aut superioris corporis: Primò quia alioqui non esset placida elementorum quies in loco naturali, ac proinde nusquam, & per consequens violenter esset in quolibet loco: Secundò, quia duo elementa, scilicet ignis in supremo & terra in infimo loco constituta vlteriùs nisi non possunt: Tertiò, quia alioqui partes inferiores aëris & ignis comprimerent & condensarent superiores aut seipsas, & superiores aquæ & terræ condensarent inferiores aut seipsas, quod est contra experientiam: Quartò, quia experientia comprobatum est homines sub aqua nullum aquæ pondus sentire, & pondus aëris cervicibus nostri impositi non sentiri à nobis.

8. *Epicurei* statuunt primò, *Atomos moveri duplici motu locali* scilicet *naturali* & *reflexo*: *Naturalis* est quo atomus suo deorsum pondere fertur; *Reflexus* verò quo atomus vna in aliam atomum incurrens repercutitur & aliorsum divertitur: *Naturalis duplex* ponitur ab ipsis, scilicet

perpendicularis seu ad lineam, & *declinationis* : *Perpendicularis* & quo rectà fertur atomus deorsum ; *declinationis* quo obliquè ; & hic motus declinationis necessarius est visus, quoniam alioqui nullus concursus atomorum futurus fuisset, nullâque proinde extitisset vllius rei generatio. Circa perpendicularem notant, non accepisse eum Epicurum comparatione alicujus centri, putà mundi, terræ, aut alterius rei; quoniam nullum tale centrum agnovit, nec vllum esse posse censuit in vniverso existente infinito ; sed accepisse respectu duarum in vniverso regionum, quarum vna sursum, alia deorsum diceretur ; & alia quidem sursum, ex qua absque vllo termino advenirent atomi ; illa verò deorsum, in quam absque vllo termino atomi abirent. Reflexus motus, vel κατ' παλμόν, quæ fit ex incursu atomi unius in aliam versus locum dissitum, seu per notabile intervallum, vel κατ' παλμόν, quæ brevi spatio terminatur, cùm scilicet atomus resiliens statim incidit in aliam, à qua denuò repellatur, & rursus à tergo in aliam à qua rursus reuibretur, &c.

9. Secundò, statuunt *atomos præditas esse vigore quodam ingenito*, seu internâ illâ energiâ, quum gravitatem appellant, quoque illas moveri per inane sic volunt, vt cum inane sit infinitum, & centro omni careat, nunquam cessaturæ sint ab illo suo motu, vtpote sibi naturali, sed in omne tempus in eo persistituræ, nisi aliæ aut atomi aut concretiones occurrerint, à quibus aliorsum flectantur. Statuunt etiam, atomos deflexas, indesinenter viam tenere quam de novo inierint, quousque aliquid occurrerit quod ipsas iterum deflectat &c. Ac denique statuunt omnes illas atomos esse paris celeritatis.

10. Tertiò, statuunt *in compositis & solidis concretionibus intra quas omnia se quàm pacatissimè habere videntur, esse motus aliquos intestinos*, qui licet sensibus non pateant, probantur tamen ex eo quòd nullum sit corpus adeo compactum, quod seclusâ etiam extrinsecâ causâ non habeat in se principium corruptionis, idque aliunde esse non potest quàm quia ejusmodi corpus constat ex iis principiis, quæ nunquam quiescunt, sed sunt semper in perpetuo quasi emergendi conatu, adeo vt (faventibus spatiolis inanibus quæ in densissimis corporis intercipiuntur) conniti, evolui, & libertatem quasi quærere nunquam desinentes, tandem evincant, & ipsum corpus exsolvant & destruant. Vnde patet voluisse Epicurum causam primariam omnis actus & agitationis quæ observatur in rebus, in ipsis esse atomis, scilicet primam rerum materiam non inertem fecit, sed eam voluit esse affectuosam & mobilissimam ; atque adeo atomos non tantùm esse primam materiam ex qua omnia fiunt, sed etiam primam causam efficientem, quatenus volunt omnem actionem quæ ab ipso motu non distinguitur, ad atomos earúmque motum referendam esse.

11. Quartò, statuunt *gravitatem omnem quæ in rebus concretis est, dependere à gravitate quæ est in ipsis atomis, vt vnumquodque corpus tantò gravius sit, quantò ex pluribus atomis, seu ex eo copiosiore materia constituitur*,

constat; tantò minus, quantò ex paucioribus seu ex materia parciore.

12. Quintò, statuunt *aliqua dici quidem levia*, illa scilicet quærendum sursum; at *nolunt tamen levitatem esse in illis quasi vim aut qualitatem ingenitam, sed esse potiùs vim extrinsecùs impressam*, adeo ut sursum tendaut non nativo impetu, sed extensione corporum aliorum quæ ipsa sursum repellant.

13. *Recentiorum* quorumdam *sententia*, quam ego probabiliorem censeo, sequentibus assertionibus explicatur, Primò, *probabiliter sustineri potest nullam esse gravitatem aut levitatem corporibus congenitam*; atque adeo lapidem verbi gratiâ non moveri deorsùm naturaliter per quandam qualitatem innatam quæ dicitur gravitas, & ignem non moveri sursum naturaliter per quandam qualitatem naturalem quæ dicitur levitas; sed lapidem & ignem moveri tantùm violenter & à principio extrinseco: Ratio est quia quæcúnque conveniunt naturaliter alicui rei, ei semper conveniunt, siquidem proprietates naturales omni, soli, & semper conveniunt: At corpora gravia, putà lapides, sublato quovis impedimento non semper moventur deorsum; & corpora levia, putà ignis, sublato quovis impedimento non semper moventur sursum: Si enim Deus annihilaret mundum & omnia quæ sunt in mundo præter vnicum lapidem & vnicum ignem, lapis non moveretur deorsum, & ignis non moveretur sursum; quia in tali casu neque esset sursum, neque deorsum; atque adeo naturaliter quiescerent; vnde sequitur corpora per se non esse mobilia, nec per se naturalia, quatenus naturale sumitur pro eo quod habet principium activum congenitum motus. Adde quod corpora quæ creduntur naturaliter gravia, non habent motum æqualem, sed vno tempore tardiùs, & alio tempore moventur celeriùs: At motus naturalis propriè ille est qui est æquabilis; quod patet ex hoc communi axiomate, nullum violentum perpetuum; siquidem radix perpetuitatis, atque adeo motus naturalis, est ipsa æquabilitas; eò quòd nulla res naturalis, aut invalescendo perpetuum incrementum, aut decrescendo perpetuum detrimentum ferat; ipsa verò inæquabilitas tanquam perpetuitati adversa, rei violentæ character est; corpora autem quæ creduntur gravia, habent motum inæquabilem, cum lapis verbi gratiâ in principiò tardiùs in fine verò celeriùs moveatur. Quare corpora, quæ creduntur levia moventur sursum, quia vi expelluntur sursum ab aliis quæ creduntur graviora; & corpora quæ creduntur gravia moventur deorsum, vel attractione terræ, vt volunt nonnulli, vel impulsione aëris aut aëreæ æthereæ superioris, vt volunt alij.

14. Secundò, Quamvis *corpora* neque gravitatem neque levitatem in se habeant, quibus moveantur deorsum per gravitatem, ac sursum per levitatem; *habent tamen in se principium passivum motus & quietis*, id est habent ex se vt possint recipere motum aut quiete ab alio: Ex se igitur sunt indifferentia ad motum & quietem; & in se non habent principium activum motus aut quietis; sed recipiunt motum & quietem ab alio.

15. Tertiò, *ex tali indifferentia corporum ad motum & quietem*, sequitur & infertur *vnamquamque rem manere quantùm in se est in eodem semper statu, nec vnquam mutari nisi à causis externis*; verbi gratiâ corpus quadratum semper manebit quadratum, nisi quid aliunde adveniat quod ejus figuram mutet; & corpus quod movetur, perpetuò movebitur nisi aliud sistat ejus motum; & corpus quiescens perpetuò quiescet, nisi moveatur ab alio: Idque confirmatur ex motu projectorum; nulla enim alia ratio est cur projecta perseverent aliquandiu in motu, postquam à manu projiciente separata sunt, quàm quia semel mota pergunt moveri, & manent in illo suo motu donec ab obviis corporibus retardentur; & manifestú est ipsa projecta solere ab ære aliisve quibuslibet corporibus fluidis in quibus moventur, paulatim retardari, atque adeo motum ipsorum diu durare non posse: Et si quis existens in extremitate mundi projiceret lapidem, lapis ille in æternum moveretur, quia nihil posset sistere ejus motum, siquidem moveretur in inani. Idem est istud quod dicitur scilicet accidens esse ejus natu æ, vt modò subjectum perseverans habeat, neque contrarium quippiam occurrat, perseverare valeat absque continua causæ suæ actione.

16. Quartò, *licet gravitas & levitas existerent in corporibus non essent tamen qualitates accidentales realiter distinctæ à subjectis seu substantiis gravibus aut levibus.* 1. Quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, at nulla est necessitas ponendi talem distinctionem. 2. Quia si aliquod corpus naturâ suâ sit grave aut leve, movebitur deorsum aut sursum per se, & non per aliud, & cum sic moveatur per gravitatem aut levitatem, clarum est gravitatem aut levitatem non esse aliud à substantiâ gravi aut levi, sed esse ipsam substantiam. 3. Quia potentia locomotiva animalium non distinguitur à suo subjecto, vt probabitur dum de Anima: Ergo etiam potentia locomotiva aliarum rerum, quæ nihil aliud est præter gravitatem aut levitatem non distinguitur realiter à suo subjecto. 4. Quia gravitas videtur tantùm oriri ex majori numero partium compressarum, levitas verò ex minori numero partium compressarum, atque adeo probabile est gravitatem aut levitatem non distingui ab illis partibus. Huc referri possunt omnes rationes quibus probavimus in logicis proprietates non distingui realiter à suis subjectis Arriaga Iesuita acutissimus disp. 4. sect. 5. de gener. & corrupt. posuit gravitatem & levitatem non distingui à substantia gravi aut levi: Cùm verò sibi objicit hostiam consecratam gravitare & tendere deorsum: Respondet, tendentiam illam deorsum seu descensum non esse à gravitate, quæ nulla est, cum in hostia non sit ampliùs substantia panis; sed esse à Deo, qui eam pellit deorsum, ne detegatur miraculum aut mysterium; quæ responsio est ridicula, & ideo dicendum est talem gravitationem esse à substantia panis identificata cum gravitate ejus.

17. Quintò, *si detur aliqua qualitas motrix*, putà *gravitas* aut *levitas*, *probabilius est statuere omnia corpora esse gravia, & ad medium ferri*, scilicet *ad centrum mundi*; *dici* autem *tantùm levia*, quia sunt minùs gravia

Quòd

Quòd si aliqua corpora tendant sursum, id non fit naturaliter, aut à quadam qualitate congenita, quæ dicitur levitas, sed cum sint minùs gravia, vi sursum extruduntur à gravioribus; adeo vt si terra subduceretur, aqua ad centrum sit accessura, si aqua aër, si aër ignis: Et reverâ vesica aëre plena majoris est ponderis quàm vesica sola, quod non fieret si aër non esset gravis.

18. Sextò, *rem falsam supponit Aristoteles, cùm ex duobus corporibus vniformis materia, censet quod majus graviúsque est, ferri versus terram & cadere celeriùs*: quippe experientiâ constat dimissis simul ex eadem altitudine duobus globis plumbeis, vno vnius libræ, alio librarum centum, tam velociter cadere ad terram libralem quàm centum libralem: Cum enim corpus descendat tantùm in terram, vel per impulsionem ejus ab aëre superiori, vel per attractionem eius à terra inferiori; certè pauciores partes impellentes aut attrahentes globum vnius libræ sunt æquè validæ, ad impellendum aut attrahendum talem globum, quàm plures ad impellendum aut attrahendum globum centum librarum. Plura de gravitate & levitate, vide in prima parte Physicæ dum de motu; doctrina enim de motu habet maximam connexionem cum doctrina de gravitate & levitate.

19. Septimò, Themistius in 4. Phys. tex.74. fortiter impugnat motum naturalem atomorum ab Epicuro confictum his verbis: *Hoc idem in atomis quæri ex Epicuro potest, velit ne illas inæquali velocitate, an æquali moveri; nam si inæquali rationem desidero; si æquali requiro constantiam, ostendat quonam pacto continuabunt, & sese assequentur vicissim atque comprehendent, aut quomodo ad insertum amplexumq; mutuum accedentur vt subinde res alias, veluti ipse prædicat, concursu illo progenerent? Dicat quomodo hoc fieri possit, motu omnibus æquali promiscuè concesso.* Verùm quia Epicurus id absurdum vitare conatur per declinationem motus atomorum; audiamus Ciceronem lib.1. de fin. eum sic impugnantem: *Epicurus* (inquit) *censet eadem illa individua & solida corpora ferri suo deorsum pondere ad lineam, & hunc naturalem esse omnium corporum motum: Deinde, ibidem homo acutus, cum illud occurreret, si omnia deorsum è regione ferrentur ad lineam, nunquam fore vt atomus altera alteram posset attingere; itaque attulit rem commentitiam; declinare dixit atomum per paulùm, & ita effici complexiones, & copulationes, & adhæsiones atomorum inter se, ex quo efficeretur mundus, omnesque partes mundi, quæque in eo essent; quæ cum res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem quod vult; nam & ipsa declinatio ad libidinem fingitur, ait enim atomum declinare sine causa, quo nihil turpius Physico, & illum motum naturalem omnium ponderum è regione inferiorem locum petentium sine causa eripuit atomis; nec tamen id cujus causâ hæc finxerat assequutus est, nam si omnes atomi declinabunt nulla vnquam cohærescent, & si aliæ declinabunt, aliæ suo nutu rectâ ferentur, primùm erit hoc quasi provincias atomis dare, quæ rectâ, quæ obliquè ferantur, deinde eadem illa atomorum in quo etiam Democritus hæret turbulenta concursio, hunc mundi ornatum efficere non poterit.* Ego addo primò, atomos illas esse corpora atq; adeo,

nullam habere grauitatem aut leuitatem congenitam, vt probatum est suprà numero 13. Secundò, nulla est ratio cur atomi potiùs habeant grauitatem quâ rectâ moveantur deorsum versus terram, quam leuitatem quâ rectâ moveantur sursum versus inane. Tertiò, Idem quâ idem semper facit idem quod axioma semper verum est in agentibus necessariis non impeditis; & ideo atomi quæ sunt agentia necessaria non impedita, si semel tendant rectà deorsum, debent semper sic moueri, & nunquam declinare. Quartò, sine tali declinatione possent atomi sibi inuicem occurrere & cohærescere, quia cum moveantur rectà è cœlo versus terram, movèntur per lineas rectas continuò ad se invicem accedentes, & sibi occurrentes necessariò antequam perveniant in terram.

ARTICVLVS TERTIVS.

Raritate & Densitate.

1. *Septem sunt Philosophorum sententiæ & rarefactione & condensatione*, atque adeo de *raritate* & *densitate*. *Prima est Marsilij*, qui quæst. 9. Metaph. artic. 2. Existimavit in rarefactione deperdi totam quantitatem præcedentem, & aliam majorem de novo produci; eadem numero materiâ remanente: In condensatione verò produci aliam minorem, totâ priori deperditâ, sed eadem semper numero materiâ remanente. Vnde *secundum Marsilium*, *Rarefactio* est actio quâ corpus, cum eadem materia occupat majus spatium quàm antea, per destructionem totius quantitatis præcedentis, & productionem novæ majoris: *Raritas* verò est status corporis cum eadem materia occupantis majus spatium quam anteà, *per destructionem totius quantitatis præcedentis, & productionem novæ*. *Condensatio* est actio quâ corpus, cum eadem materia, occupat minus spatium quam anteà, per destructionem totius quantitatis præcedentis, & productionem novæ minoris: *Densitas* verò est status corporis cum eadem materia occupantis minus spatium quàm anteà, per destructionem totius quantitatis præcedentis, & productionem novæ minoris.

2. *Secunda* sententia *est Scoti* in 4. dist. 12. quæst. 4. qui docuit in rarefactione non deperdi quantitatem præcedentem, sed de novo produci & acquiri aliquam partem quantitatis, sine nova productione aut acquisitione materiæ: In condensatione verò deperdi aliquam partem quantitatis, sine deperditione vllius partis materiæ. Vnde *secundum Scotum*, *Rarefactio* est actio quâ corpus, cum eadem materia, occupat maius spatium quàm anteà, per productionem aut acquisitionem novæ partis quantitatis

tis: *Raritas* verò est status corporis, cum eadem materia maius spatium quàm antea occupantis, per productionem aut acquisitionem nouæ partis quantitatis. *Condensatio* est actio, quâ corpus, cum eadem materia, minus spatium occupat quam anteà, per deperditionem alicujus partis quantitatis: *Densitas* verò est status corporis, cum eadem materia minus spatium quam anteà occupantis, per deperditionem nouæ partis quantitatis.

3. *Tertia* sententia est *Conimbricensium* lib. 1. de gener. cap. 5. quæst. 17. art. 3. Ruuij lib. 1. de gener. cap. 5. quæst. 1. Hurtadi lib. 1. de gener. disp. 4. sect. 4. Suaris in 3. part. disp. 48. sect. 1. Et omnium ferè Recentiorum Philosophorum, qui arbitrantur rarefactionem & condensationem fieri per productionem nouæ qualitatis realis accidentalis, scilicet raritatis aut densitatis, cuius beneficio corpus eandem materiam & eandem quantitatem retinens, occupat maius aut minus spatium quàm anteà. Vnde *secundum eos, Raritas* est qualitas quâ corpus eandem materiam & quantitatem retinens, maius spatium occupat quàm anteà: *Rarefactio* verò est productio talis qualitatis: *Densitas* est qualitas quâ corpus eandem materiam & quantitatem retinens minùs spatium occupat quàm anteà: *Condensatio* verò est productio talis qualitatis.

4. *Quarta* sententia est *quorundam Recentiorum*, qui existimant raritatem & densitatem non esse qualitates, nec rarefactionem & condensationem esse alterationes ad illas qualitates terminatas: Sed *raritatem* nihil aliud esse quàm majorem extensionem corporis in ordine ad locum, seu majorem præsentiam localem, eadem materiâ & quantitate remanente, & rarefactionem nihil aliud esse quàm acquisitionem huius præsentiæ majoris: *Densitatem* verò esse minorem extensionem in ordine ad locum, seu minorem præsentiam localem, eadem materiâ & quantitate remanente; & condensationem esse acquisitionem huius præsentiæ minoris; Et cum præsentia localis sit idem quod vbi, ad quod per se & proximè terminatur motus localis; consequenter asserunt *rarefactionem & condensationem esse motus locales*.

5. *Quinta* sententia est *Ockani* Opusculo de Eucharistia, *Gabrielis* in Canone lect. 45. Vallesij in 4. Phys. tex. 84. *Roderici de Arriaga* disp. 16. Phys. sect. 10. subsect. 2. *Ouiedi* lib. 1. de gener. controv. 7. puncto 5. qui volunt *rarefactionem* fieri per introductionem aliquorum corpusculorum subtiliorum, putà aëreorum aut igneorum, ratione quorum corpus dicitur occupare majus spatium quàm antea; vel per exitum corpusculorum crassiorum: *condensationem* verò fieri per expulsionem aut exitum corpusculorum subtiliorum, vel per introitum crassiorum.

6. *Sexta* sententia est *Democriti, Epicuri, Lucretii*, & multorum aliorum Veterum & Recentiorum Philosophorum, qui existimant *rarefactionem & raritatem* fieri propter plures aut majores vacuitates inter partes corporis rarescentis interiectas; *condensationem* verò aut *densitatem*

fieri propter pauciores aut minores vacuitates hoc pacto : cum corpus sit poris quibusdam aut vacuitatibus exiguis plenum , aliquando partes ipsæ comprimuntur , & per compressionem quasi occludunt eosdem poros aut minores efficiunt , & sic partes fiunt minùs distantes inter se , ac quasi contrahuntur ; talisque contractio corporis est densitas , & acquisitio ejus condensatio ; aliquando verò dilatantur partes corporis , & majores fiunt pori aut vacuitates partesque magis separantur & distant inter se , talisque separatio & distantia est raritas , & acquisitio ejus rarefactio : Vnde *juxta hanc sententiam, rarefactio & condensatio sunt tantùm motus locales dilationis & compressionis.*

7. *Septima* sententia est *Cartesij* part. 2. de principiis Philosophiæ, numero 54. & 55. qui vult *raritatem* oriri ex motu particularum materiæ , *densitatem* verò ex quiete earum ; adeo vt corpora diuisa in multas exiguas particulas , motibus à se mutuò diuersis agitatas , sint rara & fluida ; ea verò quorum omnes particulæ juxta se mutuò quiescunt, sint densa & dura ; & si omnes partes aëris jam quiescerent, totus aër esset densus & durus sicut ferrum: Nullum enim glutinum(inquit) possumus excogitare , quod particulas durorum corporum firmiùs inter se conjugat quàm ipsarum quies , quid enim esse posset glutinum istud? Non substantia , quia cum particulæ istæ sint substantiæ , nulla ratio est cur per aliam substantiam potiùs quàm per seipsas jungerentur ; non etiam est modus vllus diuersus à quiete ; nullus enim alius modus magis adversari potest motui per quem istæ particulæ separentur quàm ipsarum quies ; at præter substantias & earum modos , nullum aliud genus rerum agnoscimus. Nec dicas dari atomos Physicas amates , quibus sit cohæsio & densitas corporum : Nam cum ipsæ atomi habeant partes cohærentes, non potest dici vnde sit talis cohæsio partium atomi, nisi à quiete earum : Licet autem sensu non aduertamus particulas fluidorum corporum moueri , quia sunt nimis exiguæ ; facilè tamen ex effectibus id colligitur præcipuè in aëre & aqua , ex eo quod alia multa corpora corrumpant , neque enim vlla actio corporea, qualis ista corruptio est , sine motu locali esse potest.

8. *Quatuor priores sententias,tanquam falsas,& simul & separatim sic impugno.* Simul quidē hoc pacto luxta quatuor priores sententias eadem numero materia per rarefactionem majus spatium occupat quàm anteà , sine vlla additionē aut productione materiæ,& per condensationem minus spatium occupat quàm antea,sine vlla detractione aut corruptione materiæ : At impossibile est,saltem naturaliter, eandē numero materiā, sine vlla additione aut detractione materiæ,modò maius, modò minus spatium occupare quā antea,quod sic probatur:Si eadem materia,modò majus,modò minus spatiū occuparet per rarefactionē & cōdensationē,sine additione & detractione alterius materiæ,sequeretur eandem partem materiæ per rarefactionem

poni

poni in duobus locis,& per condensationem plures partes materiæ in eodem loco penetrari, idque naturaliter: Sed absurdum consequens: Ergo & antecedens. Minor admittitur ab omnibus: Major verò sic probatur: Ponantur decem partes aquæ occupantes medietatem palmi duntaxat, adeo vt quælibet pars decima aquæ occupet decimam partem medietatis palmi; deinde rarescant illæ decem partes aquæ per spatium alterius medietatis, adeo vt decem illæ partes aquæ occupent totum palmum;clarum est quamlibet partem aquæ fore in duobus locis,nam pars aquæ, quæ antea occupabat vigesimam partem totius palmi, & decimam partem medietatis eius duntaxat, per rarefactionem occupabit duas vigesimas partes totius palmi: In condensatione autem plures partes materiæ penetrari sic ostenditur, ponantur viginti partes aquæ occupantes totum palmum, adeo vt quælibet pars vigesima aquæ occupet vigesimam partem palmi, deinde condensentur illæ viginti partes aquæ ad medietatem palmi, tunc illæ viginti partes aquæ erunt in loco duplo minori quàm anteà, atque adeo duæ vigesimæ partes aquæ, quæ occupabant duas vigesimas partes palmi, occupabunt tantùm vnam, atque adeo se penetrabunt.

9. Præterea, quando aqua aut aliud corpus rarefit, & rarefactione occupat majus spatium quàm anteà, necessariò occupat locum aëris aut alterius corporis circunstantis: quo casu, vel aër remanet in eodem loco, vel relinquit locum suum & acquirit alium, vel contrahitur ad minorem locum per condensationem: Si primum, sequetur aquam poni in eodem locum cum aëre, & sic dari naturaliter penetrationem dimensionum, quod est absurdum: Si secundum, aër pellet aliud corpus ab eo loco quem acquirit, & illud corpus ab aëre pulsum pellet aliud, & sic in infinitum: Si tertium, sequetur vnum corpus non posse rarefieri quin alterum condensetur, quod est contra experientiam.

10. *Prima sententia*, cujus Author dicitur Marsilius, qui volebat rarefactionem & condensationem fieri per destructionem totius quantitatis præcedentis, & productionem totius novæ majoris aut minoris eadem materia remanente, *sic impugnatur specialiter*. Quantitas non distinguitur realiter à matateria, vt probatum est in prima parte Physicæ dum de quantitate: Ergo non potest destrui quantitas quin destruatur materia: Et licet quantitas distingueretur à materia, attamen ab omnibus dicitur proprietas materiæ quarto modo, inseparabilis ab ipsa. Deinde si quantitas periret, id esset vel defectu subjecti sustentantis aut conseruantis, vel adventu contrarii: Non primum quia materia, quæ creditur subjectum quantitatis eadem perseverare dicitur: Non etiam secundum, quia quantitas non habet contrarium.

11. *Secunda sententia*, cujus Author dicitur Scotus, qui volebat rarefactionem fieri per additionem partis quantitatis de nouo productæ, condensationem verò per destructionem partis quantitatis, eadem materiâ remanente, *specialiter impugnatur* iisdem argumentis quibus est im-

pugnata prima sententia; cum hîc eadem sit ratio totius quantitatis, & partis ejus, & si quantitas identificetur cum materia, vt probatum est, destructâ parte quantitatis destruetur pars materiæ: Quibus adde quòd vel illa noua pars quantitatis recipitur in materia in qua erat præcedens quantitas, vel manet sine materia & subjecto; Si primum, penetrabitur cum alia quantitate in eadem materia; si secundum, accidens erit naturaliter sine subjecto, nec extendet materiam, cum in ea non recipiatur, quæ omnia sunt absurda.

12. *Tertia sententia*, quâ dicebatur rarefactionem & condensationem fieri per productionem nouæ qualitatis, scilicet raritatis aut densitatis, cujus beneficio corpus eandem materiam & quantitatem retinens, occupat majus aut minus spatium, *specialiter sic impugnatur.* Vbi est occupatio majoris aut minoris spatij, ibi etiam est major aut minor exensio actualis, vt patet: At vbi est major aut minor extensio actualis, ibi est major aut minor quantitas, cùm quantitas constituatur per extensionem: Ergo si in rarefactione sit major occupatio spatij, & in condensatione minor, sequetur in rarefactione esse majorem, & in condensatione esse minorem extensionem actualem, atq; adeo majorem aut minorem quantitatem. Deinde, non sunt multiplicanda entia sine necessitate: Sed nulla vrget necessitas ponendi nouam qualitatem; quod enim dicitur causa illius nouæ qualitatis, poterit dici causa majoris aut minoris extensionis localis sine productione nouæ qualitatis; & in quinta sententia facilè omnia saluantur per introitum aut exitum corpusculorum, sine vllius nouæ entitatis productione: Et non est verisimile, per solam compressionem digito factam quâ condensatur aër in folle aut vesicâ inclusus, produci nouam qualitatem aut entitatem. His adde quòd Aristoteles in prædicamento qualitatis, negat raritatem & densitatem esse qualitates his verbis; *Rarum & densum, asperum & lene, videbuntur qualitatem significare, sed aliena ejusmodi putantur à qualitate, quandam enim positionem partium magis videntur monstrare.* Et Thomas lib. 2. de Gener. lect. 2. hæc ait: *Rarum & densum* vt in 4. Phys. dicitur, *non sunt qualitates physicæ, sed positio partium materiæ, secundum propinquum in denso, vel secundum remotum in raro.*

13. *Quarta sententia specialiter impugnatur* argumentis contra tertiam sententiam allatis & neutra sententia vitat difficultatem, in qua tollenda laborant omnes Philosophi, nimirùm quòd sequetur vnam partem materiæ esse in duobus locis per rarefactionem, & duas partes materiæ in eodem loco penetrari per condensationem.

14. Respondet Hurtadus de Mendosa lib. 1. de Gener. disp. 4. sect. 4. his verbis: *Fateor argumentum continere difficultatem ferè inexplicabilem; respondetur tamen licet totum corpus retineat totum locum præcedentem, nullam tamen partem illius manere in loco in quo antea erat, vt quando cœlum mouetur, totum cœlum est in eodem loco, & nulla illius pars retinet locum præcedentem, atque ita nulla pars rarefacti retinet primum locum, sed occupat nouum relicto-*

relicto primo; hinc verò non sequitur eandem partem esse in ductus locis, sed occupare majorem locum: Eodem modo respondetur in condensatione partes non penetrari, quia nulla retinet priorem locum, sed occupat minorem. Idem respondet Ruvius, & alii Recentiores.

15. Contra hanc responsionem, dico primò, falsum esse nullam partem retinere priorem locum in rarefactione vulgata: Nam secundum Adversarios, quando totum aliquod corpus sphæricum putà aqueum æqualiter rarefit, partes à centro ad circumferentiam se extendunt ad majus spatium, sicut in condensatione à circumferentia ad centrum se contrahunt ad minus spatium: Sed tunc pars centralis corporis aquei rarescentis, ibidem est ubi erat priùs; & partes illi centro proximæ seu contiguæ manent in eodem loco ac antea, alioquin desererent centrum, & recederent ab eo, quod fieri non potest sine admissione vacui aut intromissione corpusculorum.

16. Dico secundò, sive partes retineant priorem locum sive non, absurdum suprà allatum non vitari, scilicet quòd in rarefactione vulgata, eadem pars & eadem entitas simùl sit in pluribus locis: Nam secundum Adversarios quælibet pars per rarefactionem majorem locum occupat quàm anteà; sicut autem numerus major continet duos minores, & majus corpus continet duo minora; Ita major locus continet duo minora loca; & per consequens si eadem pars & eadem entitas, quæ erat in minori loco per rarefactionem ponatur in majori, certè ponetur in duobus minoribus locis.

17. *Juxta tres posteriores sententias*, scilicet quintam, sextam, & septimam, *nulla est propriè & realiter rarefactio & condensatio, sed tantùm impropriè & apparenter:* Nam rarefactio est factio raritatis, & condensatio est factio seu productio densitatis: At juxta tres posteriores sententias nunquam fit raritas aut densitas; siquidem per raritatem idem corpus occupat majus spatium quàm anteà, & per densitatem occupat minus: At juxta tres posteriores sententias idem corpus non majus aut minus spatium occupat uno tempore quàm alio: Nam *juxta quintam sententiam*, aqua verbi gratiâ rarefacta per calorem non occupat majus spatium quàm antea realiter, sed tantùm apparenter; siquidem major illa occupatio spatii apparens, non est ab aqua solâ, sed à particulis igneis quæ sese insinuarunt inter partes aquæ, & quæ simul cum aqua occupant realiter illud majus spatium: *Juxta sextam sententiam*, licet corpus rarum aut rarefactum videatur occupare majorem locum, sumendo locum pro toto illo spatio quod ipsâ superficie ambientis circumscribitur, attamen non occupat realiter majorem locum, quia inter partes ejusmodi corporis rarefacti sunt vacuitates majores, eò quòd raritas fiat interceptione plurimi inanis, cujus priùs adunatæ detrahuntur, & corpus tantò rariùs fiat, quantò occasione partes materiæ plura ampliorave spatiola inania intercepta

fuerint, densitas verò fiat exclusione ejusdem inanis, cujus occasione partes materiæ, priùs distractæ adunantur, corpusque tantò evadat densius, quantò pauciora minoráve spatiola extiterint. Denique *juxta septimam sententiam*, corpus rarefactum aut condensatum, non occupat majus aut minus spatium quam anteà; cum secundum eam tota rarefactio fit à particulis motis, & tota condensatio à particulis quiescentibus: Sicut autem tres homines qui moventur, & deinde quiescunt, æquale semper spatium occupant; sic particulæ corporis quæ moventur, & deinde quiescunt; vel quæ quiescunt; & deinde moventur, semper æquale spatium occupant.

18. *Contra quintam sententiam dico*, quòd licet corpus rarefiat apparenter per introitum corpusculorum subtiliorum, putà aëreorum aut igneorum, & condensetur apparenter per exclusionem eorundem; non tamen sic explicatur raritas aut densitas corporum; nam semper remanet quæstio cur aër sit corpus rarum; si enim aër sit rarus per introitum corpusculorum subtiliorum, quæro quænam sint illa corpora aëre subtiliora, & de illis etiam quæro an sint rara per introitum aliorum corpusculorum subtiliorum, & sic in infinitum, vel si sistendum in corpusculis subtilissimis, quæ non sunt rara per introitum corpusculorum subtiliorum, cum nulla sint subtiliora subtilissimis; clarum est raritatem & densitatem aliter explicandas esse quàm per introitum corpusculorum subtiliorum, & exitum eorundem, scilicet per interceptionem majoris inanis, aut exclusionem ejus; vel per motum & quietem particularum materiæ: Et qui vacuum admittunt, debent explicare raritatem & densitatem per interceptionem plurium spatiolorum inanium, & exclusionem eorum; qui verò vacuum rejiciunt debent explicare raritatem & densitatem per motum & quietem particularum materiæ.

19. *Ego existimo dari vacuum in rerum natura, & spatiola inania esse interjecta inter partes corporum*, ut probavi in prima parte Physicæ dum de vacuo; & ideo existimo *Raritatem oriri ex plurium spatiolorum inanium inter partes materiæ interceptione, Densitatem* verò *ex pauciorum interceptione*; & absurdum puto aërem quiescentem fore densum & durum sicut ferrum, & experientiâ comprobatum est ventum ingentem evertentem domos, & eradicantem arbores, atque adeo imprimentem motum suum domibus, & arboribus, & per consequens eum deperdentem, cum tantundem motus sui deperdat quantum dat secundum Cartesium, non fieri propterea densum ac durum; videmus etiam aquam quiescentem, aut saltem multas partes ejus, quæ tamen nec densæ nec duræ sunt.

ARTI-

ARTICVLVS QVARTVS.

De Perſpicuitate & Opacitate.

1. AD raritatem & denſitatem refero doctrinam de perſpicuitate & opacitate; licet enim non ſequantur præcisè leges raritatis & denſitatis; certum eſt tamen, cæteris paribus unamquamque rem tantò magis eſſe perſpicuam, quantò rarior eſt, & tantò opaciorem quantò denſior eſt; neque perſpicuitatem intelligi, niſi per quandam ſpatii inanitatem; neque opacitatem niſi per quandam interpoſitæ rei corpulentiam, quæ ut faciliùs intelligantur, hæc notanda ſunt.

2. Primò, *perſpicuum, ſeu tranſparens, aut diaphanum*, eſſe illud ſive ſpatium ſive corpus, quod licet inter oculum & rem lucidam aut coloratam poſitum ſit, non impedit tamen quin ex illa re lucida aut colorata tranſeant radii in oculum, & oculus ipſam rem lucidam aut coloratam videat: *Opacum* verò eſſe corpus illud quod impedit ne res lucida aut colorata videatur.

3. Secundò, notandum eſt ex iis quæ infrà de luce dicentur, *radios illos eſſe corporeos*, cum per liberum ſpatium trajiciantur, & ex occupato reſiliant; ex quibus ita notatis hæc neceſſariò ſequuntur.

4. Primò ſequitur, ut quia per inane ſpatium foret libertas omnimoda trajectionis, ea propter tale ſpatium inane cenſeri poſſe ſummè perſpicuum, & unumquodque corpus proinde tantò magis perſpicuum eſſe, quantò plura ampliorave interjecta habet inania ſpatiola.

5. Secundò ſequitur, ut quia corpus occupans ſpatium, poteſt vel omninò, vel ex parte trajectionem radiorum impedire; ideo ſi nulla poſſit fieri trajectio, cenſeatur corpus ſummè opacum; ſi aliqua, ſit partim opacum partim perſpicuum; opacum, quatenus trajectioni obſtat, perſpicuum verò quatenus pervium vel minimùm eſt.

6. Dixi ſuprà, *cæteris paribus*, quia videmus corpora rara aut minùs denſa, ut folium papyri, opacitate prædita eſſe; & vice verſa corpora magis denſa, ut vitrum prædita eſſe perſpicuitate: Vt autem intelligatur ratio diverſitatis, oppone primùm oculis tuis cribrum, & per foraminula videbis corpus ulteriùs conſtitutum; appone deinde aliud cribrum, adeo ut foraminula poſterioris cribri foraminulis prioris cribri reſpondeant, tunc non deſines corpus ulteriùs poſitum videre, licet centum cribra adhibueris: At ſi pelliculæ partes poſterioris cribri objiciantur foraminulis prioris cribri, tunc nihil videbis, aut tantò minùs quantò pauciora foraminula non obturata vel ex toto vel ex parte rem inſerint; unde patet libertatem viſus pendere à foraminulis, impedimentum verò à corporibus radios impedientibus, & præterea certum eſt exigi tam foraminum quàm

corporum situm. Dico igitur papyrum quidem esse corpus rarius vitro, non esse tamen perinde perspicuum; quia propter confusam filorum ex quibus constat contexturam, pori in fronte aperti non continuentur cum sequentibus, sed corpuscula ponè occurrant quæ ipsos obturent; at verò vitrum ob regularem ordinatámque contexturam, & habet corpuscula ex ordine directéque sita, & porulos ex ordine directéque inter illa relictos; quòd si vitrum sit pertenue, nihil penè visioni obstat, cum tamen quantò crassius est & ex eadem quidem materia, tantò magis visioni obstet, quousque demum si aliquot digitis crassum fuerit, nihil sis omninò prætervisurus; quod contingit tantùm, quia cum vitrum constet alternis ex corpusculis, porulisque insensibilibus, multi quidem meatuli recti in omnem partem pateant ad aliquam usque distantiam, sed tamen modò hi, modò illi obturentur à corpusculis succedentibus, ex quo tandem vitrum speciem opacitatis induat. Idem dici potest de aqua & de cæteris proportionaliter.

ARTICVLVS QVINTVS.

De Calore & Frigore.

1. CAlor distinguitur in innatum, influxum, formalem, & virtualem. *Calor innatus* est calor ille vitalis quem singulæ partes viventis habent ab ortu suo, qui calor à quibusdam dicitur fixus, cujus subjectum præcipuum est primigenius & nativus humor, qui vulgò dicitur humidum radicale, scilicet illa portio substantiæ ex qua primò in generatione formatum est corpus. *Calor influxus* est calor ille vitalis, qui ab hepate, corde, aut cerebro, beneficio sanguinis & spirituum derivatur in reliquum corpus; unde subjectum ejus est sanguis aut spiritus. De tali autem calore innato & influxo, necnon de humido radicali agetur dum de anima.

2. *Calor formalis* sic explicatur: Cum ignis urit manum, tria reperiuntur, scilicet manus, ignis, & insinuatio partium ignearum inter partes manus, quâ insinuatione feriuntur nervi tactorii manus aut fibrillæ eorum, qui motus feritionis aut pulsationis communicatus cerebro producit vel in anima, vel in cerebro vel in manu, vel in omnibus simul dolorem molestum, qui dicitur ardor, aut calor inmoderatus, aut sensatio talis ardoris & caloris immoderati; & talis ardor aut calor dicitur calor formalis, atque actu & formaliter in animali, non autem in igne, nisi virtualiter; cum ignis non habeat aut sentiat ejusmodi ardorem aut passionem molestam, sed habeat tantùm virtutem talem ardorem aut passionem producendi in animali. Item, cum aliquis homo ad ignem accedit & calefit, tria reperiuntur, scilicet homo, ignis & motus partium ignearum sese in corpus ejus insi-

insinuantium; & tali motu igniculorum feriuntur moderatè nervi tactorij, aut fibrillæ eorum, talique feritione aut motu communicato ipsi cerebro, producitur in homine passio quædam grata, quæ dicitur calor moderatus; aut sensatio caloris moderati, qui calor dicitur calor formalis, estque actu & formaliter in homine, non autem in igne, nisi virtualiter, quia ignis non habet in se ejusmodi passionem gratam aut calorem moderatum, sed habet tantùm virtutem producendi ejusmodi passionem aut calorem in homine. De tali autem calore formali agetur in tractatu de anima, dum de tactu.

3. *Calor virtualis* est virtus calefaciendi, id est calorem formalem producendi, quæ virtus est proprietas ignis, de qua sola iam quæstio est: Illi autem Philosophi mihi videntur inexcusabiles, qui volunt calorem sumptum pro virtute calefaciendi, quæ est in igne, & identificatur cum ipso igne, & calorem formalem productum in animali esse ejusdem speciei naturæ & essentiæ.

4. *Frigus* etiam vel formale, vel virtuale: *Frigus formale* sic explicatur: Cùm attractatur glacies tria reperiuntur, scilicet manus, glacies & quædam percussio, aut quasi percussio nervorum tactoriorum manus aut fibrillarum ejus; quæ percussio communicata cerebro, producit in homine passionem quandam molestam, quæ vocatur frigus formale, aut sensatio talis frigoris; quod frigus est actu & formaliter in homine non autem in glacie, nisi virtualiter quia glacies non habet ejusmodi passionem molestam sed habet virtutem producendi eam in homine: Cum igitur glacies non habeat tale frigus formale, sequitur glaciem non esse frigidam formaliter, sed virtualiter, idest esse frigorificam; sicut ignis ob eandem rationem non est calidus formaliter, sed virtualiter, id est, est calorificus. *Frigus virtuale* est virtus frigefaciendi, id est frigus formale producendi, quæ virtus est proprietas glaciei, aut alterius corporis frigidi, de qua virtute seu frigore virtuali duntaxat iam quæstio est.

5. *Variæ sunt Philosophorum sententiæ de calore & frigore virtuali. Prima* sententia *est Peripateticorum*, quia secuti Aristotelem, statuunt primò, *calorem & frigus esse accidentia & qualitates contrarias*; quas sic definiunt. *Calor* est qualitas congregans homogenea & segregans heterogenea. Per homogenea autem hoc loco intelligit ea quæ habent easdem qualitates præsertim motivas; nam calore ignis segregantur partes ligni, & leviores sursum, graviores verò deorsum tendunt sicque congregantur. *Frigus* est qualitas simul congregans homogenea & heterogenea, sic frigus hyemale congregat aquam, paleas, & lapides simul per accidens tamen aliquando segregat, vt cum lapides vi frigoris disrumpuntur ob nimiam aliquarum partium compressionem, idque ne detur penetratio dimensionum.

6. Secundò, statuunt *calorem, frigus, & ferè reliquas omnes qualitates, habere innumeros gradus, quos revocant ad octo*, sicut Medici ad quatuor; adeo vt primus gradus caloris, verbi gratiâ, sit calor vt vnum & minimus calor; octavus verò cum reliquis sit calor vt octo, & maximus seu-

summus calor, & volunt ejusmodi gradus esse non tantùm in eodem subjecto, sed etiam in eadem parte subjecti, & in eodem loco; adeo vt eadem pars verbi gratiâ aquæ, quæ habet vnum gradum caloris, possit habere duos, deinde tres & alios consequenter; idque vocant intensionem caloris: Item eadem pars aquæ quæ habet sex gradus frigoris, potest deperdere unum & habere tantùm quinque, deinde alterum & habere tantùm quatuor, & sic deinceps; idque vocant remissionem frigoris; & ita dicunt qualitates suscipere magis & minùs in eadem parte & in eodem loco; quòd si qualitas aut gradus qualitatis recipiantur in diversis partibus subjecti, non dicitur intensio, sed extensio qualitatis: Cæterùm, alii faciunt hos gradus homogeneos, idest æqualis roboris, alii verò eos faciunt heterogeneos, idest inæqualis roboris, adeo ut secundus sit validior primo; & tertius secundo, & sic deinceps.

7. Tertiò, statuunt *ignem* verbi gratiâ *calore suo fortiùs agere in partes proximiores quàm in remotiores*, putà producere in parte aëris ipsi proxima septem gradus caloris; & illam primam partem aëris habentem septem gradus caloris producere in secunda parte aëris sibi proxima sex gradus caloris, & hanc secundam partem producere in tertia quinque, & sic deinceps: & quod dicitur de igne & aëre, intelligendum est etiam de cæteris agentibus naturalibus, quæ secundum eos agunt difformiter uniformiter quidem difformaliter quatenus producunt qualitatem inæqualiter intensam, validiorem scilicet in partibus proximioribus subjecti: & debiliorem in remotioribus; uniformiter verò, quatenus diminutio graduum æqualiter procedit juxta proximitatem aut distantiam subjectorum aut partium subjecti.

8. *Hæc sententia Peripateticorum refutatur* primò, ex eo quòd calor & frigus, & reliquæ qualitates naturales, sint proprietates substantiarum; proprietates autem non distingui realiter à suis subjectis, fusè probatum est in logicis, dum de differentia & proprio: Si autem non differant, sunt substantiæ ipsæ, non autem accidentia, aut qualitates accidentales.

9. Secundò, quia non debent poni in elementis aut aliis corporibus qualitates in gradu intenso & remisso; siquidem nulla datur intensio aut remissio qualitatum, ut fusè probavimus in prima parte Physicæ cap. 3.

10. Tertiò, quia calor non est qualitas congregans homogenea, ut voluit Aristoteles, sed est qualitas disgregans & dissoluens tam homogenea quàm heterogenea: Quamvis enim calor igneus verbi gratiâ agens in corpus compositum ex partibus homogeneis & heterogeneis, priùs disgreget heterogenea, & per accidens congreget homogenea; posteà tamen disgregat & separat etiam homogenea, putà quando ignis externus agit in lignum & ipsum comburit, priùs dissoluit ipsum in quatuor elementa, aut potiùs in quatuor iis correspondentia, scilicet in flammam, fumum, liquorem, & cineres, quæ corpora comparata inter se videntur homogenea;

nea; posteà tamen ignis continuatâ actione disgregat & dissolvit partes liquoris & aquæ.

11. Quartò, quia ignis non potest producere calorem, sive in aëre, sive in aqua, sive in alio corpore, ut probatur his rationibus 1. quod est substantia, subsistit per se; quod subsistit per se, existit independenter à subjecto; quod existit independenter à subjecto, fit independenter à subjecto, sicut enim res se habet in esse, sic se habet in fieri, & primum momentum productionis est primum momentum existentiæ; quod fit independenter à subjecto creatur, cum creatio sit productio rei independenter à subjecto, sicut eductio est productio rei dependenter à subjecto: Ergo quod est substantia producitur tantùm per creationem, sicut quod est accidens producitur tantùm per eductionem: At creatura, & per consequens ignis, non potest creare, cum creatio sit actio propria Dei incommunicabilis creaturæ: Ergo ignis non potest producere substantiam: Et cum probaverimus calorem ignis identificari cum igne, qui secundum Adversarios est substantia; clarum est ignem non posse producere ignem, atque adeo nec calorem 2. si ignis posset producere calorem accidentalem in corporibus, clarum est ejusmodi calorem receptum iri in partibus ejusmodi corporum; & partes corporum fore subjectum ejusmodi caloris, & per consequens calorem ejusmodi non fore inter partes corporum, atque adeo eas non separaturum, quod tamen est contra experientiam; cum igitur necesse sit ut calor ponatur inter partes corporum ad eas separandas, idque non possit convenire accidenti, certum est calorem esse substantiam ab igne & ab alia creatura improducibilem.

12. *Secunda sententia est Democriti, Epicuri, aliorúmque Veterum Philosophorum*, qui existimarunt primò, calorem nihil aliud esse præter certas atomos aut moleculas substantiales corporeas & igneas, quæ prout præditæ hac mole, hac figura & hoc motu subingrediuntur, discutiunt & dissolvunt partes corporis: Illæ autem atomi aut moleculæ propriè non sunt calidæ, atque adeo ignis propriè non est calidus cum sit ipse calor; possunt tamen dici calefactivæ, aut colorificæ, quatenus calefaciunt aut producunt calorem formalem in animalibus, aut potiùs eum effectum habent, qui est subingressio, discussio & dissolutio corporum: Corpora verò quæ illas atomos aut moleculas continent, debent dici calida, saltem si moleculæ igneæ in illis corporibus prævaleant: Quòd si actu emittant ejusmodi atomos aut moleculas caloris, ut ignis & Sol, dicuntur calida actu & formaliter; si verò corpora illas cohibeant factis exilitioni obstaculis, dicuntur calida potestate virtualiter aut eminenter, ut vinum, piper &c.

13. Secundò, dicunt atomos aut moleculas illas esse exiles, eò quòd nullum aliud corpus adeo compactum sit, ubi non inveniant porulos per quos in illud subingrediantur: Fortè etiam esse sphæricas, eò quòd facilè mobiles, & quoquoversum sese insinuent: Denique esse motu celerrimas, eò quòd præ motus velocitate impingantur, & subingrediantur & secernant partes corporum.

14. Tertiò, volunt atomos aut moleculas caloris, quæ in corpore aliquo vinctæ tenentur duobus modis posse liberari. 1. Quando atomi aut moleculæ igneæ extrinsecùs accedentes ita subeunt corporis poros, ut ad paticulas usque minimas ipsum incidant; tunc enim atomis aut moleculis internis caloris libertatem faciunt sese extricandi: Et hac ratione sese extricant atomi aut moleculæ caloris quæ sunt in ligno, cera, oleo, adipe &c. dum ignis externus iis admovetur. 2. Liberantur motu aut concussione, sive is sit motus intestinus atomorum aut molecularum, quo post multas tandem evolutiones, moleculas heterogeneas quibus concludebantur discutiunt; ac præsertim si aliquid circumstat à quo repellantur, unde regressæ, & per Antiperistasim fortiores factæ per factas quasi rimulas excurrant: Sive sit motus corporis totius, ut dum animal præ incessu vehementiori incalescit & sudat, dum ferra affrictu concipit calorem &c. Motus autem non est causa caloris, nisi ipsæ atomi aut moleculæ caloris contineantur in corpore moto.

15. Quartò, putant atomos aut moleculas caloris seu ignis, ob exilitatem, figuram & mobilitatem insignem contineri non posse nisi intra pinguem & viscosam materiam, cujus atomi aut moleculæ hamatiores suique invicem continentiores sint, quàm ut facilè dissociari intestinis illis calorificarum atomorum aut molecularum motionibus possint; unde fit ut sola corpora quæ aliquid pinguedinis habent ignescere & flammam concipere possint; & illa magis flammam concipiunt quæ minùs humoris aquei & phlegmatis habent. *Ego hanc posteriorem sententiam tanquam probabiliorem amplector.*

16. Ex superioribus patet quomodo sit philosophandum de *Frigore.* Primò, *frigus non est accidens aut qualitas accidentalis, sed est substantia:* Non etiam intenditur aut remittitur, idest non habet gradus in eadem parte subjecti & in eodem loco; & corpora frigida nullum frigus producunt in corporibus nec ea frigefaciunt, nisi sese insinuando in poros aut intra partes eorũ: Quod probatur iisdem rationibus quibus probavimus calorem esse substantiam, non intendi aut remitti, non producere calorem, nec calefacere nisi sese insinuando intra partes corporum.

17. Secundò, *frigus habet effectus contrarios effectibus caloris*, siquidem contrariorum contraria sunt consequentia & effecta; Cum igitur caloris proprium sit discutere, disgregare, & separare partes corporum intra quas sese insinuat; certè frigoris proprium est compingere & congregare partes corporum intra quas sese insinuat; & quæ atomi aut moleculæ ad id præstandum comparantur, dici possunt atomi aut moleculæ frigoris, & dici etiam frigorificæ; corpora verò quæ eas atomos aut moleculas frigorificas continent dici possunt frigida, sive actu ut glacies; sive potentia ut halinitrum. Figura ejusmodi atomorum aut molecularum frigorificarum est tetrahedrica seu quatuor facierum, quæ sint totidem plana triangula, totidem angulos solidos constituentia; aut saltem accedit ad eam.

18. Tertiò, *frigus non est mera caloris privatio, sed est vera & positiva qualitas:*

qualitas: Nam cum privatio nihil sit, non potest agere, atque adeo non sentiri: At frigus agit & sentitur; & si quis esset in summis Alpibus, hyeme, boreâ flante, proculdubio sentiret magnum frigus: Et si calor igneus non est mera caloris privatio, sed est qualitas activa, quia aquam ita transmutat ut incalescat & ferueat; cur frigus quod est in nive aut glacie detrita, & sale communi præsertim, halinitróque commistis, habebitur mera caloris privatio, & non potiùs activa qualitas, cum si lagenæ aquâ plenæ hæc applicentur, ita aquam transmutet, ut vel media æstate frigescat & conglaciet?

ARTICVLVS SEXTVS.

De Fluiditate, Firmitate, Humiditate & Siccitate.

1. FLuiditas est qualitas, quâ corpus facilè alieno termino, difficilè suo continetur: *Firmitas* verò è contrà est qualitas quâ corpus facilè suo, difficilè alieno termino continetur: Vnde cum Aristoteles definivit τὸ ὑγρὸν & τὸ ξηρὸν, eo modo quo nos definimus fluidum & firmum, non intellexit humidum & siccum, ut volunt ferè omnes Recentiores Philosophi, sed intellexit fluidum & firmum: Si enim intellexisset humidum & siccum valde errasset; cum exhalationes, quæ sunt calidæ & siccæ, ignes, fumi, arenæ, cineres, pulveres &c. facilè alieno termino, difficilè suo contineantur; & tamen non sunt corpora humida, sed sicca.

2. *Causa fluiditatis* seu *liquiditatis* petenda est; ex eo quòd particulæ ex quibus corpus fluidum constat, habeant intercepta spatiola, vel prorsus inania si corpus sit fluidissimum, vel repleta corpore rariori & fluidiori si non sit fluidissimum; & illæ particulæ ita sint dissociatæ inter se, ut sint invicem mobiles circa superficieculas quibus se contingũt, ut patet in acervo granorum frumenti, pulveris, aquæ, aëris &c. Causa verò firmitatis est desumenda ex eo quòd particulæ ex quibus corpus firmum constat, sive sint homogeneæ, sive heterogeneæ, ita se contingant premántque, ut ęgerrimè dissociari, ac secundum superficieculas quibus se contingunt moveri non valeant, ob non intercepta spatiola idonea. Talis autem particularum compressio, indissociabilitas & immobilitas, ex tribus causis potissimùm pendet: Prima ac præcipua sunt hamuli seu unciuuli quibus atomi aut particulæ corporis firmi sese invicem irretire, continere, & spatiolis inanibus quantùm fieri potest seclusis, impedire mutuum sese evolvendi dissociandique libertatem: Secunda causa est introductio & motio extranearum atomorum aut moleculatum, quæ partes alioquin mobiles cohibeant; & tam inter se quàm cum cæteris introductis premant, idque obversis maximè facieculis planis quibus fiat mutua compressio, sic introductæ in aquam frigorificæ atomi aut moleculæ, dum versus partes medias moventur, obvias compellunt, continent urgent, neque mobiles perinde relinquunt, ac potissimùm si iis facieculæ planæ concedantur, ut si atomi aut

moleculæ frigorificæ tetrahedricæ ſtatuuntur & aqueæ octahedricæ; ſic enim illæ iſtis ſiſtent neque emoveri patientur, occupatis nempe ſpatiolis in quæ deflecti poterant, adeo ut p oinde totam maſſam rigere & in gelu dureſcere cogant. Tertia cauſa eſt excluſio introductarum atomorum aut molecularum, quæ mobilitate & motione ſuâ mutua n cohæſionem quietemque interturbabant; idque præſertim ſi rotundiores & læviores ſint quæ irrepſerint in planiores aut hamatiores; Ita ſi ignis atomi ſeu moleculæ quæ in metalla introductæ ipſorum partes diſſociant, & continuâ ſuâ motione ſic diſſociatas continent, ut mobiles & fluidas faciant; ſi (inquam) excedant, & motione ſua exagitare deſinant, tunc partes metallorum collabuntur & ſe mutuò revinciunt, corpuſque ut priùs compactum firmumque conſtituunt: Ita ſi aquæ atomi, quæ introductæ in Sal exſolutis ejus partibus liquorem quendam fecerunt, ſi (inquam) exhalentur, particulæ ſalis rurſus adunantur, firmumque eo pus conſtituunt.

3. *Humiditas* eſt ſpecies fluiditatis, & ideo definiri poteſt fluor ſeu liquor, qui inductus in rem compactam, per exiguas ſui particulas illi adhæret, ipſamque madidam reddit: *Siccitas* verò eſt firmitas tali humore deſtituta, atque adeo non videtur eſſe niſi privatio humiditatis; & corpus ſiccum nihil aliud eſſe quàm corpus humiditate privatum, tam extrinſecâ ideſt in ſuperficie, quàm intrinſecâ ideſt ex quo non poſſit extrahi humiditas, qualis eſt arena, cinis, aër purus & terra pura &c. & talis non eſt planta, animal &c. ex quibus extrahi poteſt aliquid liquoris humefacientis.

4. *Humiditas duplex* eſt, ſcilicet aquea & oleaginoſa: *Aquea* vi caloris facilè exſolvitur & in auras abit, & inflammabilis non eſt: *Oleaginoſa* verò in halitum difficilè tenuatur, & ob contentas atomos aut moleculas igneas eſt inflammabilis.

5. Huc referri poteſt *mollities* & *durities*, quæ aliquando confunduntur cum fluiditate & firmitate; ſed ſpecialiùs debent ſumi, quatenus non tantùm durities, ſed etiam mollities conveniunt rebus aliquo modo cohærentibus & firmis, eâ tamen lege ut ſi ſuperficies corporis digito preſſa non abrumpatur, ſed tenore ſervato ſolùm inflectatur cedátve introrſum, tunc eſſe in re mollities dicatur, ſi verò ſuperficies nec inflectatur nec cedat, ſed conſtans maneat ac rigida, tunc dicatur eſſe durities.

6. *In compoſitis firmitas & durities petenda ex ſoliditate atomorum; fluiditas verò & mollities ex inanibus ſpatiolis.* Adeo ut res omnes ſint firmæ & duræ ob contexturam ex atomis firmis & duris; ſint verò molles, quatenus licet conſtent atomis firmis & duris, habent tamen inane intermiſtum.

7. Circa *mollitiem* autem ſciendum eſt *nullam ſuperficiem cedere poſſe in profundum, aut alia quacunque ratione dilatari: ſine aliqua ſolutione continuitatis:* Etenim quia partes ſuperficiales corporis habent ſingulæ ſua ſpecialia loca, certè cùm dilatatur ſuperficies, & plura loca fiunt, ipſæ

ipsæ tamen superficiei partes non fiunt plures, neque plura loca specialia occupant; necesse est plura intercipi loca quàm interciperentur priùs, sicque ipsas superficiei partes fieri à se invicem dissociatas, atque adeo ipsam superficiem amittere continuitatem: Id fieri patet in re flexili qualis est virgula viminea, siquidem ipsam deflectendo, sicut superficies concava dum contrahitur corrugatur, quasi partibus non valentibus se penetrare, neque in pauciora loca se recipere; ita connexa dum dilatatur creberrimè hiat, tanquam partibus non valentibus se multiplicare, nec plura loca occupare. Idem verò etiam intelligitur in re tractili, veluti in nervo, qui dum ampliatur in longum crassitudo ejus decrescit, & partes interiores seu crassitudinem componentes in ipsam superficiem abeunt, ut particulis ejus tractione dissociatis se immisceant & intercepta occupent loca, & particulis dissociatis hinc inde hærentes eandem apparentem continuitatem faciant, quod apparebit si ante tractionem superficies aliquo colore imbuatur.

8. Inde colligitur flexilitatem, tractibilitatem, & ductilitatem, esse qualitates, quæ pendent aliquo modo à mollitie; sicut rigiditas, inflexilitas, intractilitas, & inductilitas ex duritie: Sed circa *flexilitatem* quæri potest *cur res flexiles, putà virga, lamina &c. post deflexionem repetant priorem situm?* Ad quod respondetur illam repetitionem aut reditum nihil aliud esse quàm quendam reflexionis motum, qui est continuus cum directo, sicut pilæ reditus ex pariete ab eâdem causâ est à qua impetus in parietem: Et quia omnis motus reflexus est directo debilior, fit ut in quacunque deflexione particulæ aliquæ superficiei concavæ subingrediantur in profundum, quæ redire in superficiem non possunt, & aliquæ ex superficie connexa egrediantur quæ regredi non valeant in ipsam, atque adeo evenit, ut quo deflexio diutiùs continuatur, eò superficies concava evadat & remaneat contractior, & connexa diductior, quòd si alterutrius superficiei partes aliquæ deflexione planè effringantur, neque eam continuationem tueantur, quæ ad reflexionem retractionemque necessaria est; tunc reductio non fit, nisi fortè ratione partium aliarum cohærentium. De reductione rei tractilis, putà chordæ, nervi &c. eodem ferè modo philosophandum est quo de reductione rei flexilis.

9. Circa *ductilitatem auri* quod ita dilatatur ut unica uncia auri in bracteas diducta dicatur obtegere posse decem terræ jugera; dicendum est causam esse summam auri compactionem, particularum ex quibus constat tenuitatem, & hamalorum quibus illæ se mutuò revinciunt multitudinem, compactio enim suppeditat partes, quæ profunditate decrescente in superficiem quæ interim amplificatur educi possunt; tenuitas facit ut eadem profunditas decrescere, & superficies amplificari supra captum possit; & hamulorum multitudo facit ut dum massa percutitur, atomus una non divellatur uno sui hamulo ab aliâ, quin ipsâ eadem evolutione quâ divellitur, aliam alio hamulo corripiat, ipsique consociata maneat, ex

quo etiam causa petenda, cur aurum fusione fit inavolabile & incorruptibile sine diminutione maneat.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

De Igne.

1. *Elementa vulgata quatuor sunt*, scilicet *ignis, aër, aqua*, & *terra* quorum alia dicuntur *symbola* quæ conveniunt in aliqua prima qualitate, ut ignis & terra in siccitate, terra & aqua in frigiditate; alia verò dicuntur *dissymbola* quæ in nulla qualitate prima conveniunt, ut ignis & aqua: De his autem elementis sigillatim est aliquid dicendum, ac quidem primò de igne hoc articulo.

2. *Ignis* vulgò definitur elementum calidissimum & siccum: Nam experientiâ videmus ignem celerrimè calefacere & exsiccare; non quidem per productionem qualitatum accidentalium, quæ vocantur calor & siccitas, ut volunt Aristotelei; sed calefacere per sui positionem expellendo partes frigidas; exsiccare verò evehendo partes humidiores. De calore & siccitate fusè suprà actum est articulo.

3. *Qualitas motrix ignis secundum Aristoteleos est levitas simpliciter* seu *levitas summa*, quæ in causa est ut semper in supremum locum tendat; quomodo autem sit philosophandum de levitate ignis, & de qualibet alia levitate, nec non de gravitate, dictum est suprà articulo 2.

4. *Figura flammæ sensibilis in ascensu est pyramidalis*; quia partes quibus ignis noster sensibilis nutritur, non sunt æqualis crassitiei, sed aliæ aliis sunt crassiores, aliæ verò tenuiores; & quia prout quæque tenuior est faciliùs ascendit, hinc fit ut non ascendant æqualiter omnes, sed aliæ aliis celeriùs aut tardiùs ascendentes, referant figuram pyramidis.

5. *Locus elementi ignis est cœlum in quo Sol existit*: Est enim probabilius *Solem esse elementum ignis*; eò quòd omnes effectus ignis ei conveniant, ut patet experientiâ: Et sicut mare dicitur elementum aquæ, eò quòd omnes aquæ oriantur ab ipso, & in ipsum redeant: Sic etiam Sol est elementum ignis à quo cæteri ignes prodeunt, & ad quem redeunt: Et re-vera cum quædam meteora, scilicet Cometæ quamplurimi suprà aliquos planetas visi sint, ut dictum est dum de cœlis, proculdubio ignis superior esse debet meteoris illis, qui alius esse non videtur præter Solem, & si ipsi conjungantur astra fixa, non repugnabo.

6. Secun-

6. *Secundum Peripateticos locus elementi ignis est spatium quod est immediatè sub concavo Lunæ.* Verùm cum sub concavo Lunæ talis ignis non appareat, & nulla sit ratio quæ movere possit ad ponendum ibi ignem, & suprà ostendimus probabilius esse Solem esse elementum ignis, vel solum, vel cum astris fixis; dicendum est talem ignem esse fictium.

7. Hic quæritur primò, *cur lebetis fundum quod ab igne contingitur, fervente aquâ non incalescat.* Respondetur causam esse, quòd ubi atomi aut moleculæ igneæ fundum prætergressæ, quasdam aquæ particulas, scilicet obvias, subvehunt; aliæ aquæ particulæ; scilicet istis proximæ, præstò sunt, quæ in locum abeuntium confluant, & in laxatos fundi poros subeant: Et quamvis istæ partes aqueæ repellantur à succedentibus particulis igneis; subvehantúrque ut priores; aliæ tamen sunt quæ similiter se insinuent, & suo illo confluxu seu motu deorsum impetum atomorum ignearum nonnihil retardent, sicque vicissitudine partium ignearum & aquearum continentur factâ; calor igneus per fundi lebetis substantiam dilatari non possit, & spatiola omnia occupare, resistente scilicet humore aqueo, qui eâ proportione instilletur quâ calor igneus prætergreditur.

8. Quæritur secundò, *cur calx ad infusionem aquæ calorem concipiat & ferveat, cum deberet potiùs inclusus calor temperari.* Respondetur, causam esse, quòd humor quidem aqueus ex lapide calcinato abierit; attamen magna copia humoris pinguis & viscidi permaneat, atque adeo maxima copia atomorum aut molecularum ignearum supersit, quæ cum sensim sese expediant, & in auras abeant, fit ut si exilire non possint propter aquam superinfusam obsistentem, in ipsos redeant grumulos lapidis calcinati, ipsósque discutiant, & sic libertatem faciant aliis atomis, nonnisi tardè secùs excitandis, unde efficiatur ut collatis viribus per aquam perrumpant ipsámque calefaciant & ebullire cogant. Alii existimant id oriri ex eo quòd aqua superinfusa attrahat exiguum humidum aut frigidum quod superest in lapide calcinato, eò quòd unumquodque attrahat sibi simile, & fortius attrahat debilius; attracto autem humido aut frigido partes igneas involvente, partes igneæ liberum exitum nactæ per aquam perrumpunt, & eam ebullire cogunt.

9. Quæritur tertiò, *cur flamma ex robore sit fortior & vehementior quàm ex salice.* Respondetur id oriri ex eo quòd in flamma ex robore fiat explicatio atomorum longè plurium ac magis confertim exilientium, quàm in salicis flamma; & ideo flamma ex robore magis comburit: Quod autem dicitur de flamma ex robore, idem dicendum est de cæteris ignibus vehementioribus comparatis cum debilioribus: Et hinc fit ut oleum bulliens magis adurat quàm aqua fervens, nempe quia ob partium cohæsionem ex pinguedine, neque perinde dilatatur, neque perinde exilire patitur atomos igneas, quæ proinde in ipso adhuc confertiores crebrius compungant seu exurant manum, & id præstent ut tardiùs longè refrigeretur oleum quàm aqua: Hac etiam ratione metallum fusum vehementiùs adhuc exurit & calorem diutiùs servat, quia metallum constat

ex pinguedine adhuc densiore quàm oleum, unde & longè minùs dilatatur, & minùs atomos caloris exilire patitur, ac proinde intra se confertissimas continet, ex quo fit ut manus non possit immitti quin statim tota cutis fodicata & exusta sit.

10. Quæritur quartò, *Cur dum gelida manus admovetur igni acutiorem dolorem sentiamus.* Respondetur, id oriri ex eo quòd dum caloris atomi sua activitate & suffertione copiosâ variè depellunt atomos infrigidantes quæ poros occupaverant, istæ invertantur ut exiliant, ac interim variè impingantur, confodiant, vellicentque sensorium, ex quo fit ut nonnisi sensim & à levi calore incipiendo calefacienda sit manus, si dolore ipsam nolimus; sic enim frigoris depulsio lentiùs mitiúsque peragitur. Quâ ratione quoque poma, pyra, & cætera congelata, priusquàm admoveantur igni, continenda sunt aliquando intra nivem aut aquam frigidam, nisi velimus ea computrescere; dum enim rei gelatæ compactio ipso ambientis humore leniter exsolvitur, quæ insunt atomi caloris sensim expediuntur, neque ob densitatem ambientis exilire permittuntur, ac interim variè frigoris atomos interobsistentes propellunt, istæ autem in ipsum ambiens familiare sese recipiunt ac veluti exuguntur; cum si calore externo ingenti urgerentur, adigerentur introrsum magis & totam gelati corporis texturam interciderent, sicque corruptionem inducerent.

11. Quæritur quintò, *Cur ignis statim non comburat, cum ignis sit semper idem, & idem quà idem semper faciat idem.* Respondetur, id oriri ex eo quòd atomi caloris in corpus obvium incurrentes facilè resiliunt; unde ad calefaciendum non sufficit merus transitus aut ignis prope corpus, aut corporis prope ignem, sed requiritur tempus quo resilituræ alioquin atomi à succedentibus prohibeantur, & ad penetrandum intrò compellantur: Hinc dum manus velociter præter flammam agitur calorem non sentit, quia quæ atomi in cutem impinguntur, statim resiliunt, neque introrsum penetrant, dum eadem tamen diutulè intra flammam detinetur, idcirco comburitur, quia atomi primò subeuntes resilire non possunt, sed penetrare intrò coguntur ab aliis succedentibus, quæ ipsæ urgentur rursus ab aliis: Eadem ex causa solo aut brevi contactu flammæ non exsolvitur metallum, sed necesse est ut ignis diu continentérque excitatus ipsum circumstet, quò atomi ignis semel subingressæ in porulos superficiales adigantur indesinenter ab aliis succedentibus, neque instare cessantibus, donec penetretur in totam substantiam, & particularum metalli ad minimas usque dissociatio ac exsolutio consequatur.

ARTICV-

ARTICVLVS OCTAVVS.

De Aëre.

1. Aër secundum Peripateticos definitur *elementum humidissimum & calidum*: At *nos existimamus esse frigidum & siccum. Aërem esse frigidum* probatur primò, quia aër in media regione est valde frigidus, cum ibi fiant nives, grandines, & alia meteora frigida; ab ea autem regione sumenda est qualitas aëris; nam in suprema regione juxta astra aër est calidus extrinsecè, & in infima continuis mutationibus subjacet ob vicinitatem aquæ & terræ, & ob influxus cœlestes. Secundò probatur, quia natura utitur aëre ad refrigerandum; animalia enim respiratione attrahunt aërem ad refrigerationem cordis. Tertiò probatur, quia aër flabello motus refrigerat, motus autem excitat frigus in frigidis, sicut excitat calorem in calidis. Quartò probatur, quia aër ab omnibus extrinsecis liber sentitur frigidus, ut tempore sereno, & noctu in locis clausis. Quintò, probatur, quia homo patitur cholicam ab aëre intus incluso, & ipsum vexante per frigiditatem suam, & dolor non tollitur nisi calidorum applicatione, contraria autem contrariis curantur & tolluntur. Sextò probatur, quia aër est causa saltem partialis congelationis aquæ, & quod congelat aquam debet esse levius aqua, cùm glacies aquæ supernatet, quod videtur convenire saltem partialiter aëri.

2. *Aërem esse siccum aut saltem non esse humidum*, probatur primò; quia qualitates elementorum cognoscuntur ex effectis; aër autem exsiccat corpora, & panni madidi exponuntur aëri ut exsiccentur; & aquam magis humectare quàm aërem, atque adeo aërem non esse humidissimum, patet ex eo quòd si panni in aquam immergantur, extrahuntur, humidi; nos verò etsi perpetuò simus in aëre, non tamen humectamur ab eo; imò potiùs quò aër est purior & syncerior, eò majorem siccitatem inducit. Secundò, probatur aërem non esse humidissimum, quia aër tempore pluvioso & nubilo fit humidior, scilicet extrinsecè à vaporibus aqueis; ergo aër ex natura sua non est summè humidus; quod enim est summè humidum non accipit augmentum humiditatis. Adde quod Iobi 12. dicitur, quòd si Deus continuerit aquas omnia exsiccabuntur, quod falsum esset, si aër ex natura sua esset humidus.

3. Quamvis *aër* sit frigidus, ut posuerunt Stoici, non autem calidus, ut posuit Aristoteles; *attamen non videtur esse frigidissimus*; quia si talis esset, non tam calidus sentiretur æstate etiam noctu, cum multò plures partes aëreæ quàm igneæ sint in hac aëris regione: Frigiditas igitur summa non est ponenda in aëre, aqua aut terra; sed in natura quorundam corpusculo-

rum, potissimùm nitrosorum, quæ per aërem, aquam & terram, aliáque corpora sunt dispersa & ea frigefaciunt.

4. Hîc quæri solet *cur aër pleno ore efflatus calefaciat, contracto verò ore frigefaciat?* Respondetur, causam petendam esse ex eo quòd flatus qui exhalatur magna ex parte, constet quidem corpusculis calorificis, sed intermista tamen etiam habeat plura frigorifica, quæ quòd mole majuscula sint, longiùs & vehementiùs dirigi possunt, cum ipsa calorifica statim ac patet aëris libertas quoquoversum dissiliant neque perinde directè pellantur; ex hoc enim fit, ut si aperto ore efflemus, quia magnus est ambitus flatus, neque calorificæ atomi exilientes hauriri tam citò possunt, idcirco manus calorem sentiat, & tantò quidem majorem quantò propiùs admota fuerit, utpote atomis calorificis minùs dissipatis: Si autem compresso ore efflamus, quia ambitus flatus perpusillus est, ideo exilientes atomi calorificæ sunt brevi exhaustæ, unde supersunt solæ frigidæ, quarum frigus manus sentit; argumentóque est quod quò manus remotior fuerit, eò frigidiorem sentiat flatum, & quò propior, eò minùs frigidum, adeo ut etiam prope os, non frigidum, sed calidum potiùs sentiat.

5. *Aëris spatium* dividitur *in duas partes*, quarum una est *stellifera*, altera verò *non stellifera:* In *illa* Deus posuit Solem, Lunam, & stellas *Gen.* 1. In *hac* verò volitant aves, vivunt animalia, & gignuntur meteora. *Pars aëris non stellifera* communiter dividitur *in tres Regiones*, scilicet infimam, mediam, & supremam. *Infima* est terræ contigua, ejúsque mensura peti solet ex reflexione radiorum solarium; nam propter opacitatem terræ reflectuntur radii, eáque reflexio æstate magna propter radios directos & perpendiculares, hyeme verò parva propter radios obliquos, cum radii perpendiculares seu directi majorem reflexionem habeant quàm obliqui; ubi autem desinit ejusmodi reflexio, ibi regio infima terminatur. *Suprema* est ea quæ usque ad cœlum Lunæ pertingit *Media* verò est spatium inter supremam & infimam, & in ea generantur nubes, grandines, nives, & multa alia ejusmodi meteora frigida.

ARTICVLVS NONVS.

De Aqua.

1. AQua secundum Peripateticos est *elementum frigidissimum & humidum:* At secundum nos est *elementum humidissimum & frigidum: Aquam esse humidissimam* patet ex eo quòd maximè humectet, & magis madefaciat quàm aër, qui magis exsiccat quàm humectat ut suprà: *Aquam esse frigidam* patet ex ejus effectis; non autem esse frigidissimam, patet ex iis quæ diximus suprà de aëre congelante partialiter aquam. Cæterùm, licèt aqua naturâ suâ sit frigida; attamen multæ sunt aquæ calidæ extrinsecè,

cè, quod procedit ex ignibus subterraneis circa venas per quas transeunt aquæ; idque colligitur ex eo quod loca in quibus sunt aquæ calidæ, abundent sulphure & bitumine. quæ sunt aptissima ignis pabula; & quia aliquando defectu pabuli, aut alia de causa, ignes illi subterranei extinguuntur, fit ut scaturigines aquarum calidarum mutentur in frigidas. Denique sapor & odor nullus sentitur in aquis puris in suo statu naturali manentibus; sapor enim & odor oriuntur ex mixtione quatuor primarum qualitatum.

2. Aqua dividitur in fontanam, fluvialem, pluvialem, putealem, palustrem, marinam, metallicam, & cisternatum, de quibus agunt Medici.

3. Hic quæritur primò, *cur aqua puteales & fontana sint calidiores hyeme quàm æstate, necnon omnia loca subterranea?* Respondetur communiter, id oriri ex antiperistasi seu circumobsistentia contrarii, quæ facit ut corpuscula calorifica hyeme, & frigorifica æstate coëant, & majores vires acquirant; & inde etiam fit ut ventres hyeme sint calidiores, & meliùs cibos concoquant; & ignis hyeme, borea flante, & frigore maximè vigente acriùs calefaciat aut urat. Alii existimant, Philosophos cum vulgo errare; quia licet aqua putealis, aut fontana, aut aër subterraneus non sit calidior tempore hyemali quàm æstivo; secùs tamen opinamur, quod putemus nos ad utriusque contactum afferre corpus hyeme æstatéque pari modo affectum, neque suspicamur eandem rem posse corpori calido apparere frigidam, & frigido calidam, quod tamen est certissimum; & experientia comprobatum est, oleum hyeme vigente in cryptis, quæ videntur alioquin ingredientibus calidæ congelari, neque tamen congelari æstate, quando cryptæ videntur esse frigidæ.

4. Quæritur secundò, *cur aqua pura oleum ex panno non eluat, cum tamen lixivium ac potissimùm ex sapone ipsum eluat?* Respondetur, causam videri, quod aqua ex se non possit incidere oleum, & in illud quasi penetrare per partes intimas & minimas; nequeat etiam asportare ipsum oleum aut aliquid ejus dum exprimitur ipsa aqua: At ubi aqua est commixta sali, quale in lixivio elicitum habet ex cineribus, fit ut sale quasi præeunte, & angulis suis incidente penetrantéque in particulas olei, aqua quoque eas subeat, quæ deinde expressa & exiliens secum sal reportet, ipsúmque sal quasdam olei particulas referat; sapo verò fortiùs adhuc eluit, quia in eo fit ex aqua sale & oleo certa quædam commixtura, ob quam fiat ut particulæ olei quas continet familiaribus partibus olei quæ in panno sunt facilè uniantur, illásque proinde educant dum ipsæ educuntur à partibus salis, & partes salis à partibus aquæ expressæ. Eadem ratione atramentum sutorium & vitriolatum aquâ purâ non eluitur, sed humore acido, qualis est atrancii, uvæ viridis, &c. eo quòd vitriolum cum sit acidum constet particulis quæ à solis congeneis dum exprimuntur educi possunt. Eodem sensu venena venenis sunt antidota, quatenus simile attrahit sibi simile, & fortius attrahit debilius. Sic manus usta sanatur admota igni,

quia ignis externus poros manus laxans dat liberum exitum partibus igneis in manu inclusis.

5. Quæritur tertiò, *Cur ferrum candens immissum in aquam magis indurescat?* Respondetur, causam videri, quòd calore igneo laxatis ferri corpusculis, aquæ corpuscula ferri porulos subeant; & dum postea ferri particulæ repetunt priorem locum, & se mutuò stringunt, ejusmodi corpuscula aquæ non excedant, sed inclusa teneantur, occupéntque spatiola futura alioquin inania aut aëre repleta; ex quo fiat ut ferrum solidius ac durius evadat; argumentóque est, quòd si ferrum rursus incalescat, adeo ut particulæ ipsius ferri laxentur, & corpuscula aquæ vi ignis exiliant, tunc ferrum idem erit ac antea, nec habebit ampliùs duritiem quam acquisiverat. Ferrum autem candens calorem, & cera mollitiem acquirit, eò quòd caloris corpuscula poros corporis subeuntiá, sic illius particulas emovent, ut interceptis novis spatiolis rarefactius existens, possit prementi cedere.

6. Quæritur quartò, *An aqua extinguat ignem ut frigida vel ut humida?* Respondetur, aquam extinguere ignem, non ut frigidam, alioquin aër frigidior extingueret ipsum; sed ut humidam, ac prout subit corporis ignei poros, quibus obturatis corpuscula ignis exilire non possunt: Quòd si corpuscula ignea ea pernicitate & cohærentia exeant ut aquam repellant, ipsáque aqua poros subire non possit, prout in igne græco contingit, eo casu aqua ignem non extinguit.

7. Quæritur quintò, *Quid sentiendum de Ortu fontium & fluminum?* Respondetur de ortu fontium & fluminum *tres esse præcipuas Philosophorum sententias. Prima* est eorum qui originem fontium in imbres & pluvias terram irrigantes rejecerunt, ut patet ex incremento fluviorum, & ex eo quòd præ nimia siccitate fontes & fluvii non sint perennes. Verùm contra hanc sententiam dico primò, quòd in profundissimis puteis fontes vivi emergant, quò tamen aqua ex pluviis collecta pertingere non potest, cùm vix ad duodecim pedes penetret. Secundò, quia pluviæ illæ omnes non sufficerent ad tantam copiam, quantam necesse est concurrere, ut inde omnes fontes & fluvii originem trahant, præsertim cùm pluviæ per multos menses sæpius cessent & in quibusdam locis ferè non pluat, ut in Ægypto, & alibi. Tertiò, quia eadem videtur esse origo puteorum & fontium at imbres non sunt causæ puteorum, qui ubique reperiuntur: non nego tamen pluvias esse causas torrentium, fontium & fluminum non perennium; item non nego pluvias esse causam incrementi fluviorum, sed nego pluviam esse causam verorum fontium & fluviorum perennium.

8. *Secunda opinio* est Aristotelis qui dixit fontes originem sumere ex aëre subterraneo, qui inclusus in terræ antris & meatibus, ibique loci frigiditate condensatus in aquam convertitur: Verùm hæc sententia evertitur. Primò, quia ex ipsomet placito Aristotelis volentis decuplam esse proportio-

portionem densitatis inter aërem & aquam, adeóque ex decem pedibus aëris, non nisi unus pes aquæ effici possit, apparet non esse tantam subterranei aëris copiam, ut fontibus & fluminibus undique liberè fluentibus materiam subministrare possit sufficientem. Secundò, hyberno tempore cavitates illæ exæstuant; Ergo aër non resolvitur ibi in aquam à frigore, Adde quod aër hybernis rigoribus frigidissimus nos ambiens in aquam commutari deberet, si Aristotelis opinio esset vera, quod tamen non fit.

9. *Tertia opinio, & quidem vera*, est eorum qui putant fontes & fluvios originem trahere à Mari; quod probatur primò ex Sacra Scriptura dicente omnia flumina in mare intrare, & tamen mare non redundare, & ad locum unde exierunt iterum redire ut fluant. Secundò quia causa proferri non potest, cur mare, ex omnium fluminum concursu non exuberet, nisi quia quantum mari ex una parte accedit, tantùm ex altera decedit, dum scilicet per subterraneos meatus, & canales, & per arenas aqua marina percolatur, & ad superficiem terræ dulcis redit; licet enim Sol trahat vapores ex aquis; non tamen est probabile illo vaporum attractu tantùm aquæ consumi, quantùm exoneratur in mare, accessu fluminum & descensu pluviarum. Tertiò, experientiâ constat quosdam puteos à Mari longè dissitos intumescere & detumescere, prout mare intumescit & detumescit; quod est certum Indicium puteos omnes aquam habere à mari, eò quòd ubique reperiri possint; idem autem est ortus puteorum & fontium.

10. Quæres, *quomodo possit aqua marina per meatus subterraneos ad omnem superficiem terræ, præsertim ad loca alta contendere, cum terra sit altior mari, saltem ratione celsissimorum montium*, ut patet ex ipsis fontibus & fluviis, qui inde semper descendentes petunt mare. Respondetur, tres referri posse causas satis probabiles. Prima est si dicatur in ipsis mundi primordiis, quando Deus aquam quæ supra terram effusa erat, in destinatum sibi locum confluere jussit, ex ea replevisse meatus quosdam subterraneos, qui à mari undiquaque versus omnem superficiei terræ partem effunderentur, & eduxisse illam aquam, donec scaturiret & flueret per aptas sibi vias: Vnde cum ex eo tempore mare continuò aquam derivet in hos canales eos autem offendat jam plenos, aqua illa redundans exitum quærit; cum ergo non inveniat alium nisi qui est in scaturigine, magno illuc impetu convolat, sicque effunditur & terram irrigat. Secunda causa talis reddi potest; dum aqua marina per meatus & terræ poros effluit, offendit ignem intestinum, qui sicut mineralia & metalla concoquit, ita aquam subiens eandem sursum vehit in vapores; quòd si tales vapores penè eum & crassum retinaculum inveniant, in aquam resoluti exitum quærunt, quò plures autem & copiosiores stillæ ejusmodi ex pluribus locis in unum confluxerint, eò uberior fit scaturigo: Vnde ad scaturiginem tria requiruntur. Primò, ut ascensus vaporum ab imo fit facilis. Secundò, ut hi vapores in altum evecti duritie aut densitate loci cohibeantur. Tertiò, ut fit

sit locus communis in quem aquæ illæ confluunt: Defectu primæ conditionis, terra pinguis, quia tenacior ac densior, minùs scaturit fontibus, sed puteis apta est: Defectu secundæ conditionis solum arenosum, minùs est aptum fontibus, nisi aquæ aliunde descendant, defectu verò tertiæ conditionis, ex rupibus interdum aquæ stillatim cadunt. Tertia causa erit, si dicatur mare, altius esse celsissimis montibus præterquam ad littora, ratio autem hæc est, cum aqua & terra unum globum conficiant, cujus centrum non debet sumi à puncto aut medio Arithmetico æqualiter distante à superficie, sed à puncto & medio Geometrico gravitatis sequitur in globo ea esse altiora quæ sunt leviora; at aqua est levior terra; ergo aqua debet esse altior terra in eodem globo: His adde quod mare etiam possit dici altiùs in medio ob exhalationes ibi coacervatas altiùs evehentes aquas.

11. Quæres *si fluvii & fontes oriantur ex mari; quomodo aqua fontana & fluviatis est dulcis, & marina est salsa?* Respondetur aquam maris purgari percolatione & transitu per terras aut arenas, talique percolatione dulcecere.

12. Quæres rursus, *cur Nilus cælo sereno cùm acerrima est æstu ita intumescat, ut totam tegat Ægyptum ubi nunquam pluit?* Respondetur, Nilum, ut exploratum est peregrinationibus Lusitanorum, originem ducere ex lacu quodam Æthiopiæ, qui lacus dicitur Zaire, & inde per multa terrarum spatia in Ægyptum fluere; & quia quo tempore in Ægypto est æstas, in parte Æthiopiæ in qua est lacus Zairensis est hyems aut principium veris, quo tempore ibi frequentes sunt pluviæ, fit ut eodem tempore intumescat Nilus; & quia ejus alveus non est satis capax ad tantùm aquarum copiam continendam, longè latéque effundit se per agros Ægyptiorum.

ARTICVLVS DECIMVS.

De Mari.

1. **M**Are est elementum aquæ minus purum & peregrinis qualitatibus admixtum, in quo duo explicabimus, scilicet ejus salsuginem & æstum.

2. De *salsugine maris quinque* sunt Philosophorum *sententiæ. Prima* est Connimbricensium, qui putant mare salsum à Deo creatum. Verùm, ad Authorem naturæ confugiendum non est quando suppetunt causæ naturales effectuum.

3. *Secunda sententia* est Cardani, qui putavit montes salis esse causam salsu-

salsuginis maris beneficio pluviarum, quæ paulatim ipsum deferunt in mare. Verùm contra dici potest è mari sal extractum esse majori quantitate & mole quàm habeant omnes montes salis qui sunt in mundo.

4. *Tertia sententia* est Aristotelis, qui existimavit exhalationes siccas & aridas vi astrorum è terra elevatas, vaporibus humidis & frigidis commisceri, cúmque vapores resolvuntur in aquam, maximam partem ejusmodi exhalationum aridarum simul decidere in mare ipsumque salsum reddere. Verùm dici potest contra, ejusmodi exhalationes æquè decidere in stagna, lacus, & fluvios, in quibus tamen dulcedo conservatur: Deinde paucas ejusmodi exhalationes à vasto Occeano absorberi, earumque vim irritam reddi, cùm omnis actio sit à proportione majoris inæqualitatis, ut fortiùs vincat debilius.

5. *Quarta sententia* est Chymicorum, qui existimant mare fieri salsum solâ coctione & evaporatione aquæ dulcis. Verùm contra dici potest, sola coctione & evaporatione separari partes dulces & humidas à salsis & aridis; non autem produci salsas de novo; ideo semper remanet difficultas, quænam sit causa partium salsarum, quibus inficitur mare. Adde quod plus aquæ ingreditur mare quàm sol concoquit & evehit, ideo quemadmodum, si continuò aqua frigida infunderetur in ollam igni superimpositam, adeo ut aqua non minueretur, certè nunquam aqua spissaretur aut salsuginem contraheret; sic cum tantùm aquæ ingrediatur quantùm à Sole evehitur, aut aliò defertur, impossibile est aquam ejusmodi salsam fieri.

6. *Quinta opinio* est Empedoclis, aliorúmque veterum Philosophorum qui existimant Solem universam superficiem terræ quasi comburere, & in cineres redigere, evehendo partes frigidiores & humidiores, & relinquendo(?) ficciores & aridiores, quæ deinde per aquas pluviales in fluvios, & inde in mare deferuntur, post modum Sol aquas dulces, evehendo, coctione & evaporatione, vel potiùs aquæ beneficio percolationis relinquentes in mari suam acrimoniam, & salsuginem à cineribus siccis & aridis terræ desumptam, accidit ut paulatim mare salsum evaserit.

7. *Ego existimo hanc ultimam opinionem reliquis esse probabiliorem*, licet reliquæ causæ naturales ab aliis allatæ cum ista possint jungi, & totalem causam salsuginis maris efficere.

DE ÆSTV MARIS.

8. IN *æstu maris*, qui aliter dicitur reciprocatio, vel fluxus & refluxus, & qui describitur incrementum & decrementum aquarum *plura sunt consideranda*.

9. Primò, æstus maris accidit bis in die naturali 24 horarum, mare enim

per ſex horas accedit, & per ſex horas iterum recedit.

10. Secundò, In novilunio & plenilunio æſtus ſunt majores, in quadris verò ſunt perexigui: Item in æquinoctiis æſtus ſunt omnium maximi, in ſolſtitiis minimi.

11. Tertiò, In littoribus Meridionalibus æſtus citiùs fiunt quàm in Septentrionalibus, adeo ut unoquoque gradu ſingulis quibuſque milliaribus quindecim germanicis differentia ferè unius horæ intercedat.

12. Quartò, Licet æſtus maris ſit ſtatus & regularis, tardat tamen ſingulis diebus tribus quadrantibus horæ aut circiter, verbi gratia ſi æſtus fiat hodie horâ ſextâ, poſtridie non fiet niſi hora ſexta & tribus quadrantibus.

13. Quintò, Ad qu..dam oſtia mare accedit intra quinque horas, & recedit intra ſeptem duntaxat; & ad alia littora mare accedit intra quatuor horas, & recedit intra octo, quod procedit ex ſitu regionis: Denique Euripus Chalcidenſis ſepties in die patitur æſtum.

14. Sextò, Ad oſtium Dordoniæ paulò ante æſtum fluctus violentus littora fluvii percurrit eò uſque ferè quò mare eſt aſcenſurum; Incolæ regionis vocant hunc fluctum le Maſcaret.

15. Septimò, Multa maria non patiuntur æſtum, ut mare Mediterraneum ad Maſſiliam, Thuſciam, & Oceanus in littore Septentrionali maris pacifici. His ſuppoſitis tamquam experientiâ confirmatis, eam de cauſa efficiente ſententiam probabiliorem omnium exiſtimo, quæ poteſt rationem ſupradictorum reddere.

16. Duæ autem hac de re præcipuè ſunt Philoſophorum ſententiæ. *Prima eſt omnium ferè Recentiorum Philoſophorum, qui cauſam efficientem æſtus marini dicunt eſſe Lunam*; fundamentum eorum eſt quòd mare ſequatur motum Lunæ; ſicut enim Luna tribus quadrantibus aut circiter, ſingulis diebus tardiùs oritur; ſic etiam pari tempore, tardiùs fiunt æſtus marini: Adde quòd cùm Luna dominetur rebus humidis & aqueis, & ſecundum incrementum & decrementum Lunæ creſcant aut decreſcant oſſium medullæ; veriſimile eſſe putant, Lunam eſſe etiam cauſam tumoris & æſtus marini.

17. Verùm contra hanc ſententiam dici poteſt, primò falſum eſſe mare ſequi motum Lunæ, & ſemper accedere cum Luna oritur; nam qui ſub eodem Meriadiano habitant, habent ortum & occaſum ſtellarum, atque adeo ortum Lunæ, eodem tempore; habent tamen æſtus marinos diverſis temporibus, cum citiùs fiant in littoribus Meridionalibus, quàm in Septentrionalibus, ut dictum eſt ſuprà.

18. Secundò, Si Luna eſſet cauſa æſtus maris, tunc quò fortior eſſet Luna & quò magis augeret humores & medullas, eò major æſtus eſſe deberet, & quo debilior Luna, eò minor eſſet æſtus maris; quod tamen falſum eſt, cum æſtus ſint minores in quadris quàm in noviluniis.

19. Tertiò, Cùm æſtus ſit, mare fluit ſimul undique, atque adeo non ſequitur

sequitur motum lunæ, cum luna versus mundi quatuor partes non moveatur.

20. Quartò, cùm luna est in altero hemisphærio, non videtur influere in mare nostrum; & tamen idem æstus fieri non desinit: Ergo æstus non est ab influxu lunæ.

21. Quintò, æstus Euripi Chalcidiensis, qui (si verum est quod dicitur,) septies in die fluit & refluit; æstus qui fit ad ostium Indi fluminis per triginta milliaria intra tres horas; fluctus Dordoniæ nomine Mascaret; æstus maximi tempore æquinoctiorum, aliáque ejusmodi motui lunæ tribui non possunt: Quibus addi potest, mare mediterraneum, mare pacificum versus septentrionem, lacus, stagna, aliáque corpora humida, fluxum & refluxum esse passura, cum luna ejusmodi corporibus dominetur; & tamen non patiuntur æstum.

22. *Secunda sententia est Heracliti, & multorum Veterum Philosophorum, qui existimarunt mare refertum esse exhalationibus calidis, spiritibúsque igneis innumeris, à Sole aliisque astris, in ipsum immissis*; exhalationes verò aut spiritus igneos copiosiùs in medio mari quàm in littoribus reperiri, fortè ob fluvios frigidos, undíque mare subeuntes, & propellentes ejusmodi exhalationes aut spiritus in medium mare: Deinde posuerunt has exhalationes aut spiritus igneos rarefacere aquas marinas, quæ ob id intumescunt potissimum in medio, quod idcirco dicitur à nonnullis altum mare: Posteà dixerunt has aquas marinas sic rarefactas & tumefactas in hoc statu quandiu possunt se conservare sine fluxu, eo ferè modo quo aqua scyatho supereminet si sensim infundatur, juxta illud axioma, unumquódque abhorret disjunctionem à suo simili: Denique affirmarunt aquas istas sic rarefactas & tumefactas, & aliquandiu in hoc statu conservatas, pondere suo undique fluere, sicque maris fluxum fieri. Posteà exhalationibus tali æstu seu fluxu ex parte dissipatis, mare in proprium & naturalem locum recedere: Quare secundum eos causa efficiens æstus maris est calor exhalationum aut spirituum igneorum à Sole & astris manantium, nec immeritò à latinis vocatus est æstus maris, ut significaretur fieri à calore.

23. *Hæc sententia videtur probabilior primâ*; quia solvit omnes ferè difficultates quæ hac de re proponi solent: Primò enim, quod spectat ad Maris motum statum & fixum, dici potest quòd quemadmodum post accessionem febris exhalato calore febrili, qui corpus durante febri depopulabatur, in sequentem, vel alterum, vel tertium diem certum, accessio differtur, donec novum ardoris fomitem denuò cocta materia suppeditet: Ita per æstum marinum evaporatâ magnâ parte materiæ, quæ hunc motum ciebat, reliquæ supprimuntur à frigore dominante, donec post æqualem temporis circuitum, hæc materia continuis proventibus in æquale pondus aucta, similes exerit vires prioribus, similémque motum efficit; & sicut copia qualitásque materiæ in causa est ut tamdiu duret febris accessio; ita pro ratione materiæ illius calidæ certum tempus illius eva-

porationi destinatur, quo æstus continuatur.

23. Secundò, quod spectat ad diversitatem æstuum, scilicet quòd majores sint in æquinoctiis quàm in solstitiis, & potiùs fiant in littoribus meridionalibus quàm in septentrionalibus; dici potest in æquinoctiis Solem vibrare directè radios in medium mare, atque adeo magis ipsum rarefacere, & ejus aquas extollere: Calorem autem fortiorem esse in partibus meridionalibus, quàm in septentrionalibus, atque adeo citiùs in illis quàm in istis aquas tumefacere.

24. Tertiò, quòd multa maria æstum non patiantur, id ex tribus causis oriri videtur, prima est capacitas alvei; quod enim in flumine cernimus cujus aqua per alveum capacem segnis, per angustum rapida est, id ipsum de maris æstu putandum est; illud enim aquarum maris incrementum per vastissimum æquor dispersum, vix animadvertitur, quod tamen angustiis contractum celeriùs currit; & hinc videtur fieri quòd mare mediterraneum, & mare pacificum ad littus septentrionale nullum patiantur æstum; quòd verò sinus Adriaticus, aliquem patiatur, oritur fortè ex concursu maris mediterranei & Ionii. Secunda causa est defectus exhalationum calidarũ quæ per loca subterranea delatæ, vel coquunt metalla, vel vulcanos efficiunt, vel cum aquis mixtæ formant vapores, qui resoluti procreant fontes. Tertia causa est calor aut frigus nimium, sicut enim spiritus animalis functio duobus modis cessat, vel dissipatione quæ fit nimia pororum dilatatione, vel strangulatione quæ nimiam compressionem sequitur; ita materia illa calida, vel nimio loci frigore impedita, vel solis radiis resoluta æstus causa nulla restat; unde sub Zona torrida ob nimium æstum & sub Zonis frigidis ob nimium frigus nulli aut exigui æstus esse dicuntur.

25. *Stoicorum, Seleuci Mathematici, & Galilei sententias quasi fabulosas refutatione dignas non existimo.* Stoici putabant mundum esse ingens animal cujus nares essent in oceano, cúmque immitteret spiritum mare intumescere, cum verò attraheret detumescere. Seleucus credidit terram sese in mare immergere sicque mare intumescere, deinde è mari emergere, sicque mare detumescere. Galileus existimavit æstum maris fieri per terræ motum eo ferè modo quo aqua in pelui mota movetur. Verùm ejusmodi motum terræ suprà refutavimus; & per ejusmodi motum non redditur ratio cur mare undique fluat; cur multa maria non patiantur æstum, cur æstus sint majores uno tempore quàm alio &c.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

De Terra.

1. T*Erra* est Elementum siccissimum & frigidum, cujus attributa non cognoscuntur, nisi ex effectis; Terra autem exsiccat & frigefacit.

2. Terræ

2. *Terræ partes integrantes* sunt colles, montes, valles, planities, & insulæ. *Terra etiam dividi solet in* quatuor partes scilicet *Europam, Asiam, Africam, & Americam*; quibus alii addunt terram *incognitam*, potissimùm *australem*; de quibus omnibus in Geographia. *Terra* denique *dividi solet in quinque Zonas*, scilicet in *duas frigidas, duas temperatas, & unam torridam*, de quibus suprà egimus dum de sphæra. Quamvis autem ex his quinque Zonis, duas tantùm scilicet temperatas habitari ab hominibus Veteres crediderint; attamen exploratum est superioribus sæculis, nullam esse terræ partem inhabitabilem; natura enim providit incommodis frigoris aut caloris; qui enim habitant in partibus septentrionalibus, degunt in specubus subterraneis non multùm frigidis, & ipsa assuetudine incolæ non sentiunt vehementiam frigoris; in Zona verò torrida sunt multi fontes & fluvii frequentes, venti & pluviæ quibus terra infrigidatur; Sol enim frequentes exhalationes & vapores evehit, qui in pluvias & ventos convertuntur: Adde quod ibi noctes ferè semper sunt duodecim horarum aut circiter.

3. Quare cum undique colatur terræ rotunditas, ut patet ex navigationibus Lusitanorum, Hispanorum, Anglorum & Batavorum, *necessariò sunt admittendi Antipodes*; atque adeo Lactantius, Augustinus, & alii Doctores Ecclesiæ, errarunt, qui Antipodas esse negaverunt; nec non Theologi illi qui in Concilio Episcopali, dejecerunt Episcopum Salsburgensem, quòd diceret dari Antipodas. Fundamentum autem Augustini & aliorum est ridiculum; credebant enim positis Antipodibus homines fore pendulos, & arbores deorsum incrementum sumpturas, quod fundamentum est hominum non considerantium, quid sit sursum aut deorsum; neque enim Antipodes sunt magis penduli quam nos, cum sub se habeant centrum terræ, quod est locus infimus ad quem omnia gravia tendunt; & arbores non magis crescunt deorsum apud Antipodas quàm apud nos; habent enim radices in terra, truncos verò & ramos versus cœlum quod est locus supremus.

4. *Terra moles est admodum ingens cum ejus circuitus, sit quinque millium quadringentorum milliarium Germanicorum:* Cùm enim circulus constet trecentis sexaginta gradibus, & cuilibet gradui respondeant in terra quindecim milliaria Germanica; manifestum est trecentos sexaginta gradus, qui à Sole percurruntur, multiplicatos per quindecim, efficere numerum suprà allatum. Tanta autem moles appellari solet punctum, non quidem absolutè ut patet, sed comparatè seu respectu cœli, si enim stellæ firmamento quæ creduntur majores terra valdè exiguæ appareant, quantò magis terra non lucida parva appareret homini in firmamento constituto.

5. *Figura terræ est sphærica, non autem plana:* Cum enim Sol oritur in nostro Hemisphærio, citiùs apparet in Oriente quàm in Occidente; & si

terra haberet figuram planam, Sol simul appareret omnibus qui essent in eodem Hemisphærio; cum lux absque vllo impedimento diffundatur.

6. Objicies *multos esse montes & concavitates, rotunditatem terræ impedientes*; & *Platonem in Timæo asserere terram esse figura cubica, ignemque Pyramidalis, aquam rotundæ & aërem octaedra.* Respondetur, montes & valles impedire quidem terræ rotunditatem mathematicam, non tamen physicam, hoc est impedire ne terra sit rotunda exactè, non tamen impedire quo minus ad rotunditatem accedat: Montes enim sunt instar capitum acicularum in pomo aut globo, vnde sicut tumor, instar capitis aciculæ, non impedit quominus globus dicatur rotundus, sic montes non impediunt quominùs terra dicatur rotunda. Ad Platonem Respondetur; vel eum locutum fuisse allegoricè, & dixisse terram esse cubicam, ut indicaret ejus stabilitatem; cubus enim est hieroglyphicum stabilitatis: Vel eum locutum fuisse de partibus indivisibilibus terræ, non autem de tota terra.

7. *Terra & aqua efficiunt vnum globum:* Nam maria sunt infusa intra terras alioquin aquæ tegerent vniversam terram; eò quòd aqua sit levior terrâ, terra verò sit gravissima, cùm sit centrum vniversi, & infimum in Mundo locum occupet.

CAPVT QVARTVM.

De Mixtis inanimatis.

HOc caput dividitur in septem articulos. Primo agitur de mixtione in communi. Secundo, de meteoris in communi. Tertiò, de meteoris igneis Quarto, de aëreis. Quinto, de aqueis. Sexto, de terreis. Septimò, de mixtis perfectis inanimatis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Mixtione in communi.

1. MIxtio & *mixtum* dupliciter vsurpantur in scholis: Primò *imperfectè*, scilicet quando mixtio fit ex duobus aut tribus elementis duntaxat, vel ex quatuor, sed non debitè temperatis; sicque omnia meteora dicuntur imperfectè mixta: Secundò *perfectè*, scilicet quando mixtio

fit ex

fit ex quatuor elementis debitè temperatis; sicque metalla, lapides, & viventia dicuntur perfectè mixta. Huc quidam referunt *mixtionem ad sensum*, quando scilicet mixtio fit ex iis quorum unum aut omnia sunt mixta; quæ mixtio si fit liquidorum, putà vini & aquæ dicitur confusio; si verò fit mixtorum siccorum, putà auri & argenti dicitur coacervatio.

2. *Mixtio* definitur ab Aristoteleis, miscibilium alteratorum unio: ubi per *miscibilia* intelligunt elementa quæ miscentur, & mixtione suâ constituunt mixtum: Per *alterata* intelligunt refracta quoad vires, saltem in actu secundo, idest quoad exercitium virium; adeo ut sensus definitionis hic sit, mixtio est unio elementorum, quorum vires sunt jam refractæ quoad exercitium, eò quòd non intensè agant.

3. Rursus, *mixtio* secundum aliquos *fit per juxta positionem partium minutissimarum, sive similium, sive dissimilium, suam naturam & suas proprietates in mixto conservantium*: Et secundum alios *mixtio fit per coëxtensionem & quasi penetrationem particularum minutissimarum, quæ sese totas mutuò subeunt, invicémque coëxtenduntur*, sicque efficitur ut nulla pars sit quæ mixta non sit, idest quæ non sit particeps & substantiæ & qualitatum omnium quæ in mixtò sunt: *Hæc posterior sententia est rejicienda, & prior retinenda*: Nam ex posteriori sententia sequitur duo corpora esse in eodem loco, neque unum aliud expellere, cum utrumque se mutuò subeat; & hemina vini mixta cum hemina aquæ non facient ambæ nisi unam heminam, cum particulæ unius non alibi sint quàm ubi sunt particulæ alteriùs, sequitur etiam exiguum corpus coæquari maximo posse cum iis commixtis nulla sit pars quæ non tam unius quàm alterius aliquid habeat.

4. *Aristoteles* de mixtione duo dicit: Primò, *si unum miscibilium prævaleat*, putà si in decies millenos aquæ congios una gutta vini infundatur, *tunc mixtionem non fieri, sed debilioris speciem solui, transmutarique in potentiorem*, putà guttam vini in aquam: Secundò, *si neutrum quicquam aut parùm prævaleat, & vires æquales quodammodo sint, tunc gigni inter utrumque medium & commune*.

5. Verùm contra primum, Dico, & quæro, si post illam guttam in aquam conversam conjiciatur alia, & post ipsam conversam conjiciatur alia, & rursus alia, & sic deinceps, quousque moles in duplum decuplum, centuplum excreverit, quæro (inquam,) cujus naturæ tota ea moles sit futura? certè dicere debent Aristotelei totam eam molem futuram aquam, etsi pro una mensura mille vini guttatim infusæ sint, semper scilicet mera aqua fuit in quam quæque gutta vini conjecta est; alioquin enim à quanam gutta vini cœpit tota aquæ moles naturam suam exuere, non est enim potior ratio de una quàm de alia: Quòd si hoc sit absurdum, nónne dicendum potiùs est, infusâ unâ vini gutta, dissectam illam fuisse in particulas minutissimas vini naturam retinentes, sed quæ tam raris aquæ partibus cohæserint ut evanuisse viderentur, licet reverà subsisterent. Eodem modo refutatur conversio aquæ exiguæ in vinum, quæ creditur fieri à Pontificiis

in Sacramento Euchatiſtiæ.

6. Contra ſecundum dico, & quæro, an cùm gigni medium & commune ſtatuit Ariſtoteles, tale medium intelligat quod ſit particeps extremorum? Et videtur ſanè particeps intelligere; nam propterea eſſe commune dicitur; & niſi intelligeret neque mixtilia remanerent, neque mixtum proinde eſſet: Quomodo ergo particeps eſt extremorum; Erant in vino materia forma & qualitates ſecundum eum, & in aquæ ſimiliter; an omnium iſtorum, an aliquorum tantùm particeps eſt? Quod ad materiam ſpectat, certè admittere debet totam utriuſque materiam in eo eſſe, neque enim quæ fuit alterius, aut utriuſque, periit, aliove exceſſit; cum autem materia partes habeat, quarum unaquæque ſit quanta ſecundum eum, eò quòd ſit diviſibilis in infinitum, & ideo proprium locum occupet; quæri poteſt an partes materiæ vini ſint in iiſdem locis in quibus partes materiæ aquæ? Si eſſe dicat, ſequentur abſurda ſuprà allata; ſi neget, & velit eas exiſtere in diverſis locis, tum ſeſe tantùm tangent, nec alio modo commixtæ erunt quàm ſecundum appoſitionem ſeu juxta poſitionem. Quòd ad formam ſpectat, admittere debet Ariſtoteles in illo ſuo medio & communi eſſe utramque formam, alioquin eſſet mixtilium facta corruptio, non alteratio, & definienda illi foret mixtio, mixtilium corruptorum, non autem (ut ait) alteratorum unio: Adde quòd ſi formæ pereant, forma emergens erit planè nova, non utriuſque particeps: Si verò admittat utramque formam manere; debet unaquæque pars materiæ unius, habere & formam ſibi propriam, & formam alterius, ſicque eadem materia ſimul duas formas habebit, quod rejicit Ariſtoteles.

7. *Anaxagoras*, ut refert Ariſtoteles 1. Phyſ. cap. 4. exiſtimavit res gigni tantùm ex iis quæ ſunt, putà carnem ex particulis carneis, os ex particulis oſſeis &c. quæ particulæ ſimilares non apparebant antea, quia erant minutiſſimæ, & occultabantur ab aliis quæ in re prædominabantur; unde putavit omnia eſſe in omnibus. & ex quolibet fieri quodlibet; ſed rem denominari à prædominante: Verbi gratiâ ſtatuit in pane miſceri particulas panis, carnis, oſſis, ignis, ligni, lapidis, auri, argenti, aliorumque innumerorum compoſitorum; ſed particulas panis eſſe potiores numero & prædominari, & tali prædominio occultare cæteras, & panem idcirco apparere ac nominari. Et cum carneæ excretæ ſunt & ex iis contexta eſt caro, eſſe quidem in ea commiſtas particulas carnis, panis, oſſis, lapidis, ligni, auri, &c. ſed principatum tenere particulas carnis quæ cæteras occultant, & ideo carnem apparere & nominari. Quare ſecundum Anaxagoram generatio rei nihil aliud eſt quàm principiorum deliteſcentium in lucem deductio, concretio, & apparitio, ob quam corpus ex ejuſmodi principiis concretum, talemque naturam habere viſum certam

tam sortitur nuncupationem.

8. Contra hanc sententiam Anaxagoræ, dici potest primò, ejusmodi partes similares, quæ vulgò homoeomeriæ nuncupantur, esse generabiles, corruptibiles, & resolubiles in principia chymica, aut elementa. Secundò, absurdum & incredibile esse in particula panis minutissima sensibili, esse innumeras particulas omnium specierum diversarum corporum.

9. *Empedocles* existimavit mixtionem & generationem esse ex quatuor elementis certo modo unitis : Sed composuit sua elementa ex particulis minutissimis, quæ essent quasi elementorum elementa, putà igniculi seu exilissimi ignes ab eo ponuntur, ex quibus totus ignis est contextus aëruli seu aëres exilissimi ex quibus totus aër, &c. Cùm autem elementorum fit mixtio, unumquodque elementum propter intersectionem mutuam resolvitur in particulas minutissimas, quæ cohærent quidem cum appositis, sed sine penetratione, & cum naturæ propriæ conservatione ; & ex variis commixtionis modis & generibus, os, caro, lignum, lapis, aurum, & alia composita naturalia generantur, & per separationem eorum corrumpuntur. *Hæc sententia Empedoclis probabiliter defendi potest*, ut monstratum est in prima parte Physicæ, dum de materia & forma secundum nos.

10. *Democritus & Epicurus* statuerunt atomos ita commisceri & disponi, ut ex omnium congerie certo modo dispositâ, certa corporis species fiat, appareat ac denominetur, atque adeo ex tali unione & dispositione atomorum resultare formam, quæ per se spectata nihil aliud est quàm qualitas quædam accidentalis, putà figura, quæ facit ut atomi sic unitæ certo modo operentur. Addunt, atomos similes hamulis & ansulis suis sibi invicem respondentes, evadere in corpuscula quædam composita subtilissima, moleculásve tenuissimas, & insensibiles, quæ sint quasi semina rerum omnium, & quæ differunt tantùm ab Anaxagoræ homoeomeriis, quòd resolui possint in atomos, non autem ultimæ homoeomeriæ : Hujusmodi autem moleculæ sunt principia immediata ignis, aquæ &c. necnon salis, sulphuris, & Mercurii &c. ex quibus moleculis, elementis, & principiis chymicis variè commistis fiunt animalia, plantæ, metalla, lapides &c. Denique; ex dissolutione corporum magis compositorum, putà lignorum, lapidum, animalium &c. gigni posse simpliciora, putà flammam, fumum, cineres &c. quæ resolui possunt in moleculas, & moleculæ in atomos. Exemplum horum omnium videtur in ligno, quod est compositum ex magna quadam varietate corpusculorum moleculárumvè, ex simplicissimis corporibus atomísve compositarum ; & in iis sunt corpuscula rotundissima & mobilissima, quæ ubi ex crassiori mole evoluta fuerint, consociatáque emerserint speciem ignis referunt; ex his etiam est flamma, forte ex multo igne & aëre composita,

quæ ex fæcum partiúmque aliarum impuriorum abjectione clara fit, & quæ tum exilitionis impetu, tum aëris ftatim diducti circúmque reprimentis inftantia furfum abeat; quæ etiam dilatetur primùm & fluctuet ob non rectam eruptionem corpufculorum omnium fefe à materia craffiori expedientium; quæ etiam pungat, penetret, diffolvat, ob corpufculorum fubtilitatem, velocémque eorum motum; quæ quoque paulatim attenuetur & in conum abeat, eò quòd fubtiliffima quæque & mobiliffima præ cæteris corpufcula fefe fubducant undique, & quoquoverfum per aërem diffufa lucem faciant, donec flamma paulatim exhaufta, neque aërem tantundem diducere valens in acumen abfumatur; quæ denique fumum fuperftitem habeat ob corpufcula fuliginofa quæ à purioribus confertim exilientibus convehuntur unáque moventur, & diffipata in lucem flammâ fincerioréve ejus parte, commixta adhuc igneis confervantur; & eorum ope adhuc aërem nonnihil diducunt, & inftitutam furfum viam ire aliquatenus pergunt; fumus autem ifte, licet fimplicior flammâ, compofitus eft tum ex aqueis moleculis, tum ex moleculis fuliginis camino adhærentis, quam variè adhuc effe compofitam declarat ejus multiplex cohærentia & incohærentia, denfitas, laxitas, refolutio &c. Quod autem dictum eft de flamma, dici poteft de carbone & cineribus refiduis, qui compofiti funt ex moleculis tum falis multiplicis, tum terræ, quæ partim eft limus, partim arenulæ, quæ funt vitri materia fuis ex particulis conftans. Ex quo patet lignum tem effe compofitam ex omnibus iftis fimplicium corpufculorum molecularum & atomorum generibus; & formam ligni ex omnium congerie & difpofitione confiftere. Cæterùm quod diximus de ligno, de cæteris mixtis proportionaliter dicendum eft. Hæc fententia probabiliter etiam defendi poteft, & fuprà allatis præferenda.

11. *Ego exiftimo, omne corpus vel effe fimplex, vel mixtum; & omne mixtum, vel effe animatum, vel inanimatum.* Corpus mixtum animatum conftat duabus partibus; quarum una eft palpabilis & vifibilis, quæ vulgò dicitur corpus; altera verò impalpabilis & invifibilis, quæ dicitur anima, de qua fuo loco fusè agetur. Corpus quod eft animatum, conftat proximè partibus heterogeneis feu diffimilaribus fenfibiliter, ut corpus humanum quod conftat capite, brachiis, pedibus &c. quæ partes conftant etiam heterogeneis fenfibiliter, putà brachium conftat cute, carne, offe, nervis &c. Iftæ autem partes, necnon mixta inanimata conftant proximè moleculis homogeneis feu fimilaribus ad fenfum, non tamen realiter; putà caro conftat moleculis carneis, lignum conftat moleculis ligneis &c. quæ licet fenfui appareant homogeneæ, conftant tamen partibus realiter heterogeneis, putà lignum conftat igne, aëre, fumo, cineribus &c. ut patet ex iis quæ dicta funt numero præcedenti; & ficut in ligno fal, fulphur, Mercurius, phlegma, & caput mortuum reperiuntur, quæ arte chymicâ ex ipfo educuntur; ita in molecula lignea hæc eadem proportionaliter reperiuntur; quæ rurfus conftant aliis partibus calidis, frigidis, humidis, & ficcis;

& ficcis:& calidæ dicuntur igneæ vel accedentes ad igneas, frigidæ dicuntur aëreæ aut nitrosæ vel accedentes ad illas, humidæ dicuntur aqueæ vel accedentes ad eas, & ficcæ dicuntur terreæ vel accedentes ad illas. Iam si hæ partes, quæ vulgò dicuntur elementares, agant per suam substantiam; cum earum operationes sint dissimiles & specie diversæ, substantia earum erit specie diversa, siquidem operari sequitur esse, & modus operandi sequitur modum essendi; diversitas autem operationum corporum mixtorum referenda erit ad vnionem harmonicam eiusmodi partium elementarium;& hoc pacto defendi potest sententia Empedoclis de materia prima & de mixtione. At si istæ partes elementares quoad suam substantiam sint eiusdem naturæ specificæ, & sint indifferentes ad quaslibet operationes; tunc diversitas operationum corporum tam simplicium quàm mixtorum referenda erit ad figuras ex vnione partium materialium resultantes,quod suprà probabilius esse censuimus; & sic poterit aliquis confugere ad atomos figuratas Democriti, quarum aliæ sunt sphæricæ, aliæ quadratæ, aliæ triangulares, aliæ octahedricæ,aliæ hamatæ &c. quæ secundum Democritum constant partibus indissolubilibus, & quæ ideo non possunt resolui, atque adeo sunt materia prima:Cum autem secundum Democritum atomi sint cuiuscunque figuræ, & nulla sit species figuræ quæ non reperiatur in infinitis atomis; clarum est, quòd si moleculæ igneæ sint sphęricæ, atomi sphęricæ erunt etiam igneæ; si moleculæ aëreæ sint quadratæ, atomi quadratæ erunt etiam aëreæ; si moleculæ salis communis sint cubicæ, atomi cubicæ erunt atomi salis &c. vnde colligitur atomos elementares secundum Democritum esse materiam primam saltem partialiter, & tot esse atomos diversæ figuræ, atque adeo tot materias primas diversæ figuræ & diversæ speciei, quot sunt diversæ species molecularum corporum tam simplicium quàm mixtorum: Et cum atomi sphæricæ sint similares, & atomi quadratæ sint similares; &c. colligi potest quamlibet speciem corporis fieri ex similaribus, atque adeo homoeomerias esse materiam primam corporum,vt voluit Anaxagoras;sicque conciliabitur Anaxagoras cum Democrito: Verùm cum atomi Democriti falsò fortè dicantur constare partibus indissolubilibus, vt insinuaui in prima parte Physicæ dum de quantitate,& probabilius sit quamlibet partem materialem habere partes minores & minores finitas in infinitum, dici potest species figurarum atque adeo formarum & compositorum variari, non tantùm transpositione aut additione partium, sed etiam detractione earum, adeo vt si aliquid detrahatur de molecula lignea aut carnea, statim exurgat noua figura, atque adeo noua forma, tam in parte detracta, quàm in parte residua, & sic omnia erunt in omnibus, & ex quolibet poterit fieri quodlibet, vt voluit Anaxagoras. *Caeterùm, non negamus generationem terminari aliquo modo ad substantiam*, quatenus scilicet terminatur ad compositum, quod est id quod gignitur, & quod est substantiale, saltem ratione materiæ. *Non negamus etiam dari formam, per quàm compositum quod fit, talis speciei corporis sit: Non negamus etiam talem formam*

T

posse dici substantiam, si nomine formæ intelligatur pars quædam tenuissima, spiritu ofissima & actuosissima corporis, qualem in planta aut animali concipere licet animam. qualem in magnete concipimus spiritum magneticum attrahentem ferrum, qualem in rosis, violis & aliis floribus concipimus spiritum odorificum &c. Sed negamus primò, talem formam esse novam substantiam, quasi nimirùm substantia quæ est in illo spiritu non fuerit anteà, cum etiam illa tenuis portio, priusquam crassiorem subeat, præextiterit alicubi quoad suam substantiam: Negamus secundò, id quod propriè forma appellari debet, esse plusquàm qualitatem, vel novum quendam existendi modum; statuimus enim quodlibet compositum gigni ex sola principiorum materialium vnione harmonica, atque adeo compositum nihil esse aliud quàm ipsamet principia, quatenus certa hac ratione vniuntur, ac proinde certâ hac formâ seu qualitate exhibentur; quamvis enim imaginemur tenuiorem portionem esse per crassiorem diffusam, existimamus tamen formam totius quâ corpus constituitur, resultare ex situ ordinéque tum partium tenuiorum inter se, tum crassiorum inter se tum tenuiorum crassiorúmque conjunctim, verbi gratiâ equus nihil est præter ipsa principia seu corpuscula ex quibus certa ratione inter se connexis constat, tum hac membrorum conformatione, tum hac interiore vegetatione, tum hac formâ, figurâ, qualitate, specie, & conditione est; cum tamen illa principia ex quibus membra crassiora sunt coadunata, & anima contexta, extiterint priùs; vel in genitoribus, vel in frugibus, vel in elementis, vel alibi; sicut cùm dissolvitur, aut forma evanescit, tam membrorum quàm vaporis seu animæ animalis principia seu corpuscula, futura sunt vel in terra, vel in aëre; vel in vermibus, vel aliis in rebus aut locis,

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Meteoris in communi.

1. Meteorum derivatur à Græco μετὰ id est trans, & ἄρω, idest tollo. Vnde meteorum quoad nomen idem est ac sublime & translatum aut elevatum, eò quòd maxima pars meteorum in excelsis gignatur, vel ad ea elevetur.

2. *Meteorum* definitur corpus imperfectè mixtum, idest compositum ex quibusdam elementis, vel ex quatuor quidem, sed non debite temperatis, sic Cometa est meteorum ferè totum igneum, nix est meteorum ferè totum aqueum &c.

3. *Materia remota meteororum* sunt elementa, potissimùm autem terra & aqua, ex quibus extrahuntur & sursum elevantur. *Materia proxima* meteo-

meteororum est vapor & exhalatio, quia meteora non gignuntur ex aqua & terra puris, sed priùs resolutis in vaporem aut exhalationem. *Vapor* est spiritus quidam tenuis frigidus & humidus ex aqua aut locis humidis eductus, & calore externi agentis rarefactus sursum tendens, qualis est fumus qui ex olla fervente emittitur: *Exhalatio* verò est spiritus tenuis calidus & siccus eductus è terra aut locis pinguibus, qualis est fumus qui emittitur è terra dum præ calore fumat: Cæterùm per spiritum intelligendum est corpus subtile aut fumus, qui dici solet genus vaporis & exhalationis.

4. *Causa efficiens principalis secundum Peripateticos, meteororum, sunt corpora cœlestia*, præsertim *Sol* & *Luna*: Ego addo *ignem* aut *calorem subterraneum*, qui junctus cum corporibus aqueis aut aliis producit halitus, ipsósque à terræ visceribus sursum emittit: Nam calori Solis attribuere elevationem ejusmodi halituum non debemus; cum Solis calor vix in paucos à superficie pedes pervadat, & metallariorum experientia convincat exhalationes à quingentis orgyis prodire; satius est igitur elevationem illam vaporum & exhalationum tribuere potiùs ignibus subterraneis, qui variis in locis eructantur, potissimùm in montibus Ætna, Vesuvio, & Hecla, qui tot aquas thermales calidas reddunt: Idque confirmatur ex eo quòd illi halitus ex fundo maris interdum erumpunt, & sursum visibiliter ascendunt, & ita effunduntur, cœlúmque eripiunt ex nautarum oculis vt tempestates & procellas creent, quod sanè ostendit alium quàm solarem calorem vigere infra maris fundum, quo vis illa tanta halituum excernatur & propellatur; Itaque non negandum quidem, quin calore Solis quippiam exhaletur ex terræ & aquæ superficie, sed tamen quod præcipuam meteoris originem facit, id videtur prodire ex locis subterraneis, & vi caloris subterranei excitari.

5. *Locus meteororum*, vel est terra, quæ est locus terræmotuum & ignium subterraneorum: vel aqua quæ est locus tempestatum & turbinum; vel aër, qui est locus fulminum, nubium, ventorum &c. vel cœlum quod est locus Cometarum quamplurimorum.

6. Meteora dividuntur in ignita, aërea, aquea, & terrea de quibus sigillatim agendum est.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Meteoris ignitis.

1. *Meteora ignita* sunt corpora imperfecta ex pingui calida & sicca exhalatione contracta, quæ ignem concipiunt, vel per antiperistasim, vel per motum, vel per calorem Solis aut alterius corporis.

2. *Meteora ignita*, vel sunt *magis insignia*, vt fulmen, & Cometa; vel *minus insignia*, vt fax, lancea, Draco volans &c. Nos autem primò agemus de fulmine; secundò de Cometa, tertiò de reliquis meteoris igneis.

DE FVLMINE.

3. FVlmen est meteorum ignitum ortum ex calida & sicca exhalatione, quæ cum vapore aqueo ad mediam aëris regionem delata, ibique à vapore aut nube vehementer compressa, ac tandem accensa, nubem effringit, & sic tonitru, fulgur, ac fulmen efficitur, adeo vt tonitru sit sonus, fulgur sit splendor, & fulmen ipsa exhalatio magno impetu è nube excussa.

4. *Fulmen triplex* est scilicet *terebrans*, *discutiens*, *& vrens*: *Primum* est flammeum, & materiæ valde subtilis, & ideo in angustissimas rimulas corporum se insinuat: *Secundum* est crassum ex materia valde compacta, ideo corpora obuia disrumpit, illudque interdum lapis fulmineus comitatur juxta communem Philosophorum sententiam: *Tertium* est magis igneum quàm flammeum, ideo corpora objecta in ignem conuertit.

5. *Effectus fulminis præcipui* sunt. Primò, *fulmen interdum firmiora, & magis resistentia potentiùs ferit*; *minùs autem resistentibus parcit*; verbi gratiâ liquefacit argentum illæsa crumena, gladium disrumpit intactâ vaginâ, ossa diffringit incolumi carne: Tales autem effectus conueniunt *fulmini terebranti ex partibus tenuissimis, sed actuosissimis composito*, quod parcit rebus mollibus, porosis, & rarefactis, quales sunt cutis, caro, crumena, vagina, laurus &c. disrumpit verò dura & solida, qualia sunt argentum, ferrum, ossa &c.

6. Secundò, *fulmen illæsa re solidiori fluidiorem consumit*, vt cùm illæso dolio exsiccat & exhaurit vinum, qui effectus convenit *fulmini terebranti* composito *ex partibus calidis & siccis, tenuissimis, & actuosissimis*; quæ propter subtilitatem & tenuitatem transeunt per dolium porosum ipso illæso; at propter calorem & siccitatem reducunt vinum in fumos subtiles, & sic ipsum consumunt. Idem fulmen consumit substantiam cerebri humidi, illæsis partibus illis porosis capitis per quas transit.

7. Tertiò, *fulmen interdum totum dolium comburit, vino non effluente*; qui effectus convenit *fulmini vrenti*; cum enim tunc exhalatio inflammata sit magis ignea & viscosa suam activitatem priùs exercet circa dolium, & posteà ex partibus vini crassioribus & fæcibus ad superficiem euocatis format crustam satis duram impedientem vinum ne effluat. Dioscorides lib. 4. cap. 70. notat herbam psellium producere eundem effectum, quoniam hæc herba vino commixta replet ipsum humore viscido, qui calore

lore vini ad extremitates dolij expulsus, format crustam impedientem ne vinum effluat.

8. Quartò, *Fulmen frequenter venenum è rebus venenatis tollit*, eò quod fulmen venenosos spiritus ex iis educat; *è contrà res priùs non venenatæ fulminis contractu venenum contrahunt*, ob sulphureos & malignos quosdam halitus ipsi admixtos.

9. Quintò *fulmen interdum nigredinem inducit*: Quia Sol nunquam elevat exhalationem sine aliquo vapore qui partibus exhalationis adjungitur, vnde sæpiùs contingit, vt postquam partes calidæ & siccæ exhalationis aut fulminis vim suam exercuerunt, vapor humidus naturâ suâ fuliginosus parùm vrat & nigredinem inducat in corpora fulmine tacta.

10. Sextò, *fulmen ordinariè sulphureum odorem emittit, qui sentitur à nobis*: Quia exhalatio ex qua formatum est fulmen, educta est ex locis & terris sulphure abundantibus; & valde probabile est fulmen ordinariè esse compositum ex partibus sulphureis & nitrosis, sicut puluis tormentarius, cum similes ingentes sonos & effectus producat.

11. Septimò, *fulmen ferit sæpius loca excelsa quàm humilia, montes quàm planities* &c. quia fulmen valdè obliquè mouetur à nube in terram, & quæ sic mouentur necessario feriunt potiùs loca excelsa quàm humilia: Motum autem fulminis esse obliquum patet ex eo quòd dum partes crassiores fulminis nitun ur rectà descendere, partes igneæ quæ sunt subtiliores nituntur rectà ascendere, ex duobus autem istis conatibus resultat motus medius & obliquus de vtroque quodammodo participans.

12. Octauò, *fulmen sæpe nihil lædit, & sæpe non decidit in terram*: Quia fulmen sæpe disrumpit partem superiorem nubis, & sic ex ea prodit; quo casu fulmen movetur versus cœlum non versus terram; imò quando disrumpit partem inferiorem nubis non descendit omninò in terram, ob debilitatem & nimiam ejus subtilitatem, quæ in causa est vt in aëre dissipetur.

13. Hìc quæri solet primò *quænam sit differentia inter fulgur & fulmen?* Respondetur eandem fere esse differentiam quæ reperitur, inter flammam ignis & lucem ejus vndique apparens: At hæc differentia non est essentialis, cùm flamma & lumen ejus, fulmen & fulgur sint ejusdem materiæ specificæ, sed est tantùm accidentalis, consistens in eo quòd partes flammæ & fulminis sint magis vnitæ, & compressæ, & ideò fortiùs agunt; partes verò luminis & fulguris sint rarissimæ & tenuissimæ, & ideo debiliùs agunt vnde fit vt tota differentia sit secundum magis aut minus, & quod vnum sit perfectius altero; magis autem & minùs, perfectum & imperfectum non variant speciem aut essentiam.

14. Hìc quæri solet secundò, *cur fulgur videatur, antequàm audiatur?* Respondetur, fulgur nihil aliud esse quàm Lumen fulminis, aut exhalatio-

nis inflammatæ; tonitru verò nihil aliud esse quàm aërem motum, aut potiùs sonum ex aëre moto productum in aure; at lumen multò velociùs mouetur quàm aër, & per consequens lumen priùs ferit oculum, quàm aër motus aurem.

15. Hîc quæri solet tertiò, *cur fulgur sæpe fit sine tonitru, & tonitru sine fulgure?* Respondetur, quòd sicut in pulvere tormentario, si grana non sint compressa, sed dispersa, & pulvis accendatur, non edit sonum nisi exiguum, at si grana in tormento bellico sint valde compressa, puluis accensus prodiens ingentem edit sonum: Sic in exhalatione si partes non sint compressæ à vapore aut nube, sed sint dispersæ, & exhalatio accendatur, fit quidem fulgur, sed sine tonitru & fulmine, at si sint valde compressæ à nube, & exhalatio accendatur, tunc magno impetu disrumpit nubem & ingentem sonum edit, qui dicitur tonitru. E contrà tonitru fit sine fulgure, quando exhalatio in nube inclusa & nondum accensa, nititur prodire, & tali agitatione ferit latera nubis; sic enim formatur tonitru quod dicitur tumultuosum sine fulgure, eò quòd exhalatio non sit accensa à qua sola procedit fulgur: Quòd si exhalatio accendatur, & formetur tonitru quin fulgur percipiatur, signum est exhalationem disrumpere partem superiorem nubis, & partem inferiorem nubis crassiorem impedire quominus fulgur videatur.

16. Hîc quæri solet quartò, *cur tonitrua & fulmina frequenter fiant verè & autumno, rarò verò æstate & hyeme?* Respondetur, Solem tempore hyberno non habere vim attrahendi vsque ad mediam aëris regionem exhalationes requisitas ad formationem fulminum, ob debilitatem radiorum terram obliquà tantùm ferientium; & si exhalationes aliquæ eleuentur, non habent vim disrumpendi nubes: Tempore verò æstiuo media aëris regio non satis est frigida ad convertendos vapores in nubes densas, vnde fit vt nubes subtiles liberum exitum præbeant exhalationibus ad formationem aliorum meteororum in suprema aëris regione: At vere & autummo exhalationes plures & fortiores sunt quàm hyeme, & nubes densiores quàm æstate.

17. Hîc quæri solet quintò, *quomodo fulmen possit è nube in terram descendere, cum sit tantùm exhalatio accensa, & ignis tendat sursum?* Respondetur, fulmen aut fulmineum igem non prodire ex nubibus, sed aduenire supernè glomeres nubium materiam fulmineam involuentium, & ignem tantùm erumpere vbi effectus fulminis eduntur.

18. Hîc quæri solet sextò; *an fulmen sit lapis, vel an fulmineus lapis comitetur fulmen & è nubibus evibretur dum fulminat?* Respondetur, nec fulmen esse lapidem, nec lapidem fulmineum comitari fulmen; licet autem materia fulminis quæ intra nubem cogitur, possit quodammodo condensari; attamen quòd dum concipit flammam condensetur & in lapidem cogatur, verisimilitudine prorsus caret. Quòd si agnoscendi sint aliqui lapides fulminei, censendi sunt similes illi qui anno 1637. die 29. Novembris.

vembris, sub matutinam horam decimam, decidit in montem Vassonem in Provincia; erant tunc omnia nive obducta, erat serenissimum cœlum, auditi primùm quidam quasi ictus bellicorum tormentorum, & mox è Bulliensi ditione advenire apparuit circulus quidam flammeus & versicolor, & diametri pedum quasi quatuor, alius à terra quasi orgyis quinque, qui decidit inter Guillelmos & Pedonam oppida, & foueam fecit cujus diameter vnius pedis, profunditas trium pedum, in cuius fundo deprehensus est lapis qui deciderat quique effossus visus vitulino capiti par, sed nonnihil rotundior, color metallicus subfuscus, exquisita durities pondus vulgarium lapidum gravitatem exsuperans, fuit nempe librarum quinquaginta quatuor. Iam non esse istum lapidem fulmineum & extrusum è nubibus, quia cum decidit serenissimum erat cœlum: Fuit igitur potiùs è terra vel è monte quodam vicino extrusus vi cujusdam materiæ sulphureæ & nitrosæ inflammatæ.

DE COMETA.

19. ARistoteles libro 1. Meteor. cap. 7. asserit *Cometam* esse meteorum igniium, genitum ex calida, pingui, viscosa & ampla exhalatione, ad supremam aëris regionem delata, & ibidem in modum stellæ majoris inflammata.

20. *Decipitur Aristoteles* primò, in eo quòd ponat cometas sublunares duntaxat, cum sæpe appareant in cœlo stellifero, vt probatum est dum de cœlis.

21. Secundò, In eo quòd existimet cometas gigni ex solis exhalationibus terrestribus cum tamen valdè probabile sit exhalationes terrestres non esse sufficientem materiam ad formandos cometas, siquidem ejusmodi cometæ interdum sunt majores terrâ. Non tamen negandum est eiusmodi exhalationes, partialiter conferre ad formationem cometarum; eò quòd sterilitas terræ sæpe inde oriatur, quæ aliunde non videtur repetenda quàm ab exhalationibus pinguibus è terra eductis, & sursum evectis: Item quòd terræ motus venti & tempestates ab iis excitentur, quæ non videntur aliò refundi posse.

22. Vnde patet Cardanum malè statuisse cometam nihil aliud esse quàm vanam apparentiam, quæ ob reflexionem & refractionem radiorum solarium oritur in cœlo; eo ferè modo quo vel parelius ex varia lucis solaris modificatione in nubibus formatur. Alii verò dicunt cometas tantùm apparere per condensationem medii cœlestis, quod refutatur ex iis quæ suprà Snellius tractatu de cometa qui apparuit anno 1618. dicit cometam esse partem Solis ab eo separatam. Alij existimant cometas esse stellas diversum motum ab aliis habentes, & apparere cum ad nos accedunt, non-

apparere quando nimis recedunt. Ego autem existimo cometam esse meteorum ignitum, & præsertim genitum ex materia cœlesti magis ignea, concurrentibus tamen terræ exhalationibus pinguibus, viscosis & amplis ibidem inflammatis.

23. *Motus cometarum est spiralis*, cum post viginti quatuor horas non redeant ad idem punctum vnde discesserant, sed magis accedant ad Septentrionem, vel ad austrum: Causa verò talis motus eadem est quæ stellarum, de qua suprà dum de astris.

24. *Tempus durationis cometarum incertum est*; tamen dicitur non durare minùs quàm per septem dies, sicut rarò excedunt aliquot menses: Iosephus meminit cometæ qui paulò ante excidium Hierosolymitanum per vnum annum apparuit. Seneca libro secundo de nat. quæst. cap. 21. refert visum fuisse cometam tempore Neronis, qui per sex integros menses duravit: Sidus novum quod apparuit in Cassiopeia anno 1572. per biennium perseveravit. Astronomi observarunt quotiescunque tres planetæ superiores scilicet, Iupiter, Saturnus, & Mars conjunguntur, quod fit circiter singulos centum annos, solere nasci insignes cometas, vnde & ille qui posttremò fulsit anno *1618.* prædictus fuisse dicitur viginti quinque annis anteà, & locus eius assignatus ab Astronomis.

25. *Cometa* vel *comatus seu crinitus*, vel *barbatus*, vel *caudatus*, pro diversitate materiæ, & diversa lucis solaris receptione: Si enim in medio materia sit densior partes extremæ apparent in forma crinium; atque adeo *cometa* dicitur *crinitus*: Si verò materia sit rarior, & paulò in longum porrecta, fit *barbatus*: Denique si materia valde in longum sit porrecta, fit *cometa caudatus.*

26. Hic quæri solet *an cometa præsagiant mortem principum, bella, nec non eversiones regnorum, & alia similia?* Respondetur, cometam ex naturâ suâ nihil horum præsagire aut significare: Nam esse principem non est aliqua entitas ordinis naturalis, sed denominatio purè moralis, atque adeo cometæ, qui sunt entia naturalia, non plus possunt in principem quàm in alium; bella quoque & eversiones regnorum pendent à voluntate humana, ordinante divina providentia; at cœli, astra, & cometæ, physicè directè non possunt agere in voluntatem humanam, vt probatum est dum de cœlis & astris; ea tamen annotata fuisse à curiosis, quia cometæ habent quasdam malignas influentias, morborum procreatrices, quibus correpti principes aliqui fortè moriuntur; mors autem illa principum magis notatur quam mors vilis plebeculæ. Non nego tamen cometas fortè esse signa judiciorum Dei & præsagia malorum, non naturaliter, sed ex Dei voluntate: Dixi fortè, quia id tanquam certum statui non potest, cum Deus nihil hac de re revelaverit.

DE METEORIS IGNITIS MINUS insignibus.

27. Meteora ignita minus insignia sunt fax, lancea, ignis perpendicularis, capræ saltantes, & stellæ errantes, *quæ omnia dicuntur fieri in suprema aëris regione* : Item draco volans, *qui fit in media aëris regione*; ac tandem ignis fatuus, ignis lambens, Castor, Pollux & Helena, *quæ fiunt in infima aëris regione* : Omnia autem hæc meteora nomen ut plurimùm desumunt à figura quam referunt, adeo ut quodlibet possit definiri meteorum ignitum talem figuram referens, putà facis, lanceæ &c.

28. *Stellæ errantes* contingunt quando exhalatio aliqua oblonga successivè ignem corripit, unde fit ut ignis tanquam stella discurrere videatur : Quòd si pars exhalationis superior priùs inflammetur, dicitur *stella cadens*; si verò inferior dicitur *stella ascendens*, non sunt autem veræ stellæ, quia non fiunt in cœlo stellifero, & statim dissolvuntur.

29. *Ingnis fatuus* quem Galli vocant, *feu follet, ou ardent*, educitur potissimùm ex patibulis, aliisque locis pinguibus, viscosis & palustribus : Non habet autem alium quàm aëris motum ; unde interdum contingit ut viatores ejusmodi ignem sequentes in aquas aut præcipitia deducantur.

30. *Ignis lambens* est exhalatio ex materia pingui & crassa & ut plurimùm ex sudore animalium calidi temperamenti educta, solétque cervicibus insidere easque lambere, ut accidit in leonibus & felibus, & olim contigit in Servio Romanorum Rege.

31. *Castor, Pollux, & Helena*, sunt exhalationes, quæ tempore tempestatis & procellarum solent malis & antennis navium adhærescere : Quòd si exhalatio secundum omnes partes bene sit compacta, dicitur *Helena*, quæ ut plurimùm est infausta ; si verò in medio sit subtilior & in duas partes distracta videatur, dicitur *Castor & Pollux*, qui ut plurimùm fausti sunt, eò quòd materiam brevi dissolvendam significet.

32. Superioribus addi possunt flammæ prodigiosæ, quales sunt illæ quæ referunt homines armatos & pugnantes, aut quæ referunt manus gladium rubrum tenentes ; quæ flammæ possunt naturaliter contingere, plerunque tamen aliquid significant Deo sic ordinante.

apparere quando nimis recedunt. Ego autem existimo cometam esse meteorum ignitum, & præsertim genitum ex materia cœlesti magis ignea, concurrentibus tamen terræ exhalationibus pinguibus, viscosis & amplis ibidem inflammatis.

23. *Motus cometarum est spiralis*, cum post viginti quatuor horas non redeant ad idem punctum vnde discesserant, sed magis accedant ad Septentrionem, vel ad austrum: Causa verò talis motus eadem est quæ stellarum, de qua suprà dum de astris.

24. *Tempus durationis cometarum incertum est*; tamen dicitur non durare minùs quàm per septem dies, sicut rarò excedunt aliquot menses: Iosephus meminit cometæ qui paulò ante excidium Hierosolymitanum per vnum annum apparuit. Seneca libro secundo de nat. quæst. cap. 21. refert visum fuisse cometam tempore Neronis, qui per sex integros menses duravit: Sidus novum quod apparuit in Cassiopeia anno 1572. per biennium perseveravit. Astronomi observarunt quotiescunque tres planetæ superiores scilicet, Iupiter, Saturnus, & Mars conjunguntur, quod fit circiter singulos centum annos, solere nasci insignes cometas, vnde & ille qui postremò fulsit anno 1618. prædictus fuisse dicitur viginti quinque annis anteà, & locus eius assignatus ab Astronomis.

25. *Cometa* vel *comatus seu crinitus*, vel *barbatus*, vel *caudatus*, pro diversitate materiæ, & diversa lucis solaris receptione: Si enim in medio materia sit densior partes extremæ apparent in forma crinium; atque adeo *cometa* dicitur *crinitus*: Si verò materia sit rarior, & paulò in longum porrecta, fit *barbatus*: Denique si materia valde in longum sit porrecta, fit *cometa caudatus*.

26. Hic quæri solet *an cometa præsagiant mortem principum, bella, nec non eversiones regnorum, & alia similia?* Respondetur, cometam ex naturâ suâ nihil horum præsagire aut significare: Nam esse principem non est aliqua entitas ordinis naturalis, sed denominatio purè moralis, atque adeo cometæ, qui sunt entia naturalia, non plus possunt in principem quàm in alium; bella quoque & eversiones regnorum pendent à voluntate humana, ordinante divina providentia; at cœli, astra, & comete, physicè directè non possunt agere in voluntatem humanam, vt probatum est dum de cœlis & astris; ea tamen annotata fuisse à curiosis, quia cometæ habent quasdam malignas influentias, morborum procreatrices, quibus correpti principes aliqui fortè moriuntur; mors autem illa principum magis notatur quam mors vilis plebeculæ. Non nego tamen cometas fortè esse signa judiciorum Dei & præsagia malorum, non naturaliter, sed ex Dei voluntate: Dixi fortè, quia id tanquam certum statui non potest, cum Deus nihil hac de re revelaverit.

DE ME-

DE METEORIS IGNITIS MINUS insignibus.

27. Meteora ignita minus insignia sunt fax, lancea, ignis perpendicularis, capræ saltantes, & stellæ errantes, *quæ omnia dicuntur fieri in suprema aëris regione* : Item draco volans, *qui fit in media aëris regione*; ac tandem ignis fatuus, ignis lambens, Castor, Pollux & Helena, *quæ fiunt in infima aëris regione* : Omnia autem hæc meteora nomen ut plurimùm desumunt à figurâ quam referunt, adeo ut quodlibet possit definiri meteorum ignitum talem figuram referens, putà facis, lanceæ &c.

28. *Stellæ errantes* contingunt quando exhalatio aliqua oblonga successivè ignem corripit, unde fit ut ignis tanquam stella discurrere videatur : Quòd si pars exhalationis superior priùs inflammetur, dicitur *stella cadens*; si verò inferior dicitur *stella ascendens*, non sunt autem veræ stellæ, quia non fiunt in cœlo stellifero, & statim dissolvuntur.

29. *Ingnis fatuus* quem Galli vocant, *feu follet, ou ardent*, educitur potissimùm ex patibulis, aliisque locis pinguibus, viscosis & palustribus : Non habet autem alium quàm aëris motum; unde interdum contingit ut viatores ejusmodi ignem sequentes in aquas aut præcipitia deducantur.

30. *Ignis lambens* est exhalatio ex materia pingui & crassa & ut plurimùm ex sudore animalium calidi temperamenti educta, soletque cervicibus insidere easque lambere, ut accidit in leonibus & felibus, & olim contigit in Servio Romanorum Rege.

31. *Castor, Pollux, & Helena*, sunt exhalationes, quæ tempore tempestatis & procellarum solent malis & antennis navium adhærescere : Quòd si exhalatio secundum omnes partes bene sit compacta, dicitur *Helena*, quæ ut plurimùm est infausta; si verò in medio sit subtilior & in duas partes distracta videatur, dicitur *Castor & Pollux*, qui ut plurimùm fausti sunt, eò quòd materiam brevi dissolvendam significet.

32. Superioribus addi possunt flammæ prodigiosæ, quales sunt illæ quæ referunt homines armatos & pugnantes, aut quæ referunt manus gladium rubrum tenentes; quæ flammæ possunt naturaliter contingere, plerunque tamen aliquid significant Deo sic ordinante.

ARTICULUS QUARTUS.

De Meteoris Aëreis.

1. *Meteora aërea* vulgò ponuntur ista, Iris, ventus, vorago, hiatus, halo, parelius, & paraselene.

DE IRIDE.

2. *Iris* est arcus multicolor in nube rorida, concava, & opaca, ex radiorum solarium reflexione apparens; quæ definitio comprehendit causam efficientem & materialem Iridis. *Causa enim efficiens Iridis* est Sol vibrans radios in nubem: *Causa verò materialis* est nubes rorida recipiens solares radios. Fit autem Iris vulgò, quando Sol emittit radios in nubem roridam & diaphanam in parte inferiori, & opacam in parte superiori; ex eo enim quòd nubes sit ita disposita fit ut recipiat lucem Solis, quam reflectit ad nos ob quandam opacitatem, quæ radiis solaribus non penetratur.

3. *Lux intercepta intra nubem nobis repræsentat diversos colores*: Cum enim nubes in suprema parte sit crassior, eâ parte colorem purpureum & rubrum refert; nam lumen permixtum exhalationi nigræ & densæ refert rubrum colorem, ut patet in carbone accenso, & aliis similibus; medius color nobis apparet viridis, eò quòd nubes in medio rarior sit, quàm in summo, ultimus verò color apparet cæruleus, quia nubes in inferiori parte rarior est quàm in medio & summo: Alii addunt colorem flavum, & alios minùs præcipuos. Scaliger existimavit nubem constare ex omnium elementorum particulis, & supremas excipientes lucem rutilare tanquam igneas, sequentes flavescere tanquam aëreas, tertias virescere tanquam aqueas, extremas fieri cæruleas & nigricantes tanquam terreas.

4. *Figura Iridis* est circularis aut in arcum; quia radii Solis à corpore Solis tanquam à centro aut quasi centro diffunduntur æqualiter per lineam rectam; hoc enim habent omnia corpora luminosa, ut ab unoquoque sui puncto emittant radios per lineas rectas æqualiter; ex quo sequitur ut radii omnes simul qui procedunt à corpore luminoso semper desinant in circulum aut semicirculum; non quòd radii singuli efficiant circulum aut semicirculum, cum singuli terminentur puncto, sed quòd linea quę ducitur ab extremis punctis linearum sit semper circularis aut in arcum.

5. Cæte-

5. Cæterùm constat primò, fieri Iridem in regione Soli sic opposita, ut nos intercedamus medii, adeo ut si lineâ à Sole in nostrum oculum ducta continuarii intelligatur, ea sit transitura per Iridis centrum. Secundò, si quis in planitie fuerit, nullámque nubis portionem se inferiorem habuerit, Iris est apparitura aut semicirculo minor, Sole scilicet existente suprà horisontem; vel semicirculo æqualis, Sole in horisonte constituto: At si quis fuerit elevatior, & nubem habuerit, vel totam, vel quamdam ex parte depressiorem, Iris videbitur major semicirculo. Tertiò, Iris primaria ejus est capacitatis ut illius diameter ad quadrantem unius circuli maximi quàm proximè accedat: Iris verò secundaria constat diametro decem proximè gradibus productiori.

6. *Cartesius* notavit Iridem non tantùm in cœlo apparere, sed etiam in aëre nobis vicino, quoties multæ in eo aquæ guttæ à Sole illustratæ existunt, ut in fontibus quibusdam per fistulas aquas ejaculantibus experimur: Inde autem judicavit Iridem procedere à solo modo quo radii luminis in guttas agunt, atque inde ad oculos nostros tendunt, quod fit per quasdam refractiones & reflexiones ipsius luminis ad oculum; lumen autem illud quod velocius movetur versùs oculum, producit colorem rubrum; quod tardiùs viridem, quod tardissimè cæruleum: Cum autem istæ guttæ sint homogeneæ, & earum partes sint omnino similes, clarum est sententias Aristotelis & Scaligeri de coloribus Iridis suprà allatas esse falsas; & Cartesium totam rem clarè & doctè explicasse libro de Meteoris cap. 8.

7. Quod ad præsagia aut effectus Iridis attinet; certum est ex historia sacra Iridem significare nullum unquam ampliùs futurum diluvium, quod signum est ex instituto divino; esse etiam ordinariè signum naturale pluviæ præsentis aut mox futuræ cum Iris non appareat nisi in nube rorida, aquosa & in aquæ guttas rotundas conversa.

DE VENTO.

8. QUatuor sunt præcipuæ *Philosophorum sententiæ de Vento: Prima est Aristotelis*, qui refert originem ventorum ad terram; existimavit enim fieri ex exhalatione sicca & terrestri, quæ elevata ad supremam aëris regionem agitatione cœli circumagitur, & huc & illuc aërem pulsat: Et licet agnoscat ventos fieri etiam ex vaporibus aqueis, attamen statuit exhalationes aut halitus siccos prædominari. Hæc opinio videtur confirmari ex eo quòd anni æstuosi & sicci sint maximè ventosi; quòd ventus pluviâ superveniente quasi suffocetur; quod Ventus habeat virtutem exsiccandi; quòd ventus in sinubus magis quàm in alto mari furens, exhalationem è terra potiùs quàm è mari esse demonstret; quòd in

magnis incendiis aura circum excitetur, & in locis vulcaniis frequentes tempestates fiat.

9. Contra hanc sententiam dico primò, quòd ex ea sequitur omnem ventum debere flare ab ortu ad occasum, ob motum cœli ab ortu in occasum, Dico secundò, exhalationem non elevari usque ad supremam regionem, & in ea regione non fieri ventos; cum suprà celsissimos montes infra illam regionem existentes non flent venti.

10. *Secunda sententia est Theophrasti* ex Olympiodoro in lib. 1. & 2. Meteor. qui existimavit ventum esse halitum constantem partem ignea, partim ex terrena substantia; adeo ut quà igneus feratur sursum, quà terrenus verò deorsum, & contrariis connitentibus viribus statuit fieri motum obliquum seu transversum. Recentiores aliam causam dixerunt, & censuerunt exhalationem è qua ventus est, in altum quidem tendere, cum calida & sicca sit; sed deorsum repelli à frigore mediæ regionis aëris; & ex utroque motu fieri motum obliquum. Hæc sententia refutatur ex eo quòd materia venti sit potiùs aqua quàm terra, ut patebit ex sequenti sententia.

11. *Tertia sententia est Metrodori, Vitruvii, & aliorum*, qui existimarunt ventum fieri ex vapore aqueo constante igne & aqua; quod explicatur à Vitruvio lib. 1. cap. 6. his verbis, ventus nascitur cum fervor offendit humorem, & impetus fervoris exprimit vim spiritus flantis; id autem verùm esse in Æolipilis æreis licet aspicere, quæ fiunt cavæ, & habent angustissimum foramen per quod aquæ infunduntur, deinde collocantur ad ignem; & antequam calescant nullum habent spiritum, simul autem ac fervere cœperint, efficiunt vehementem flatum; Ideo ventus nihil aliud esse videtur quàm aqua calefacta, aut compositum ex aqua & igne in loco angusto conclusis. Hæc sententia cæteris est præferenda, siquidem videmus ex abyssis magnisque voraginibus ventos frequentes exspirari, quia aquæ subterlabentes calore subterraneo incalescunt, & in halitus aut ventos convertuntur.

12. *Quarta sententia est Hippocratis, Anaximandri, Senecæ, & Stoicorum*, qui existimarunt ventum nihil aliud esse quàm aërem agitatum, aut fluxum aëris, adeo ut sicut aër agitatur, vel flabello, vel follibus, vel aliis instrumentis absque exhalatione, sic aër potest agitari, & ventus formari, sive ex natura sua, sive à radiis solaribus aërem attenuantibus, & ei motum suum imprimentibus.

13. Contra hanc sententiam dici potest primò, omne elementum, atque adeo aërem in proprio loco quiescere, si igitur moveatur ab extrinseco debet moveri; & illa res quæ agitat aërem propriè debet dici ventus. Secundò, si aër ex natura sua, aut à Sole moveatur non potest reddi ratio, cur venti moveantur motibus contrariis; alii enim moventur ab ortu ad occasum, alii ab occasu in ortum &c. Tertiò, inde sequeretur omnes ventos habere easdem qualitates, & producere eosdem effectus, quod est contra experientiam.

14. Ego

14. *Ego existimo*, quòd licet ventus nihil aliud esse videatur quàm agitatio aëris aut aër agitatus; attamen cum aër ex natura sua sit tranquillus, & ex tranquillo agitatus evadere non possit, aliquid eum subire debet, quod ipsum alioquin quieturum commoveat, & nunc calidum nunc frigidum faciat, nunc in Austrum, nunc in Boream, nunc in aliam partem compellat; & hoc nihil aliud esse mihi videtur quàm *vapor compositus ex aqua & igne*; vel *ex aqua, igne & aëre, & fortè etiam ex quatuor elementis*, eò quòd sal quod est ex parte terreum ventum cum aliis componat: *Ventus* enim *frigidus* est compositus ex aqua & nitro aut alio sale frigido; *ventus calidus* est compositus ex aqua & sale ammoniaco aut alio sale calido: Quare venti fiunt cum spiritus commiscentur vaporibus; sales autem nunquam deficiunt, cum absque sale nihil generetur: Et inde fortè reddi potest ratio, cur Etesiæ venti salutares tum primùm perflare Ægyptum incipiant, cùm exundare incipit Nilus; cum enim deprehensum sit Nili aquas esse admodum nitrosas (unde & Ægypti fœcunditas est) nova est nitri copia, quæ exundante Nilo defertur in mare & commiscetur sali marino, ac ventum proinde creat frigidum & salutarem, adeo ut eodem tempore pestis cesset, & hi sales sunt quibus condita corpora à putrefactione arcentur.

15. Hîc quæritur primò, *cur frigidi venti non conturbent serenitatem, conturbent verò calidi?* Respondetur, frigidos ventos non conturbare serenitatem; sed eam inducere & nubes expellere; quòd corpuscula aquea à salis communis halinitrique corpusculis astricta conglacient, ac proinde in vapores ac nubes non convertantur: At calidos ventos conturbare serenitatem, quòd corpuscula aquea laxiora relicta à suorum salium calidorum corpusculis, facilè coëant, & in vapores ac nubes convertantur.

16. Hîc quæritur secundò, *undenam ille impetus ventorum, & tantus, & diuturnus?* Respondetur, non esse ex ipsa eruptionis vi, cum venti qui efflantur ex antris aut hiatibus, qualis est Ponthias ad oppidum Niontium, alius ad montem ventosum &c. in ipso exortu sint lenissimi, & in progressu solùm concitati evadant, & vires acquirant: Probabilius igitur est impetum ventorum oriri ex ipsa salium agitatione; sales enim nunquam quiescere, docet præsertim ipsa nitri motitatio, adeo vehemens, ut in carbones immissum, statim ex illius rapidissima quasi ventilatione flamma excitetur; nimirùm videntur corpuscula salis & maximè nitri, ubi exsilierunt in libertatem aëris, initio quidem ipsa aëris corpuscula impellere, sed hæc quòd nonnihil resistant, non statim rapidè moveri, ac velocitatem duntaxat eatenus acquirere, quatenus jam mota moventur. Videtur autem motus seu impetus tantò major evadere, quanto confertiora corpuscula prodeunt, quæ corpusculis aëris suos quasi ictus imprimant ac multiplicent: Et aliunde esse tantò diuturnior, quantò id quod fuerit ad exhalandum comparatum tardiùs fuerit consumptum.

17. *Recentiores Nautæ triginta duos ventos præcipuos ponunt quatuor cardinales* ex quatuor mundi partibus flantes, scilicet ex ortu, occasu,

Septentrione, & meridie; *octo dimidiates*, qui sunt inter hos quatuor cardinales, & *viginti quartes*, qui sunt inter dimidiatos.

DE RELIQVIS METEORIS AEREIS.

18. Reliqua *Meteora aërea* sunt vorago, hiatus, halo, parelius, & paraselene. *Vorago* est Meteorum aëreum, ortum ex exhalatione in medio densissima, & in extremitatibus rariori, unde medium nigrescere, & ingentem quandam profunditatem & quasi voraginem referre videtur; hoc enim habet obscurus color ut nobis aliquid profundum repræsentet. *Hiatus* est tantùm minor vorago.

19. *Halo* est nubes sub quodam astro non prohibens ejus lucem, sed ejus refractione coronam lucidam circa astrum efficiens; unde etiam halo dicitur Corona & Area; & si Area sit grandior sub Luna, à quibusdam dicitur Iris lunaris. Licet autem halo seu area lunaris, ferè duntaxat albescens circulus appareat, attamen area solaris est variegata & multicolor, suntque colores illi iidem prope qui in Iride secundaria.

20. *Parelius* est imago Solis in nube expressa. *Paraselene* verò est imago Lunæ in nube expressa. Testatur Plinius non plures simul ad suum ævum visos Soles quàm tres; verùm sex in Polonia visi sunt anno 1625. Romæ quinque visi sunt à Scheinero anno 1629. & anno sequenti septem.

ARTICVLVS QVINTVS.

De Meteoris aqueis.

1. Meteora aquea præcipua sunt nubes, pluvia, nebula, nix, grando, glacies, ros, pruina, mel, manna, & saccharum.

2. *Nubes* est meteorum aqueum ortum ex vaporibus ex aqua aut locis aquosis emergentibus, & sursum elatis à calore Solis aut ignis subterranei, usque ad mediam aëris regionem, ibique frigore ipsius regionis condensatis, & in nubem conversis. Vnde patet materiam vaporum & nubium præcipuè esse aqueam, commisceri tamen ignem cujus beneficio aqua sursum elevatur. Cæterùm halitus illi seu vapores, dum ex terra aut aqua prodeunt invisibiles ut plurimùm sunt, postea verò in medio aëre visibiles fiunt: Cujus rei causa est, quòd dum exhalantur, partes sint inconfertæ, rarissimæ, & maximè dilatatæ; dum verò sursum emerserunt à vento aliquo pellantur, cogantur & incrassescant: Et ideo duo semper requiruntur ad vapores in nubem mutandos, nempe ut illorum partes sint tam

tam propinquæ ut se mutuò contingant, & satis frigoris adsit ad illas dum se ita invicem tangunt sistendas & convertendas; non enim sufficeret frigus vel intensissimum, si particulæ vaporum per aërem sparsæ, tam remotæ essent ab invicem, ut nullo modo jungi possent; nec sufficeret etiam ipsas esse valdè vicinas, si tanta esset caloris agitatio ut impediret illarum nexum: Ita non semper in sublimi aëre nubes coguntur, licet frigus sit vehemens, sed insuper requiritur ut ventus aliquis vapores pellat, colligat & condenset in locis in quibus ejus cursus finitur; vel etiam ut duo venti à diversis regionibus flantes illos medios premant atque accumulent; vel ut alter eorum illos in nubem jam formatam impellat & cum ea conjungat; vel tandem ut ipsi vapores inferiori nubis alicujus parti occurrentes, dum à terra elevantur, ad invicem accedant.

3. *Nubes albæ* ordinariè sunt magis aëreæ; *nigræ* sunt magis aqueæ; *rubræ* sunt refertæ exhalationibus; & *manè rubræ* significant ordinariè ingruentem pluviam, quòd vapores insinuentur ascendere, nihil obstante frigore noctis; *vespere* verò *rubræ* significant serenitatem in crastinum, quòd vapores insinuentur procidere nihil obstante dici calore.

4. Hic quæri solet, *quomodo nubes sustententur in aëre cum sint ipso ponderosiores*, ut vel arguit aquarum copia quæ ex ipsis effunditur, ne de crassitudine quippiam dicam? Respondetur communiter id fieri quòd contineat adhuc multùm ignis: At probabilius est dicere causam esse motum quo à vento quopiam semper compellantur; cum tranquillitate vigente procidant nubes per prærupta montium.

5. *Pluvia* est nubes in aquam soluta è media aëris regione in terram sine congelatione decidens; quod fit, vel quia ignis qui partem nubis constituebat exhalatur; vel compressione particularum seu guttularum insensibilium à frigore mediæ aëris regionis; quæ guttulæ per ejusmodi compressionem unitæ evadunt in grandiusculas, & ob majorem aliquam sui gravitatem deciduas.

6. *Longæ & ingentes pluviæ* oriuntur potiùs ex vaporibus formatis & elevatis ab ignibus subterraneis, quàm à calore Solis in superficiem terræ aut aquæ duntaxat agentis: Quod confirmatur experientiâ metallariorum subter terram degentium, qui nitentium sursum vaporum vim sentientes, pluviam supra terram brevi casuram esse prædicunt. Attamen quantumvis & diuturnis & ingentibus pluviis eluviones quædam contingant, non potest tamen vi naturæ fieri diluvium universale quo tota terra absorbeatur; siquidem licet aquæ omnes in vapores abirent, cum illi tamen resoluti in aquas rursus fuerint, non major iis excipiendis quàm priùs debebitur locus.

7. Hîc quæri solet primò, *cur in Ægypto ulteriori, & in aliis Libyæ & Indiæ regionibus non pluat?* Respondetur, in illis locis eâ de causa non pluere, quòd subterraneæ aquæ non sunt quæ evaporentur, transmittantur per aërem, & in sublimi concrescant in nubes ac solvantur in pluviam: Vel si aquæ subterraneæ sint, dici potest quòd sicut canes non sudant,

quia cutis compactior transpirationi halituum ex interiori humore genitorum non pateat; ita superficiem regionis Ægypti aliarúmque similium ad aliquot usque orgyas esse instar cutis aut crustæ, adeo compactam ut aqua transpirare non valeat, licet calefacta interno calore.

8. Quæri solet secundò, *quid dicendum de ranarum pluvia?* Respondetur, per pluvias æstivas, aut statim ab ipsis, ranunculas apparere; eas tamen in aëre gigni & instar pluviæ decidere, nulli sunt testes oculati, nec videtur verisimile, cum ejusmodi animalcula ipso casu non exterantur, sed sanissima & integerrima observentur; probabilius igitur est eas oriri vel ex putri materia, vel potiùs ex seminibus ranarum; cum semina rerum omnium in terra & aliis locis existant.

9. Quæri solet tertiò, *quid dicendum de pluvia sanguinis?* Respondetur, ruborem sanguineum non tam apparere in pluvia decidente quàm in collecta, eúmque creari ex commistione halituum calchantivorum, asphalticorúmque aut aliorum similium, ut notavit Chifletius circa pluviam purpuream Bruxellæ observatam; ut prætercam quòd perhibitum est sæpius pluisse sanguinem, ob frequentes guttas per agros, oppidorúmque parietes respersas, quæ guttæ non sunt ex pluvia decidua, sed ex frequentia papilionum qui circa æstivum solstitium in illis locis quieverint.

10. Quæri solet quartò, *quid dicendum de pluvia lactis?* Respondetur, non pluisse lacte, sed aquâ albescente, orta ex vapore quo continetur aliquid materiæ plumbeæ, aut salis Saturni, aut halinitri, aut aliorum ejusmodi candidam aquam reddentium.

11. Quæri solet quintò, *quid dicendum de pluvia lapidum*, quam ad singulos ferè annos commemorat præ cæteris Titus Livius? Respondetur, lapides non esse alios quàm grandineos, sed insignis magnitudinis, & à quibus strages ingens edi possit: Et quidem Recentiores Scriptores, non simpliciter lapides, sed lapides grandinis dicunt; & facit ad hoc maximè quod habetur Iosué 10. ubi postquam Deus dicitur *misisse lapides de cælo magnos*, subjicitur; *& interfecti sunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos filii Israël interfecerunt gladio.*

12. *Nebula* seu *Caligo* ex Aristotele lib. 1. Meteor. cap. 9. est tantùm nubis in aquam conversæ superfluum; & addit eam esse signum serenitatis potiùs quàm pluviæ, quia est veluti nubes sterilis: *Verùm contra dico*, multas nebulas fieri absque ullis pluviis præcedentibus, quæ ex lacubus, fluminibus, locísque aliis aquosis prodeunt: Est quidem nebula serenitatis indicium, sed non quòd absque humore sit, cum irroret humectet & madefaciat, verùm quòd parciore humore constet, quàm ut calore attenuatus respersúsque per aërem, possit facilè cogi in nubem, aut in pluviam concrescere. *Differt igitur nubes à nebula*, quòd nubes pluviæ gravida fiat ex copioso vapore, qui confertim & magna vi prodit ex terræ visceribus, nebula verò gignatur ex vapore, qui superficie tenus lentóque calore ex loco humido eductus & lentè attollitur, & aliundè cohibetur à circumstante frigiditate, adeo ut concrescat quidem & visibilis

fiat,

fiat,sed non elevetur tamen, & terræ potiùs ac aquæ cohæreat; quòd si is calor Solis superveniat qui ipsum discutiat & attenuet, ille ita dispergitur per vastitatem aëris, ut etiam invisus efficiatur. *Nebula* igitur potest definiri meteorum aqueum ortum ex vapore crassiore, qui non potuit à calore evehi usque ad mediam aëris regionem, & ideo hæsit in infima, densissimis tenebris omnia obscurans.

13. *Glacies* est aqua à frigore congelata: Aqua autem durescit in gelu,quia corpuscula sphærica & ignea quæ in ea sunt,extruduntur; sive id fiat coarctantibus mutuò se corpusculis planis quæ intra eandem aquam sunt; sive potiùs subingredientibus ex aëre in aquam planis corpusculis, quæ sphærica & ignea ex aqua explodant, & cum planis in eadem aqua manentibus coadunentur. Aërem autem frigidum esse causam congelationis,patet ex eo quòd aqua non congeletur,nisi circunstet frigidus aër; neque congelari incipiat ab imo seu fundo maris, stagni, fluvii &c. sed supernè solùm qua parte ab aëre tangitur. Nec aliam ob causam glacies levior aqua est, ipsique supernatat, quàm quia dum aqua duratur in glaciem, aër qui in illam ingreditur remanet interceptus; si enim glacies nihil aliud esset quàm merum aquæ corpus compactum, nihilque extraneum interceptum foret, ea occuparet minorem locum, essétque aquâ gravior: Et cum aqua calefacta citiùs frigescat & congeletur quàm frigida,causa alia esse non videtur,quàm quia factâ majore quâdam partium aquæ laxitate,ipse aër faciliùs subingreditur, & vehementiùs stringit particulas aquæ quibus commiscetur. Verùm cum aër videatur esse indifferens ad frigus & calorem,solus aër non videtur esse causa congelationis aquæ; ideo videtur esse recurrendum ad adventitia corpuscula, quæ aërem ipsum priùs frigefaciant: Debete autem illa esse quædam salium & maximè nitri corpuscula; salem autem nitrorsum non officere patet ex duplici experimento; unum est quòd aqua in lagena congeletur,etiam æstate media,dum ipsi circumponitur halinitrum cum sale marino commixtum; alterum est quòd si glaciei planæ applicitæ plano ligno sal commune superponatur, dum exolvitur, ita penetrat in glaciem, ut ad imam usque superficiem perveniens, ipsam cum ligno sic copulet ut vix ab eo avelli possit; unde patet quanta sit vis salium in compingendis indurandísque corporibus alioquin fluxis.

14. Hic quæri solet primò, *cur vinum difficiliùs congeletur quàm aqua?* Respondetur, causam petendam esse ex corpusculis calorificis in vino contentis, quæ propter figuram suam orbicularem, & propter suam mobilitatem, non perinde stringuntur à corpusculis superficierum planarum, ac aquæ corpuscula quorum sunt planæ superficies: argumento est quòd aqua vitæ seu spiritus vini non congeletur, quia spiritus vini nihil aliud est quàm corpusculorum ejusmodi orbicularium congeries; si enim repleta generoso vino lagena gelidissimo aëri,exponatur, exterius vinum congelabitur; at effracta glacie reperitur in ejus medio spiritus vini validus non congelatus; id nimirùm quia dum corpuscula frigorifica aëris

penetrant confertim undique in vinum, calorifica quæ sunt in vino reprimuntur, & versus medium sic confluunt ut motibus suis quicquid phlegmatis intercipitur versus superficiem expellant, & tam multiplicia multipliciterque mota tueantur sese, & obsidentium frigorificorum impetum inhibeant.

15. Quæritur secundò, *cur oleum vulgare congeletur?* Respondetur, oleum non indurari in glaciem, sed subire tantùm concretionem quasi grumosam & mollissimam, quod arguit esse in eo majorem calorificorum corpusculorum copiam, quàm ut planè cogi à frigorificis possint, & propriè id phlegmatis quod est in oleo propriè tantùm congelatur.

16. *Grando* fit cum vapor in aquam concrescit, nempe dum ea est frigoris intensio, quæ non tantùm guttas prægrandes efformet, verùm illas quoque in glaciem induret: Et potest quidem frigus initio esse paulò remissius, ex eóque fortè est cur nivei generentur flocculi, quales stipati & albicantes reperiri solent in meditullio grandineorum lapidum; at necesse est ut dum ventus hosce sustentat flocculos evadat frigus longè intensius quod ex vapore circumquáque presso aggeneret iis flocculis aquam quam in durum gelu compingat. Aristoteles censuit generari grandinem non procul à terra per antiperistasim caloris, ob quam frigus grandiores guttas comprimens, eas in grandinem vertit: Verùm hæc sententia Aristotelis videtur falsa; cum grando supra celsissimos montes decidat, ubi aër non est calidus; & calor aëris potiùs grandinem dissolveret quàm formaret.

17. *Nix secundum Aristotelem* est nubes quæ priusquàm solvatur in aquam frigore mediæ aëris regionis astringitur, & minutatim per floccos decidit; Est autem candida, ut & grando, ob partes aëris admixtas. *Secundum alios nix* nihil aliud est quam spuma aquæ gelata, adeo ut nube concrescente in guttulas ventus interveniat, qui & nubem perflet, & guttulas singulas in totidem bullas convertat, quæ dum decidunt, obrigescunt, ac prout in se mutuò incidunt, diversimodè cohærent & in majores minorésque flocculos abeunt.

18. *Ros ab Aristotele* dicitur vapor modicus & subtilis sub vesperam à Sole elatus, exiguóque calore præditus, qui ob id in infima aëris regione hæret, nocturnóque frigore condensatus sub auroram decidit & herbas irrigat: Pruina verò est similis vapor, sed nimio frigore congelatus qui per globulos decidit. *Alii* existimant vaporem ex quo fit *ros*, non hærere in infima aëris regione defectu caloris, cum ros formetur media æstate: in qua calor viget sed hærere in ea, quia frigore noctis condensantur vapores illi subtiles statim atque prodeunt ex terra & aqua. Alii verò censent Solem interdiu elevare ejusmodi vapores, & ita eas rarefacere ut serenitatem aëris non conturbent, posteà verò aërem frigidum noctu eos condensare, & in rorem mutare potissimùm sub Auroram, quo tempore frigus intenditur per antiperistasim caloris. Cæterùm *ros non fit nisi tempore tranquillo & sereno*; tranquillo quidem, quia venti dissipant vapores.

res istos & roris guttas; sereno verò, quia tempus nubilum indicat vapores ascendere & in nubes converti: Ros ille est etiam viscosus, quod in causa est ut calor Solis triticum urat; & herbæ rore repletæ pecori noceant.

19. *Species roris* tres vulgò ponuntur, *mel, manna, & saccharum*, *Mel* dicitur vulgò generari ex tenuiore vapore è terra subtiliori educto, & inde dulcedinem trahente, qui in flores herbásque decidit; unde fit ut apes mel ex illis educant, & ad alvearia sua deferant; non autem illud propriè conficiant. *Ego existimo* rorem aut vaporem ejusmodi non converti in mel, sed præcipuam mellis substantiam substantiæ plantarum deberi; quod suadet qualitas mellis, quod prout ex thymo aut aliis collectum fuerit, præ se fert odorem suavem aut insuavem, saporem dulcem aut amarum, vim nutritiam aut venenatam &c. Credibile est etiam id quicquid est liquoris quod ab apibus ex floribus colligitur, à proboscidula exsugi, in stomachum transmitti, & parte ejus in alimentum conversâ, reliquam in parte idonea, perinde absolvi vertíque in mel, ac in uberibus animalium lactescentium, id quod est ex alimento residuum vertitur in lac, & intra ipsa alvearia singulis diebus exonerari, sive ab ore evomatur, sive aliâ parte egeratur. Cæterùm *pars ima mellis est optima, in oleo pars suprema, in vino pars media.* Quia præstantius mel viliori affusum statim fundum petit, pars olei optima ob tenuitatem & subtilitatem amurcæ supernatet; & pars ima vini fæculenta, summa aëris contagio vitietur. Theophrastus tres species mellis ponit; unum ex floribus, de quo suprà; alterum ex arboribus, quod dicitur manna; tertium ex arundinibus, saccharum.

ARTICVLVS SEXTVS.

De Meteoris terreis.

1. *Meteora terrea*, quæ non à materia, sed à loco in quo fiunt denominationem habent, duo ponuntur à Philosophis, scilicet terræ motus, & ignis subterraneus.

DE TERRÆ MOTV.

2. *Terra motus* vulgò definitur Meteorum ortum ex exhalatione copiosa intra terræ viscera inclusa, quæ dum sibi viam quærit ut

ascendat, nec reperit liberos exitus, concutit terram : quòd si exhalatio debilior sit, tunc non movet terram, sed tantùm edit sonum mugitui similem.

3. *Exhalationes esse causas terræ motus probat Aristoteles* lib. 2. Meteor. Primò, ex similitudine corporum humanorum, in quibus aliquando tantus tremor fit ut plures homines tenere non possint eum qui ita tremit, causam autem hujus tremoris ait esse spiritus calidos & siccos; similiter dum immensum terræ corpus movetur, ait causam referendam esse ad exhalationes quæ sunt calidæ & siccæ. Secundò, quia ante terræ motum aliquid cernitur quasi fumus ascendens, referens lineam oblongam, qui fumus est exhalatio tenuior quæ incipit egredi; reliquæ verò exhalationes propter majorem densitatem & angustias meatuum intrà viscera terræ retinentur, unde fiunt terræ motus. Tertiò ait in Ponto suo tempore extitisse quosdam terræ motus ante quos terra intumescebat, & deinde disrumpebatur, quod erat certum indicium exhalationis inclusæ & viam sibi quærentis. Addit terræ motum esse duplicem, scilicet tremorem & pulsum: Tremor fit, quando exhalatio huc & illuc sine lege in latera defertur, terrámque agitat: Pulsus verò fit subsultatione exhalationis rectà sursum tendentis, & eò terram impellentis. Denique præsagia terræ motus vulgò sunt: Primò, si aquæ puteales sine causa turbidæ evadant, & sulphureum odorem emittant, id enim oritur ab exhalatione latente & exire nitente: Secundò, si mare intumescat absque ventorum flatu ob eandem causam. Tertiò, si fumus è terra ascendat referens lineam oblongam.

4. *Longè probabilius videtur terræ motum contingere ex repentina inflammatione halitus sulphurei ac bituminosi, qui ex intermisti nitri diductione difflationéque ignem perinde concipiat in cryptis illis subterraneis non multùm à terra superficie dissitis*, ac est ante dictum consimilem halitum intra nubem concipere ignem evaderéque in fulmineam flammam: Et sicut in cuniculis quos *Minas* vocant; conclusus inflammatúsque pulvis pyrius, superextantes insignes moles propugnaculorum & ædificiorum concutit, evellit & exturbat: Ita flamma copiosior ex bitumine sulphure & halinitro orta & in capacioribus cavernis conclusa & concepta, montes & terras potest concutere & evertere: Et sicut flammæ cuniculorum non pari semper successu sunt, sed prout illi sunt occlusiores, patentiores, majores, minores, profundiores, extantiores, ac in materia compactiore laxiore, scciore, humidiore &c. aut irritæ sunt, aut commovent tantùm, aut etiam discutiunt, evertunt, & vibrant: Ità flammæ illæ accensæ ex subterraneis halitibus, pro conditione varia cavernarum & fornicum, & pro majori vel minori materia flammæ, variè operantur; sunt enim plerumque inanes, si fornix aut terra incumbens sit laxior, & quasi spiramentum fiat quo flamma elabatur; Interdum leviter commovent contremiscceréque faciunt dum scilicet superstans moles major est, quàm ut subterranea flamma moliri quicquam amplius possit. Interdum subvertunt & evibrant glebas, saxa lapides &c. ob magnitudinem flamma-

rum

rum & resistentiam partium terræ: Uno verbo non solas exhalationes, ad flammas ex supradictis halitibus genitas esse causam terræ motus, patet ex illo terræmotu, qui anno 1604. non procul Lima in Peruvia contigit, quo non est proditus immanior: Iesuita Furnerius lib. 15. hydrogr. cap. 18. sic illum describit, ut urbes, montes, & flumina omnia susque deque horæ octante perverterit, & tractu quidem leucarum trecentarum secundum litus septuaginta in continentem, licet Seneca prodiderit nunquam terræ motum ultra ducenta milliaria extendi.

DE IGNE SUBTERRANEO.

5. IGnes subterraneos esse probant flammæ illæ quæ eructantur in Sicilia ad Ætnam montem, in regno Neapolitano ad montem Vesuvium, & in Islandia ad montem Heclam.

6. *Causa ejusmodi ignium* creditur vulgò Sol: Verùm cum non appareat quomodo possit tam profundè in terram solis calor penetrare, qui vix ad pedes paucos superficiem calefacit, alia causa quærenda est.

7. Alii recurrunt ad ignem centralem, idest in centro terræ existentem: Verùm cum concipi non possit, quomodo ignis ille sit sine pabulo, & se perpetua quadam circulatione devoret, absque fumo & fuligine sit, interim autem perpetuò ardeat, calorémque suum quoquoversum in superficiem terræ diffundat, alia causa quærenda est.

8. *Dici igitur potiùs debet*, corpus Terræ esse quasi omniseminarium, idest continere rerum omnium semina; ignis autem semina quæ sunt in terra sese præsertim prodere ob insignem mobilitatem, & cumulatiora facta in quibusdam regionibus evadere in flammas & incendia creare: Quoniam verò quæri potest, *quibus præsertim corporibus semina ignis sint illigata*, seu quæ corpora præsertim contineant istos spiritus igneos; *dicimus* duos esse concretos succos præ cæteris pingues, scilicet *sulphur* ac *bitumen*: Ejusmodi autem spiritus & halitus incalescunt, quatenus corpuscula ignis ex quibus contexitur halitus, libera evadunt: Constat verò corpuscula nitri calorem seutentia facere, tum ad difflationem; tum ad intensionem caloris: Cum sit autem notum, ex nitro intermisto sulphuri bitumini, & calci vivæ misturas quasdam fieri, quæ aspersione humidi, vel etiam sputo accendantur, quidni similes commistiones fieri sub terra valeant, quæ humore aqueo stillatu incensiones fiant.

9. Hic quæri solet primò, *quomodo Ætnea, Vesuviana, aliáque incendia tot jam perdurent sæculis?* Respondetur, id esse quia terra iis locis maximè abundat sulphure ac bitumine, quæ sunt ignis præcipua fomenta. *At quorsum loca illa semel accensa perpetuò non ardent, sed per intervalla duntaxat?* Respondetur, id esse quia dum flammeæ rumpunt, locáque subvertunt, collabuntur ruinæ ac veluti rudera, subtercurrentes etiam aquæ

subeunt, unde aperta ostia obstruantur, expectandúmque sit quousque creatus collectúsque denuò idoneus ad inflammationem halitus, claustra iterum effringat. At nonne deberent ea loca tandem exhauriri, tanquam semper evanescente, aut alio translatâ aliquâ parte materia? Respondetur, id esse verum, non tamen nisi exactis innumerabilibus sæculis, ob maximam copiam materiæ sulphureæ & bituminosæ.

10. Quæri solet secundò, *cur aquæ thermales sint calidæ*? Respondetur, id oriri ab ignibus subterraneis, atque adeo à calore adventitio. Verùm quæritur rursus *qua ratione calor iis aquis imprimatur?* Respondetur, calorem aquæ imprimi, dum præterfluit canales ex halitu bituminis aut sulphuris calefactos; adeo ut calorem perinde concipiat dum per loca illa calida transit, atque concipit dum transfertur per hypocausta.

11. Quæri solet tertiò, *qui dicendum de illo mirabili Epiri fonte, qui* ut refert Plinius lib. 2. cap. 103. *cum sit gelidus immersas faces extinguat, & si extinctæ admoveantur accendit*? Respondetur, idem dicendum quod de fonte gratianopolitano; nam aqua quidem extinguit, at non accendit tamen, sed ipsa exhalatio est quæ suprà aquam emergens flammámque concipiens, facem extinctam accendit, vides dici facem extingui dum immergitur, & accendi; non cùm immergitur, sed cùm admovetur, sicut stupam jacere flammas, non mersam intra, sed sitam suprà.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

De Mixtis Perfectis Inanimatis.

1. Mixtum *perfectum inanimatum* est corpus ex quatuor elementis debitè temperatis compositum, & vita destitutum; dividitur autem in illud quod oritur ex corporibus animatis, ut sunt poma, ova, lac, vinum, oleum &c. & iu illud quod non oritur ex corporibus animatis, estque vel lapis, vel metallum, vel medium minerale.

DE LAPIDIBVS.

2. L*apis*, vulgò dicitur corpus perfectè mixtum inanimatum, quod præ duritie & siccitate sua creditur illiquabile; & dividi solet in gemmam, marmor, silicem, cotem & saxum; quibus alii addunt smirim, pyriciem seu marcassitam; tophnm pumicem, & magnetem.

3. *Materia omnium lapidum* est terra humido permixta; at materia gemma-

gemmarum est terra subtilis permixta aquæ perspicuæ; saxorum verò est terra crassa permixta humido viscoso.

4. *Gemma* est lapis pretiosus & nitidus qui limam non sentit, vel est lapis pretiosus ex terra subtili aquæ perspicuæ permixta genitus.

5. *Marmor* est lapis nitidus qui limam sentit, *cujus* præcipuæ sunt *tres species*, scilicet *alabastrites* qui est marmor perspicuum & candidum, *ophytes* qui est marmor maculis serpentum simile, & *porphyrites* qui est marmor rubeis & quasi candidis maculis distinctum.

6. *Silex* est lapis ex quo ignis excuti solet: *Cos* est lapis conflatus ex granulis arenam referentibus, aptus ad acuendum ferrum; ad quem refertur coticula seu lapis ydius quo metalla fricata sincera ab adulterinis dignoscuntur.

7. *Saxum* est lapis obscurus & durus & quasi terra indurata; *smiris* est lapis durus quo vitrum finditur: *Pyrites* seu marcassita est lapis qui chalybe percussus scintillas ignis edit: *Tophus* est lapis porosus asper, & facilè friabilis; pumex est lapis cavernosus ad lævigandum aptus. Inter omnes lapides mirabilis est *magnes* de quo peculiariter agendum.

DE MAGNETE.

7. DUplex *est generalis virtus magnetis*, una quâ ferrum ad se allicit, altera quâ & se & ferrum dirigit versus polos mundi.

8. Magnes habet duas partes oppositas, quarum una versus Septentrionem, altera versus meridiem se convertit: Per partem Septentrionalem, quæ vocatur venter attrahit ferrum; & per meridionalem quæ vocatur dorsum repellit ipsum: Et si pars meridionalis tangat acum, ipsam convertit ad Septentrionem; si verò pars Septentrionalis illam tangat, convertit eam ad meridiem.

9. Ex affrictu acus ad partem Septentrionalem magnetis, ductu à dextera in sinistram, acus convertit se ad meridiem; ex affrictu verò ad eandem partem ductu à sinistra ad dexteram, ad Septentrionem se convertit. At ex affrictu acus ad partem Meridionalem, contrarium fit.

10. Si ex affrictu magnetis ad ferrum, magnes communicavit ferro virtutem attrahendi aliud ferrum; posteà ex affrictu ferri inversi ad partem oppositam magnetis, ferrum deperdit illam virtutem attractricem.

11. Acus magnetica quæ hîc tendit versus Septentrionem, ultra lineam æquinoctialem tendit ad meridiem.

12. Pars meridionalis seu dorsum magnetis repellit intestinum, & hernias aut relaxationes sanat: Et si dorsum magnetis imponatur coxæ mulieris gravidæ & venter magnetis imponatur ejus renibus abortus impe-

dietur: è contrà si venter imponatur coxæ, & dorsum renibus, partum facilem reddent.

13. Magnes ferro & præsertim chalybe armatus, tantopere corroboratur, ut multò plus possit attrahere, quàm dum inermis ac nudus est.

14. Vnus magnes altero magnete potentior est ad attrahendum: & ferrum unum altero ferro comparatius, tum ut à magnete trahatur, tum ut aliud ferrum trahat.

15. Polus Septentrionalis unius magnetis, non attrahit polum Septentrionalem alterius, imò ipsum repellit.

16. Acus magnetica interdum rectà tendit ad polum, ut in Acoribus præsertim in insula Corvi, item in insula Trinitatis, in promontorio Acuum propè promontorium Bonæ spei, in Freto herculeo, in Bosphoro Thracio, in insula Melite, Viennæ in Austria &c. At longè plurima sunt loca in quibus ad ortum aut occasum declinatio fit, cum ea tamen diversitate, ut alicubi sit unius aut paucorum graduum, alibi usque ad quadraginta aut quinquaginta excurrat: Imò in eodem sæpè Meridiano, sed in variis gradibus latitudinis, interdum nulla, interdum magna aut parva declinatio sit; nam cum nulla sit declinatio in insula Gorui cujus latitudo est 40. circiter graduum, citra tamen in latitudine graduum 20. declinatio est in ortum graduum duodecim, & ultra in latitudine graduum 46. declinatio est in occasum graduum octo, & posteà graduum 24. in latitudine graduum 55.

17. Quem situm habet magnes in sua minera, eundem constanter sic affectat, ut quia pars ejus borealis hæsit austrinæ borealioris, & austrina boreali Australioris, ideo polus ipsius borealis non affectet unionem cum boreali terræ aut alterius magnetis, neque australis cum australi, sed borealis cum australi, & australis cum boreali.

18. Magnetis virtus marmor & alia solidissima corpora penetrat, & si acus supra mensam & magnes infra eam sit, moto magnete movebitur acus.

19. Antequam explicem rationes prædictorum effectuum, notandum est primò, magnetem esse matricem & veluti venam à qua ferrum enascitur, adeo ut ferè eadem sit utriúsque natura, quasi quis diceret Magnetem esse ferrum crudum, ferrum verò esse magnetem excoctum.

20. Notandum est secundò, Magnetem habere omnia ipsi globo terræ similia, & ad ipsum & cum ipso se coaptare: Nam ut globus terræ suos habet polos, æquatorem, meridianos, parallelos; sic habet & Magnes.

21. Notandum est tertiò, cum magnes & ferrum ea conspiratione cum terra sitúque partium ejus sint, probabile esse eandem esse utriusque naturam cum terra aut cum interiori ejus quasi nucleo: Licet terræ quasi crusta aliquot milliaribus crassa, aquis, halitibus, lapidibus, metallis,

succis,

succis, aliisque rebus variè sit commixta; dici tamen potest interiorem terræ substantiam magneticam esse, & produci versùs superficiem complures ipsius ramulos, qui sint ipsæ magnetis venæ.

22. Notandum est quartò, cum ferrum ex situ ad terram, & ex affrictu ad magnetem verticitatem contrahit, non videri posse id fieri absque locali quadam partium ejus immutatione: Sicut enim ex eo quòd ignis virgam ligneam ita admotam ut calorem sentiat, paulatim recurva, alióque quàm priùs inflectit, colligimus minimas quasque particulas virgæ immisso calore ita affici, ut quædam dissocientur, quædam consocientur, & alium situm, aliámque directionem localem sortiantur quàm priùs: Ita ex eo quòd ferrum vim terræ sentiens sic disponitur ut aliò quàm priùs vertatur, necesse videtur ut terræ virtute in ipsum immissâ, particulæ aut corpuscula ejus minutissima sensúmque fugientia, pari ratione distrahantur, contrahantur, invertantur, deflectantur, aliúmque situm & aliam directionem localem subeant: Et conjectura non levis ex eo ducitur, quòd virga ferri candefacta, eam directionem & verticitatem faciliùs concipiat, quia corpuscula ferri in ea laxitate per eam facta liberiora sint, & se faciliùs ad nutum disponentis virtutis componere possint: Conjectura etiam maxima ex eo capitur, quòd postquàm virga aut acus verticitatem contraxit ex uno ductu supra magnetem, sit illam statim amissura, si opposito ductu afficiatur; quod fieri intelligimus, quia corpuscula acus priore ductu versa in unam partem fuerunt, & posteriore ductu planè invertuntur, eodémque quò prius situ remanent, idémque proportione fieri videtur, ac dum flante boreâ tota cujuspiam agri seges cernitur converti in Austrum; & quo momento Auster reflat, eadem cernitur converti in boream.

23. His prænotatis, videndum primò, *cur Magnes attrahat ferrum?* Qua de re *duæ* sunt Philosophorum *sententiæ*. *Prima est Democriti, Epicuri, Lucretii, & aliorum*, qui existimant rationem petendam esse ex eo quòd effluant quidem tam ex magnete quàm ex ferro corpuscula, sed plura nihilominùs & potentiora ex magnete, ex quo fiat ut aër semper longè magis discutiatur circa magnetem quàm circa ferrum, & ideo plura circa magnetem quàm circa ferrum inania spatiola producantur: Et quia cum ferrum collocatur intra discussi aëris sphæram, multùm inanis seu vacui inter ipsum & magnetem est interceptum, evenit ut in eam partem corpuscula ferri liberiùs prosiliant, & versus magnetem ferantur, non possint verò magnâ copiâ eò contendere, quin trahant secum cohærentia, atque adeo totam ferri massam, quæ ex cohærentibus constat. Verùm, cum magnes trahat ferrum non tantùm præter aërem, sed præter corpora etiam solidiora, qualis est mensa, marmor &c. non videtur quomodo possint fieri plura spatiola vacua circa magnetem marmor tangentem: Et vix dici potest, cur res aliæ, ut exigui lapides, & exiguæ festucæ, intra eandem aëris discussi & magneticæ virtutis sphæram, non perinde emittant corpuscula plura, à quibus exilientibus cohærentia pellician-

tur, atque adeo in magnetem cum iis non tendant; nisi fortè dicas, soli ferri corpuscula esse commensurata spatiolis vacuis quæ à magnete inducuntur.

24. *Secunda sententia maximè accedens ad primam est Cartesii* parte 4. de principiis Philosophiæ, numero 171. qui existimavit ferrum intra sphæram activitatis magnetis positum vim ab eo mutuari, & particulas minutissimas, quas vocat striatas, ab utroque egredientes aërem intermedium expellere quo fit ut ambo ad invicem non aliter quàm duo magnetes accedant; addit verò ferrum liberiùs moveri, atque adeo tendere potiùs versus magnetem, quàm magnes versus ferrum, quia magnes multâ materiâ lapideâ gravatur. *Ad hanc accedit sententia eorum*, qui existimant tam magnetem quàm ferrum constare ex corpusculis consimilibus, & inanibus spatiolis consimilibus, eò quòd magnes & ferrum sint ex eadem vena, & ferè ejusdem naturæ; unde fit ut effluentes ex magnete atomi, cùm in ferrum incurrunt, ita subeant ejus substantiam, ut consimilibus hærentes, partim resiliant, & cohærentes abducant; partim hæ aliàs exiliture ipsas compellant & consequantur; adeo ut cum reciprocè atomi ex ferro incurrentes in magnetem simile quid præstent, necesse sit atomos utriusque regredientes, sed implicitas tamen, in medium confluere, & propter cohæsionem utrarúmque cum iis ex quibus ipsæ magnetis ferríque massæ contexuntur ipsa corpora magnetis & ferri in medium coïre: Dicitur tamen ferrum ad magnetem potiùs, quàm magnes ad ferrum accedere, ex communi usu, vulgaribúsque experimentis, quibus magneti magnæ molis, aut manu detento, ferri frustula apponuntur; ita nimirùm necesse est ut quia vel major ex magnete quàm ex ferro emanat vis, vel magnes cohibetur ne ad ferrum properet, idcirco ferrum non in medium tantùm, sed in magnetem etiam immotum feratur. Inde etiam ratio reddi potest, cur aliæ res versus magnetem non pertrahantur, scilicet quòd atomi magnetis incidentes in alia corpora quàm in ferrum, aut præterfluere, aut propter dissimilitudinem non ita implecti ut consociatæ effluere confluereque in medium valeant.

25. *Galenus contra utramque sententiam arguit* primò, & quærit *quâ ratione tam insensilia pusillàque corpuscula tam grave pondus ferri attrahere possint.* Sed potuit Galenus attendere primò corpuscula hæc non dici ita potentia, ut quantamcúnque ferri molem pertrahere valeant. Deinde non potest negare, motum crassissimorum animalium fieri per spiritus animales; idémque dicendum de vento subruente ædificia, & de halitu subterraneo, dum terram quatit & plerunque magnam ejus molem subvertit; cur igitur spiritus magnetici incidentes in ferrum, & resilientes non poterunt attrahere ferrum.

26. Galenus arguit secundò, & *quærit quomodo fieri possit, ut quod ferrum ab una parte trahitur, possit ab alia trahere aliud, quod iterum valeat attrahere tertium, & istud quartum, ipsúmque quintum* &c. Respondetur, ista nihil habere incongruum, cum incurrentium atomorum magneti-

gneticarum aliæ impingi valeant in solidiores ferri partes, aliæ in vacuas per quas in aliud ferrum incurrunt, quarum aliquæ rursus valeant in partes ipsius solidas impingi, aliæ verò in vacuas, per quas in tertium ferrum incurrunt &c. & quæ in solidas incurrunt resilientes ferrum attrahunt, quæ verò per vacuas transeunt ad aliud ferrum, si incidant in partes solidas ipsum attrahunt &c. Et hoc patet ex eo quòd vis attrahendi paulatim sic debilitetur, vt sit secundo ferro debilior quàm in primo, in tertio quàm in secundo, & ita in cæteris, donec penitùs evanescat, quia nimirùm tot atomi in consequens ferrum non incurrunt quot in præcedens. Addi potest, atomos ferrum penetrantes, atomos illius sic stimulare, vt ferrum statim totâ massâ alterationem subiens in eundem modum sese componat, magneticâmque naturam induat, & ideo mirum non esse, si deinde in aliud ferrum vt novus magnes operetur.

27. Videndum iam secundò, *cur acus magnetica interdum rectà tendat ad polum, interdum verò quibusdam gradibus declinet ab ipso?* Respondetur, totum intùs terræ globum constare fibris ex Austro in Boream, vel ex Borea in Austrum tendentibus, ita tamen vt aliquæ fibræ rectà tendant versus polum, aliæ verò quibusdam gradibus declinent ab ipso: Hinc fit vt acus imposita fibræ rectâ tendenti ad polum, rectà etiam tendat ad polum; imposita verò fibræ obliquæ & à polo declinanti, acus etiam declinet à polo; imprimitur enim vis acui à propinquiore & suppositâ fibrâ, & iuxta ipsius ductum.

DE METALLIS.

28. Metallum vulgò *describitur* corpus perfectè mixtum inanimatum ex sulphure & argento vivo mixtis & temperatis in terræ visceribus genitum.

29. *Materia metallorum communiter* dicitur esse substantia quædam constans ex vapore & exhalatione; quod probat Aristoteles ex eo quod metalla facilè ignescant & liquescant: Quòd ignescant habent ab exhalationibus; quòd verò liquescant à vaporibus. *Alii materiam metallorum* dicunt esse sulphur & argentum vivum; *sulphur* dicitur materia metallaris constans ex exhalatione subtiliori pingui & vnctuosa: *Argentum vivum* verò dicitur materia metallaris, constans ex vapore subtiliori aqueo cum terra conglutinata, & calore sulphuris decocta.

30. *Septem* vulgò referuntur *species metallorum*, scilicet, *aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum, argentum vivum, & stannum: Nonnulli removent stannum*; putant enim esse metallum quoddam mixtum ex argento & plumbo; attamen diversitas coloris & gravitatis probare videntur stannum distingui specie à plumbo & argento: *Alii removent argentum vivum*, eò quòd sit tantùm materia metallaris.

31. *Aurum* vulgò dicitur esse metallum ex argento vivo, puro, fixo, & clarissimo, nec non ex sulphure purissimo rubeo, non adurante, optimè inter se temperatis genitum, est omnium metallorum densissimum, gravissimum, & quod facillimè dilatari potest; Creditur à quibusdam carere pinguedine, & ideo non consumitur igne: Plinius tamen lib. 29. scribit, si auro liquescenti carnes gallinæ admisceantur aurum consumi, atque adeò auri venenum esse.

32. *Argentum* vulgò dicitur esse metallum ex argento vivo, puro, claro, & albicante, necnon ex sulphure puro genitum; plùs tamen argenti vivi quàm sulphuris ad argenti generationem concurrit, ex eo quòd illius colorem repræsentet, & dum liquescit multa eius accidentia in se contineat: Quòd verò etiam quædam portio sulphuris ad argenti productionem concurrat, ex eo colligitur quòd odor sulphureus feriat nares quando argentum depurgatur.

33. *Æs* est metallum impurum explurimo sulphure rubeo & crasso, nec non ex pauco argento vivo impuro genitum: Ad hoc refertur æs cyprium, sic dictum quod copiosè nascatur in insula Cypro, inde & Cuprum dicitur; Ad hoc etiam refertur aurichalcum, quòd est æs factitium colore auri sed magis efflavescente.

34. *Ferrum* est metallum impurum ex plurimo sulphure crudo & terrestri necnon ex modico argento vivo impuro genitum; ad hoc refertur Chalybs, id est ferrum purgatum & ignibus multis induratum.

35. *Plumbum* est metallum ex plurimo argento vivo, impuro & crasso nec non ex pauco sulphure fœculento & adurente genitum.

36. *Stannum* est metallum album ex multo argento vivo albicante, & ex sulphure impuro, non bene digesto genitum.

Hæc de metallis dicta sint juxta sententiam magis communem, de iis enim tractatu particulari Deo dante aliter agemus.

DE MEDIO MINERALI.

37. *Medium Minerale* modo medio se habet inter lapidem & metallum; quatuor autem vulgò ponuntur eius species, scilicet, sal, alumen, bitumen, & vitriolum.

38. *Sal* est corpus friabile & sicco humido aqueo & crasso terreo mixtis & coctis genitum; *Sal natus in terra quadruplex* potissimum est, scilicet sal ammoniacus, sal gemmæ, sal nitrum seu petrosum, & sal Indicus; *Sal ammoniacus* est amarissimus, sub arena ardentissima in Cyrenaica regione ortus: *Sal gemmæ*, est candidus in modum chrystalli elucens è fodinis erutus: *Sal nitrum* ex coagulato humore in locis subterraneis humidis in-

rat ſtitiæ ſalſæ dependens: *Sal Indicus* eſt nigricans vel rufus in India ex monte Oromeno exciſus: *Sal in aquis*, vel reperitur in mari, vel in fontibus, ſtagnis, aut lacubus ſalſis.

39. *Alumen* eſt ſalſus ſudor terræ ex aqua limoque concreſcens: Eſtque vel *nigrum* quò purgatur aurum & in Cypro invenitur; vel *candidum* cui immerſa charta etiam peſſima & ſiccata, atramentum retinet ne perfluat.

40. *Bitumen* eſt ſuccus terræ lentus, tenax, pici ſimilis, facillimè ignem concipiens, *cuius ſpecies* vulgò ponuntur, aſphaltum, naphta & ambra; *aſphaltum* eſt bitumen nigricans pici ſimile; ſed ſplendidius, durius, denſius, & minùs malè olens; naſcitur autem in lacu Aſphaltite & in Babylonia regione: *Naphta* eſt bitumen liquidum olei lentore & craſſitie omnium maximè inflammabile & ab aqua extingui non poteſt: *Ambra* eſt bitumen flagrantiſſimum, quod potiſſimùm naſcitur in Arabia.

41. Vitriolum eſt ſuccus concretus perſpicuitatem vitream obtinens.

Huc referri poſſunt ſucci qui liquari nequeunt, vt *Arſenicum, gypſum, Creta, argilla, terra ſigillata, terra Armeniaca* &c.

CAPVT QVINTVM.

DE ANIMA.

HOc capite agitur primò de anima in communi: Secundò, de anima vegetativa Tertiò, de anima ſenſitiua: Quartò de anima rationali.

ARTICVLVS PRIMMVS.

De Anima in communi

De natura & definitione Animæ.

1. EXplicare naturam Animæ difficillimum, & quaſi impoſſibile cenſuerunt melioris notæ Philoſophi. *Cicero* lib. 1. Tuſcul cum enumeraſſet ſententias Philoſophorum de natura animæ, ſic concludit: *Harum ſententiarum, quæ vera ſit, Deus aliquis viderit; quæ veriſſima, magna quæſtio eſt. Heraclitus* apud Laërtium lib. 9. *Animæ natura ſic eſt abſtruſa, vt*

mo illam sit inventurus, quantumcunque nullum lapidem non moveat. Alexander lib.2. de anima cap,1. *Animam esse Sole est evidentius, at declarare quid illa sit viribus humanis est maius.* Seneca lib.7. quæst. cap.24. sic loquitur: *Habere nos animam, cuius imperio & impellimur & revocamur, omnes fatebuntur; quid tamen sit animus ille rector dominúsque nostri, non magis tibi quisquam expediet, quàm vbi sit: Alius illum dicet spiritum, alius conventum quendam, alius vim divinam & Dei partem, alius tenuissimum aërem, alius incorporalem potentiam, non deerit qui sanguinem dicat, qui calorem, adeo animo non potest liquere de cæteris rebus, vt adhuc ipse se quærat.* Quòd si tanti viri naturam animæ explicare non valuerunt, quid nos quàm de ea balbutire poterimus.

2. Pithagoras apud Laërtium lib.9. docuit, *animam esse avulsam partem Ætheris, & ideo esse immortalem, quòd illud ipsum ex quo sit ipsius avulsio immortale sit*; quod sic exdlicatur; Sicut nostra anima licet in toto corpore sit, præcipuè tamen viget in corde, vnde & cor videtur esse totius vitæ principium; sic placuit Pithagoræ, animam quidem mundi esse per vniversum disseminatam, sed vim tamen eius præcipuam ita residere in Sole vt vnà cum radiis ipsius corporeis emanent in hæc inferiora radii invisibiles, qui excepti corporibus particulares animæ fiant? Sed quoniam anima propter suam simplicitatem iungi immediatè non potest crassis hisce corporibus, necesse est vt quendam quasi corporis florem, hoc est spiritum tenuissimum seu igneum seu aëreum induat, quo mediante alium deinde paulò crassiorem subeat, ac postea alium, & rursus alium, quovsque in humores possit recipi ac tandem, in carnes & alias solidiores partes transire. *Plato* in eadem sententia fuisse creditur, & vterque existimavit animam moveri per se ac perpetuo, vnde alter animam definivit naturam, alter verò numerum seipsum moventem. *Hæc sententia facilè defendi potest, modò intelligatur de anima vegetatiua; non autem de anima rationali*, quæ est substantia incorporea & immortalis, & quæ non ex divina essentia, aut ex cœlesti domicilio priùs existens deducitur, sed quæ creatur à Deo ex nihilo, ac multiplicatur, pro numero corporum.

3. *Manichæi, Priscillianistæ, Gnostici, & multi alij hæretici*, existimarunt animas esse ex Dei substãtia eò quòd Deus dicatur Gen.2. *in hominis faciem insufflasse spiraculum vitæ*, non considerantes flatum tribui Deo metaphoricè, perinde ac manus, oculos &c. & tantùm per hoc ostendi Deum esse, vt corporum, sic animarum conditorem. *Hæc sententia rejicienda tanquam hæretica*, quia tribuit Deo partes; atque adeo tollit eius simplicitatem, & quia passibilem Deum facit secundum partes, cum impiorum animæ, quæ secundum eos sunt ex substantia Dei, cruciatus patiantur in inferis.

4. *Platonici & post eum Origenistæ*, censuerunt quidem singulorum animas à Dei substantia distingui, sed crediderunt tamen illas ab initio mundi fuisse omnes conditas, & in cœlo asservatas, vt procedente tempore in corpora demergerentur prout quodque formaretur corpus, & fieret recipiendo idoneum; Attribuitur etiam Origeni quòd censuerit animas in

cœlo

cælo peccasse; & ideo alias demersas in subtiliora corpora, cujusmodi sunt Dæmonum, alias verò in crassiora, ut sunt hominum, agendæ pœnitentiæ causâ. Fundamentum Origenis præcipuum fuit, quod Gen.2. Deus dicitur *cessasse ab omnibus operibus suis*: Cui Sacri Doctores opponunt quod habetur Ioan.5. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor*: Licet enim Deus cessaverit à creatione novarum specierum, non tamen à productione novorum Individuorum.

5. *Leucippus* & *Democritus*, apud Aristotelem lib.1. de anima c.2. existimarunt animam esse naturæ igneæ: Voluerunt enim, ut ignem sic animam constare ex rotundis atomis, quæ totum corpus & permeare & movere facilè possent. *Hæc sententia facilè conciliatur cum sententia Pythagoræ*; siquidem Æther est igneus, atque adeo partes Ætheris sunt igneæ; anima autem est pars Ætheris secundum Pythagoram.

6. *Diogenes*, *Anaximenes*, *Anaxander*, *& Anaxagoras*, existimarunt animam esse naturæ aëreæ: fundamentum eorum fuit subtilitas & mobilitas aëris, tum respirandi necessitas; cum anima nisi aëre continuò inspirato quasi resarciatur, pereat aut excedat: hinc anima definita est à Varrone, aër conceptus ore, defervefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus: hinc Asclepiades apud Galenum lib. de util. resp.c.1. dicit respirationem esse generationem animæ.

7. *Hippocrates* lib.1. de diæta asseruit, *animam sortiri ignis & aquæ temperationem*, quod idem est ac dicere, pinguem quendam halitum esse: Et lib.6. Epid. sect.5. dicit, *animam si una cum morbo incensa fuerit* (quod pinguis halitus est proprium) *ipsum corpus depasci*.

8. *Critias* apud Aristotelem lib. 1. de anima c.2. censuit animam esse sanguinem: cui favet illud ex Virgilio, *purpuream vomit ille animam*: Et S. Scriptura dicens Levit.17. *carnis animam in sanguine esse, & animam omnis carnis esse ipsum sanguinem*. Verùm sanguis dicitur anima; non quoad suam substantiam crassiorem, sed quoad subtiliorem, quæ est spiritus ex sanguine creatus; idque intelligendum de anima vegetativa & sensitiva, non autem de rationali; vel dicendum est animam esse sanguinem, quatenus anima sine sanguine esse non potest, & ex detractione sanguinis anima excedit & vita finitur. *Galenus* lib. de Respiratione videtur fuisse in hac sententia, cum hæc ait; *quamvis ignoremus animæ substantiam ex iis tamen quæ evidenter apparent, dicere licet, spiritum qui in ventriculis circa cerebrum continetur aut animæ substantiam esse, aut primum ejus organum*: Dixerat verò antea, consentaneum esse hunc spiritum ex sanguinis evaporatione nutriri.

9. *Epicurus* apud Laërtium lib.10. censuit animam esse corpus subtilissimum, contextum ex tenuissimis partibus quod sit per massam animalis universam disseminatum. Plutarchus lib.4. plac. cap 3. memorat Epicurum non fecisse simplicem animæ naturam, sed esse voluisse temperatum quid ex quibusdam quatuor, scilicet ex quodam igneo, ex quodam aëreo, ex quodam flatuoso & ex quarto quodam innominato, quod ipsi est sentiendi vis: Et huc spectant verba ista apud Laërtium, lib.10. *Epicurus statuit ani-*

vitæ; ſicut *anima* rectè definitur *principium intrinſecum principale operationum vitæ.*

14. Tertiò, organa illa ſunt partes heterogeneæ & diſſimilares viventis; nam oculi non ſunt ſimiles auribus, nec aures naribus &c. Et illa organa conſtant partibus diſſimilaribus, purà oculus conſtat nervis, muſculis, humoribus &c. naſus conſtat cute, carne, cartilagine &c. at nervus non eſt ſimilis humori, cutis non eſt ſimilis cartilagini &c. Rurſus, partes ejuſmodi diſſimilares organorum conſtant ordinariè partibus homogeneis & ſimilaribus ad ſenſum, putà partes cutis ſunt ſenſibiliter ſimiles, partes carnis ſunt ſenſibiliter ſimiles &c. Dixi ad ſenſum ſeu ſenſibiliter; nam realiter, quælibet particula ſeu molecula cutis aut carnis, conſtat partibus diſſimilibus, putà ſale, ſulphure, & mercurio; quæ etiam conſtant partibus diſſimilibus, purà elementis; & elementa fortè conſtant quoque partibus diſſimilibus, vt dictum eſt ſuprà dum de mixtione in communi.

15. Quartò corporis viventis partes habent innumeros porulos, in quibus anima vegetativa & ſenſitiva exiſtunt: Tales enim animæ, cum ſint corpora tenuiſſima, non penetrant partes craſſiores corporis, ſed intra eas partes degunt, ſcilicet in porulis, qui cum ſint diverſi juxta diverſitatem partium, fit vt partes animæ in iis exiſtentes ſint diverſæ, & diverſimodè operentur.

16. Quintò, anima vegetativa & ſenſitiva ſunt ſubſtantiæ compoſitæ ex ſubtiliſſimis, mobiliſſimis, & actuoſiſſimis corpuſculis, ſimilibus iis ex quibus ignis creatur; atque adeo anima videtur eſſe quædam flammula, quæ quandiu viget ſeu manet accenſa, tandiu vivit animal; cùm verò ampliùs non viget, ſed extinguitur, animal moritur: Cum autem flamma conſtet igne & aëre, valde probabile eſt animam iiſdem potiſſimùm conſtare, ſicut corpus conſtat potiſſimùm ex terra & aqua.

17. Sextò, corpus viventis dicit partes materiales craſſiores, & certam vnionem ejuſmodi partium materialium: Et ratione partium eſt ſubſtantia; ratione verò vnionis harmonicæ ejuſmodi partium eſt accidens. Pariter anima dicit partes materiales ſubtiliores, cum ſpeciali diſpoſitione & ſymmetria partium ejuſmodi inter ſe, & cum maſſa craſſiori in cujus porulis exiſtunt: Et ratione partium eſt ſubſtantia, ratione verò ſymmetriæ eſt accidens.

18. Septimò, anima eſt forma viventis, ſi forma ſumatur pro parte actuoſiſſima viventis, id eſt pro principio intrinſeco principali operationum vitæ: At non eſt forma viventis ſi forma ſumatur pro eâ quâ poſitâ vel ſublatâ ponitur vel tollitur compoſitum: Nam poteſt poni anima rationalis in cœlo & corpus in lecto vel in ſepulchro & tamen non ponetur homo; poſſet Deus ſi vellet conſervare animam vegetativam aut ſenſitivam ſeparatam à corpore. Ideo ſub hac ratione vnio corporis & animæ erit potius forma viventis, cum eâ poſitâ vel ſublatâ ponatur vel tollatur vivens: Talis autem vnio eſt forma totalis, & præter illam dantur aliæ formæ partiales innumeræ, quot ſcilicet ſunt vniones harmonicæ in partibus diver-

fis tam corporis quàm animæ, putà formæ nervi, offis, carnis, &c.

19. Octavò, ex fupradictis colligi poffe videtur, animam vegetativam & fortè fenfitivam nihil aliud effe quàm calidum innatum aut humidum radicale, de quo multa dicunt Medici: Nam omne vivens falutari calore perfufum continetur & regitur, qui calor eft fubftantia quædam ignea fubtiliffima, cui conjunctus aër facit flammulam, quæ communiter dicitur fpiritus: Cum autem hujus fpiritus ignei beneficio totum corpus alioqui frigidum concalefcat, neceffe eft ei vim ineffe magnam calefaciendi; & fi comitem haberet ficcitatem adureret; cum igitur non vrat, neceffe eft humoris temperatione perfundi, viventiúmque calorem ac fpiritum idoneo convenientíque humido contineri; quod humidum non eft aqueum, fed pingue & oleaginofum, ac pabulum caloris; Ex his tribus fcilicet ex calore feu igne, ex frigido aëro feu aëre, & ex humido oleaginofo conftat calidum innatum, feu humidum radicale, quod ideo rectè definitur à *Fernelio* hoc pacto, *calidum innatum eft humidum primigenium infito fpiritu & calore perfufum*. Et hoc calidum innatum non malè dicitur anima vegetativa & fortè fenfitiva; quomodo autem anima vegetativa differat à fenfitiva, dicetur infrà dum de anima fenfitiva.

20. Nonò, diftinguere folent Philofophi & Medici, duplex calidum & humidum, vnum quod fingulæ partes viventis habent ab ortu quod dicitur calor fixus, calidum innatum & humidum radicale; alterum alimentitium, cibale & influxum, quod ab hepate, corde & cerebro beneficio fpirituum & fanguinis derivatur in vniverfum corpus ad refarciendum aut reftaurandum calidum innatum aut humidum radicale; idémque dicendum de fpiritu, qui vel eft fixus vel influxus. Cæterùm calor elementaris & calor vitalis five fixus five influxus non funt diverfæ fpeciei, fed funt diverfæ temperici; fi enim calor fumatur præcisè & in fe fine admixtione alterius, dicitur calor elementaris; fi verò fumatur prout cum humido commixtus dicitur calor naturalis innatus, & vitalis: Idémque dicendum de humido elementari & vitali.

DE DIVISIONE ET MVLTIPLICITATE Animæ.

1. ANima vulgò dividitur in vegetativam, fenfitivam, & rationalem, cùm enim anima fit principium omnium operationum vitæ, tot funt conftituenda animarum genera, quot funt generales modi operandi folis viventibus convenientes: Tres autem funt: Primus imperfectiffimus cum omnimoda determinatione naturali abfque vlla prævia cognitione, convenítque animæ vegetativæ: Secundus perfectior cum aliqua cognitione imperfecta & materiali, convenítque animæ fenfitivæ: Tertius perfectiffimus cum perfecta cognitione, & immateriali, conve-

nítque

mitque animæ rationali seu intellectivæ. Vegetativa & sensitiva in varia genera & species dividi possunt; at anima rationalis est species infima. Cæterùm quot animarum tot animatorum sunt diversa essentialiter genera, scilicet vegetativum, sensitivum, & rationale; cùm enim anima sit constitutiva animati, pro diversitate animarum necesse est esse diversa animata: Aristoteles tamen habita ratione potentiarum ab invicem separabilium, dixit esse quatuor animatorum genera, scilicet vegetativum, sensitivum, locomotivum seu progressivum, & rationale; sed id potiùs ex vulgi sensu quàm philosophico more fecit; alioquin etiam respirativum addendum esset quod est separabile à gradu animalium, cum non conveniat piscibus.

2. *Omnes ferè Recentiores philosophi* asserunt *vnicam esse animam in vivente:* At *nos existimamus duas esse animas in quolibet bruto scilicet vegetativam & sensitivam*; *tres verò in quolibet homine, scilicet vegetativam, sensitivam, & rationalem*, vt probabitur dùm de anima rationali: Et præter has animas existimamus plures esse alias formas partiales, putà formas nervi, ossis &c. eò quòd varietas dispositionum & temperamenti indicet diversitatem formarum: at maxima est varietas dispositionum & temperamenti in partibus viventibus, vt & diversitas effectuum: Adde quòd membra amputata retineant aliquam formam non tamen animam, illæ autem partiales formæ nihil aliud sunt, præter certas vniones harmonicas elementorum aut aliarum partium materialium.

3. Hic quæri solet *an anima sit in omnibus partibus corporis?* Respondetur, animam rationalem esse in solo cerebro, vegetativam in partibus quæ nutriuntur, sensitivam in partibus quæ sentiunt, vt probabitur dum de anima rationali. Quoniam autem dubitatur de plerisque an sint animata, scilicet de ossibus, dentibus, medulla; cerebro, cute, vnguibus, pilis, capillis, & humoribus, sequentia notanda esse existimo.

4. Primo, *ad hoc vt aliquid sit pars viventis, atque adeo sit animatum,* requiritur, *vt nutriatur & augeatur secundùm omnem dimensionem modo vitali*, id est *non per iuxta positionem tantùm vt inanimata, sed per inter susceptionem alimenti*, hinc fit ut ossa & dentes vivant saltem vita vegetativa, quia modo vitali nutriuntur & augentur, non tamen sentiunt per se, sed ratione membranarum & nervorum quibus alligantur; vnde & avulso dente cessat dolor, qui prius in dente sentiebatur, quia causa doloris, scilicet humor insidens via apertâ facilè defluit: Hinc fit etiam vt cerebrum sit animatum, quia præterquàm quòd est vna ex præcipuis animalis partibus, & est organum sensuum internorum, nutritur, & augetur modo vitali, & in eum finem habet venulas quasdam repletas sanguine, licet pituita valdè diluto: Hinc fit etiam ut etiam pili & capulli, & vngues secundum extremitates, non sint animati, eò quòd tantùm crescant per iuxta positionem materiæ excrementitiæ: Hinc etiam fit ut humores putà, lac, sanguis, non sint animata, quia non nutriuntur aut augentur modo vitali.

5. Secundò, Ad hoc ut aliquid sit pars viventis animata, requiritur *ut neque sit excrementum, neque alimentum*: Hinc fit ut medulla ossium, adeps, sebum, unguens, pili, & capilli, non animentur; quia tantùm sunt excrementa; ita lac & sanguis, quia tantùm sunt alimenta in varias viventis partes convertenda; alimentum autem non priùs animatur quàm convertatur in substantiam partis cujus est alimentum: Item hinc fit ut semen vulgò dicatur non esse animatum, eò quòd sit tantùm excrementum tertiæ concoctionis, ut infrà; & licet sit causa viventis instrumentalis, non tamen principalis.

6. Tertiò, ad hoc ut aliquid sit pars animata, oportet *ut sit continuum cum aliis partibus viventis*; & ob hanc causam, lac, semen, sanguis, & alii humores non animantur; quia non continuantur cum partibus viventis.

7. Agunt hic nonnulli de divisibilitate animarum in partes integrantes. Verùm manifestum est animam rationalem esse indivisibilem in partes entitativas & integrantes, eò quòd sit spiritualis, & immaterialis, & habeat tantùm ad summum extensionem virtualem, reliquas verò animas esse divisibiles & materiales; & habere extensionem formalem, ut patet ex divisione tamorum & serpentum.

DE POTENTIIS ANIMÆ.

8. CVm potentiarum animæ essentia sit relativa, & diversitas essentialis rerum relativarum pendeat ex distinctione terminorum ad quos referuntur, diligenter considerandi sunt potentiarum termini: Rursus cum singulæ potentiæ respiciant uno respectu animam, & altero respectu operationes seu actus; non aliunde potentiarum diversitas est desumenda, quàm ex animarum actuumque diversitate: Quare cum triplex sit animæ genus, scilicet anima vegetativa, sensitiva, & rationalis, ut suprà; *triplex* etiam *est genus potentiarum animæ*; aliæ enim sunt *vegetativæ*, aliæ *sensitivæ*, aliæ *rationales*: Cùm autem animadvertamus diversas operationes oriri ab eadem anima secundùm eundem gradum & rationem spectatâ, sc. à vegetativa, nutritionem, augmentationem & generationem, à sensitiva, visionem, auditionem, &c. à rationali intellectionem & volitionem: Inde intelligimus divisionem allatam potentiarum, in vegetativam, sensitivam, & rationalem, non esse in species infimas, sed subalternas; ac rursus subdivisione opus esse, quæ deinceps investiganda est: Quoniam autem præter respectum ad animam, nihil aliud est in essentia potentiarum quàm respectus ad actus proprios; certè distinctionem potentiarum quæ ad eundem

dem gradum animæ pertinet, non aliunde desumit intellectus quàm ex actuum diversitate.

9. Porrò, quia actuum diversitas essentialis ab objectis formaliter diversis desumi solet, eò deduci videmur ut ex diversitate objectorum formalium sumamus distinctionem potentiarum mediante actuum diversitate, juxta illud potentiæ specificantur per actus & actus per objecta, aut per relationem ad actus & objecta; per actus quidem proximè, per objecta verò remotè: Verùm cum objecta formalia specie diversa penè sint innumera, dubitatur *an tot sint potentiæ vitales specie diversæ, quot objecta specie diversa:* Tribus assertionibus breviter rem istam explico.

10. Dico primò, *non omnem distinctionem formalem potentiarum petendam esse ex diversitate objectorum*, potentiæ enim aliquæ diversæ habent idem objectum per se; nam idem est objectum per se voluntatis & intellectus, idem est objectum per se sensuum externorum & sensus interni: Et idem est objectum per se appetitus sensitivi & phantasiæ; bonitas enim per se appetitur à voluntate, cognoscitur per se ab intellectu, atque adeo nulla est ratio cur intellectui addatur voluntas tanquam potentia distincta, si nihil aliud spectandum sit præter distinctionem objectorum per se; idem dicito de appetitu & phantasia, nec non de sensu interno & externo, objectum enim sensuum externorum est tantùm objectum inadæquatum sensus interni aut phantasiæ.

11. Dico secundò, *Distinctionem potentiarum animæ rationalis in intellectum & voluntatem, & potentiarum animæ sensitivæ in sensus internos & externos, appetitum & facultatem loco motivam seu progressivam, petendam esse ex diverso operandi modo:* Nam cum probatum sit circa idem objectum quod intellectuali cognitione percipimus, nos alium actum exercere scilicet actum amoris, & sit maxima posterioris hujus actus à cognitione procedentis diversitas; apparet hos actus differre inter se penes diversum modum quo in suum objectum feruntur, scilicet quatenus cognitio est imago formalis illius & expressa ejus in anima repræsentatio, unde anima cognoscens trahere quodammodo videtur objectum ad se, ac sibi sistere, amor verò neque est ejusmodi objecti imago, neque per illum anima facit objectum sibi præsens trahendo illud ad se, sed potiùs quasi pondere trahitur in objectum; quæ diversitas seu diversus operandi modus, sufficiens est fundamentum distinctionis harum duarum facultatum in anima. Cæterùm quod de voluntate & intellectu dictum est de appetitu & phantasia eadem ratione concluditur.

12. *Distinctionem verò sensus interni ab externis, legitimam facit diversus operandi modus*, scilicet modus operandi dependenter ab objecto actu præsente, qui est proprius sensuum externorum, & modus operandi etiam independenter ab actuali præsentia objecti, qui modus est proprius sensus interni seu phantasiæ: Denique *potentiam locomotivam ab aliis potentiis sensitivis distingui penes diversum operandi modum* patet, quia potentia locomotiva per motum localem vulgò creditur efficere suum

objectum, seu potiùs effectum, scilicet ubi, & sicut facultas appetitiva supponit actum cognoscitivæ facultatis; sic locomotiva supponit actum appetitivæ diverso tamen modo; appetitiva enim actum cognoscitivæ prærequirit tantùm tanquam conditionem, & quasi facem quæ detegat illi proponátque bonitatem objecti, at locomotiva prærequirit actum appetitivæ tanquam imperium quo applicatur ad agendum.

13. Dico tertiò, *Positâ distinctione potentiarum animæ penes diversitatem animarum, & penes diversum operandi modum, deinceps ad infimam usque & specificam distinctionem procedendum esse habitâ ratione diversorum objectorum per se*; & huc pertinet axioma, *potentiæ specificantur per actus & actus per objecta.*

14. Cæterùm *potentiæ animæ non distinguuntur realiter ab anima*, quia non possunt separatæ existere ab anima; quia etiam anima est immediatè operativa, & quia nihil potest dici de potentiis quòd non dicatur de anima & è contra; non sunt autem multiplicanda entia præter necessitatem: quibus adde rationes quibus probavimus in logicis proprietates non distingui realiter intrinsecè à suis subjectis; potentiæ enim animæ sunt proprietates ejus.

DE ACTIBVS VOTALIBVS.

15. A*ctus vitalis* est actus viventis ut vivens est; dixi *ut vivens est*, quia non omnis actus viventis est vitalis cùm vivens multos actus exerceat communes rebus inanimatis, putà calefactionem, gravitationem &c. sed ille actus est tantùm vitalis qui exercetur à vivente ut vivens est, qui proprius est viventis, putà nutritio, visio &c.

16. *Actus vitalis triplex* est, *primus* dicitur *maximè propriè immanens*, quia manet in ipso principio quo id est in facultate à qua exercetur, qualis est actus intellectus & voluntatis; *secundus* est *minùs propriè immanens*, quia recipitur in ipso vivente, talésque sunt operationes sensitivæ: *Tertius* est *is qui propterea tantùm dicitur immanens, quia recipitur in subjecto diverso quidem à vivente, illo tamen aliquo modo intrinseco aut potiùs conjuncto*; talésque sunt operationes animæ vegetativæ in alimentum jam intus susceptum, nondum tamen conversum in substantiam viventis.

17. *In actu vitali duo vulgò distinguuntur*, scilicet *actio & terminus actionis* qui per eam producitur, verbi gratiâ in actu intellectus exprimitur ab intellectu in se ipso formalis imago objecti, quæ dicitur verbum mentis; productio autem istius imaginis est actio, imago verò est terminus actionis: Cæterùm actionem vitalem immanentem non distingui à

termino

termino probabilius est; nam sine ullo fundamento ponitur distinctio, ut probabitur infrà.

18. Quod spectat ad actus supernaturales, quales sunt visio Dei, actus fidei & charitatis; debent dici vitales, quia sunt actus viventis ut vivens est; licet autem hujusmodi actus, à vivente naturaliter exerceri non possint; non tamen desinunt esse vitales, quia ad hoc ut aliquid sit actus vitalis, non est necessarium, ut à vivente naturaliter exerceri possit, sed satis est ut ex natura sua exigat à vivente exerceri.

19. *Medici potentiam animæ definiunt*, vim seu facultatem, qua anima proprias functiones exercet, *à Galeno* verò *dicitur* causa actionis; functio verò seu actus vitalis ab aliis describitur, actio facultatis; *triplicem* autem faciunt *potentiam* scilicet *naturalem* quâ functiones naturales exercentur residétque in hepate; *vitalem*, quâ functiones vitæ exercentur; residétque in corde; & *animalem* quâ functiones animales exercentur, residétque in cerebro. *Prima* per venas: *Secunda* per arterias; *Tertia* per nervos operatur. Verùm Philosophi potentiam naturalem & vitalem referunt ad potentias animæ vegetantis de quibus infrà.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Anima Vegetatiua.

1. ANima vegetativa est principium intrinsecum principale vegetationis, scilicet nutritionis, accretionis, & generationis: Ejus autem natura sufficienter explicata est articulo præcedenti, dum de natura & definitione animæ: Ideo hîc tantùm tres ejus potentias explicabimus, scilicet potentiam nutritivam, augmentativam, & generativam.

DE POTENTIA NVTRITIVA.

2. IN *potentia nutritiva* alimentum; nutritio, facultates administræ, & quædam affectiones animæ vegetantis considerantur.

3. *Alimentum est corpus mixtum potentiâ vivens, & partim simile, partim dissimile viventi*: Dixi *corpus* quia alimentum debet resarcire damnum substantiæ corporeæ viventis illatum, & per conversionem pars ejus fieri debet; quod tamen esset impossibile, nisi alimentum esset substantia corporea: Dixi *mixtum*, quia animata cum sint mixta nutriun-

tur ex iisdem ex quibus sunt; adde quòd elementa habeant qualitates intensiores qualitatibus viventis, ideóque ejus potiùs temperamentum destruerent quàm susciperent : Dixi *potentiâ vivens*, ideft quòd converti potest in vivens, idque potentiâ non remotâ sed proximâ, adeo ut ejus temperamentum possit facilè à qualitatibus viventis immutari : Vnde fit ut metalla venena, & omnia ferè medicamenta non possint dici alimenta; quia non possunt proximè converti in substantiam viventis, & qualitates viventis non possint ea immutare; unde ulteriùs fit ut alimentum debeat esse calidum & humidum, aut saltem caloris & humiditatis susceptivum, cum his duabus qualitatibus potissimùm conservetur vivens; soliditatis tamen aliquid habere debet, ne penitus diffluat : Denique dixi, *alimentum debere esse partim simile, partim dissimile :* non enim debet esse omninò simile quia jam esset vivens, atque adeo non esset in substantiam viventis convertendum, quòd tamen requiritur ad rationem alimenti; adde quod simile non agit in omninò simile : Non etiam debet esse omninò dissimile & contrarium; quia nimia cum difficultate transmutaretur : Vnde patet *alimentum differre à medicamento*, quòd medicamentum suscipiatur ad restaurandum temperamentum perturbatum, alimentum verò ad restaurandam & reparandam substantiam; quod si res aliqua utrumque præstet, erit medicamentum & alimentum simul.

3. Cæterùm *alimentum necessarium est viventi?* Primò ut reparetur damnum illatum à calore interno, sicque conservetur individuum; Secundò, ut calor naturalis materiam habeat circa quam occupetur, dum enim caret alimento, substantiam viventis depascitur; Tertiò denique ut vivens debitam suæ speciei magnitudinem acquirat.

4. *Nutritio duobus modis* sumitur. *Primò*, pro dispositione alimenti ad conversionem; *Secundò*, pro ipsa vitali conversione alimenti in substantiam viventis, quæ aliter dicitur aggeneratio, quatenus per eam, tanquam per partialem generationem aliquid substantiæ viventis accedit.

5. *Tota autem nutritio fit hoc pacto :* Cibus ore sumptus per œsophagum emittitur in stomachum, seu ventriculum, ubi fit prima concoctio, vi caloris, quem partim nativum habet stomachus, partim accipit à corde, hepate, aliisque partibus calidis; Ex hac autem prima concoctione, existit quædam substantia alba quæ chylus dicitur; unde & ipsa concoctio Chylosis nominatur; sunt autem in ventriculo duo Ostiola, unum in superiori parte, quo cibos admittit; alterum in inferiori, quo conjungitur intestinis : Denique ea concoctio fit dum utrumque benè occlusum est; eâ verò absolutâ, ostiolum seu orificium inferius, quod Græci *pylorum*, Latini *janitorem* vocant, chylo in intestina exitum permittit; quæ intestina cum flexuosa sint, lentus est chyli trajectus; idque à natura constitutum est, ut interim ve-

næ

næ Mesenterii, quæ Mesaraicæ dicuntur, exugere possint subtiliores partes chyli crassioribus abeuntibus in excrementa; hæ autem venæ Mesaraicæ partæ illas subtiliores chyli attractas ad jecur per venam portam transmittunt.

6. In jecore fit secunda concoctio quâ chylus vi jecoris convertitur in humorem cruentum seu sanguineum, unde talis concoctio dicitur αἱμάτωσις seu sanguificatio: Ex tali autè humore cruento posteà secernuntur quatuor humores, scilicet sanguis, bilis, pituita, & melancholia; flava bilis quæ simpliciter dici solet bilis in vesiculam fellis defertur; melancholia seu atra bilis ad splenem amandatur; pituita deferendo sanguini inseruit, unde vehiculum alimenti seu sanguinis dicitur; perfunctáque suo munere, per venas emulgentes in renes attrahitur, & inde in vesicam expellitur, & per urinas ejicitur. Sanguis verò expurgatus in hepate per ejusmodi secundam concoctionem, excipitur à vena cava, quæ in varios canales divisa, propagatur sursum & deorsum per totum corpus; subtiliores partes ad cor & cerebrum deferuntur, ut in cerebro spiritus animales, in corde vitales conficiantur; naturales enim in hepate fieri creduntur; cæteræ sanguinis partes per venas tenuissimas capillares dictas ad alias partes alendas deferuntur.

7. Denique in singulis partibus fit tertia concoctio dicta ὁμοίωσις, idest assimilatio, quâ scilicet alimentum proximè disponitur ad conversionem in substantiam viventis, quæ dispositio fit cum successiva conversione alimenti in quatuor secundas humiditates; quarum prima dicitur sanguis jam crassior effectus, & quoad colorem immutatus; secunda dicitur ros ob similitudinem quàm habet cum rore, herbis insidente, eò quòd sit substantia concreta & lympida: Tertia dicitur cambium, quod est substantiæ coagulatio: Quarta dicitur gluten, ob crassitiem & tenacitatem, quâ cohæret partibus quibus uniri proximè debet; non caret autem hæc tertia concoctio excrementis, quæ sunt materia unguium, pilorum, sudoris &c. Denique his omnibus concoctionibus positis succedit vera nutritio, quæ est conversio alimenti in substantiam viventis.

8. *Facultates administræ potentiæ nutritivæ*, sunt attractiva, retentiva, digestiva, & expulsiva: *Attractiva & retentiva* non distinguuntur realiter; ejusdem enim virtutis est attrahere alimentum, & attractum retinere, sicut ejusdem virtutis est, res naturales deferre ad proprium locum, & ibi illis quietem dare: *Expulsiva* quoque ab illis non distinguitur; sicut enim eidem appetitui, vis inest bonum appetendi & malum fugiendi; ita & eidem facultati vis inest utile sibi alimentum attrahendi ac retinendi; noxium verò & inutile expellendi: *Digestiva seu concoctrix* communiter identificatur cum temperamento primarum qualitatum.

9. *Affectiones animæ vegetantis*, quæ hic tradi solent, sunt vita & mors, juventus & senectus, fames & sitis; *Vita* est mansio seu unio animæ cum corpore, *Mors* est privatio vitæ, vel separatio animæ à corpore: *Iuventus* est ætas illa in qua est abundantia humidi radicalis, quo pascitur

calor adhuc vegetus; *Senectus* est ætas illa in qua reperitur humidi decrementum & inopia, marcescente calore nativo; *fames* est appetitus calidi & sicci; *sitis* verò est appetitus frigidi & humidi.

DE POTENTIA AVGMENTATIVA.

10. *Potentia augmentativa* est facultas animæ vegetantis, quâ vivens majorem acquirit quantitatem, atque adeo fit majus; *augmentatio* verò formaliter est acquisitio novæ quantitatis, quâ vivens majus fit quàm antea; dixi, quâ majus fit, quia tunc propriè non dicitur vivens augeri, quando alimenti per nutritionem in suam substantiam converti, quantitatem accipit, vel æqualem vel minorem ea quàm amisit, licet utraque actio sit ejusdem speciei, & eundem habeat speciè terminum, scilicet quantitatem; unde patet augmentationem esse actionem distinctam à nutritione simpliciter, quia nutritio fieri potest sine augmentatione, alimentum enim potest converti in substantiam viventis per nutritionem, & tamen vivens non fieri majus.

11. Cæterùm *augmentatio & nutritio fiunt per poros*, idest alimentum convertendum in substantiam viventis & illi uniendum recipitur in poris, illisque conclusum convertitur & unitur; nam necessarium est, ut alimentum pervadat omnes partes nutriendas & augendas; id autem fit vel penetratione, vel divisione partium, vel receptione alimenti in poris; sed penetratio est impossibilis; divisio partium est contraria naturæ, & sine doloris sensu fieri nequit; ergo receptio alimenti in poris admittenda est.

12. *Talis autem augmentatio fit secundùm omnes partes corporis notabiles & sensibiles*, quia alimentum diffunditur per omnes corporis partes notabiles virtute facultatis attractivæ, & in earum poris recipitur; nulla enim est pars notabilis & sensibilis sine poris, atque adeo quæ non augeatur: Vnde patet quo sensu crescere dicuntur viventia, scilicet secundum partes notabiles, non autem secundum omnes omninò partes, alioquin vivens fieret duplo majus: Item inde apparet quomodo distinguatur augmentatio viventium quæ fit per intus susceptionem, ab augmentatione non viventium quæ fit per juxta positionem, idest per additionem materiæ ad partes externas.

13. *Quoad tempus augmentationis*, dicendum est *eam fieri simul cum nutritione*, quia unio quantitatis alimenti cum quantitate viventis quæ fit in augmentatione, est simul tempore cum unione materiæ alimenti cum materia viventis quæ fit in nutritione; & sicut quantitas & materia non distinguuntur; sic unio quantitatis alimenti cum quantitate viventis non distinguitur ab unione materiæ, alimenti cum materia viventis, atque adeo omnis augmentatio est nutritio, licet non semper omnis nutritio sit augmentatio ut suprà. Denique *augmentatio propriè dicta non fit toto*

vita

vitæ tempori, nec fit sine acquisitione quantitatis, potest tamen fieri sine acquisitione majoris quantitatis quàm deperdita sit; atque adeo sine vera augmentatione.

DE POTENTIA GENERATIVA.

14. Potentia *generativa duplicem* complectitur *facultatem, unam principalem* quæ est *virtus confectrix seminis, alteram instrumentalem in ipso semine residentem*, quæ est *virtus formatrix corporis organici, & productiva vel saltem unitiva animæ cum illo*; comprehenduntur autem ambæ nomine *potentiæ generativæ*, quæ describitur *facultas animæ vegetantis, confectrix seminis ex alimento purissimo, & eo mediante productrix viventis similis ad propagationem speciei*; licèt autem vis instrumentalis generativa semini insita distinguatur ab anima generante, non tamen distinguitur ab ipso semine.

15. *Generatio viventium* est processio viventis à vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ, dicitur *viventis* ut excludatur generatio non viventium: Dicitur *à vivente*, ut excludatur generatio viventium ex putrefactione: Dicitur *principio scilicet activo*, quod ideo *conjunctum* dicitur, quia vivens procedens à vivente, debet esse aliquomodo de substantia ejus, atque ipsi conjunctum, dum generatur; non quidem per se, sed ratione seminis ex quo formatur vivens: Dicitur *in similitudinem naturæ*, scilicet specificæ, si sit perfecta generatio ut generatio hominis ab homine, vel genericæ, si sit imperfecta, ut generatio muli.

16. *Semen* vulgò describitur, *excrementum utile ultimi & purissimi alimenti potentiâ generativa secretum, & calore naturali excoctum ad fœtus procreationem*: Aristoteles, Galenus & alii dicunt semen, in certa ac determinata corporis parte fieri, non autem ex omnibus partibus esse deciduum, si enim necessariò deberet fluere ex omnibus partibus, sequeretur mancos semper procreare mancos quod est contra experientiam. Dices *prolem generanti similem esse*, cujus rei ratio non potest tribui, nisi formationi seminis in omnibus partibus; sed contra plerumque proles parenti dissimilis est: Ergo alia similitudinis causa afferri debet, quàm formatio seminis in omnibus partibus, scilicet temperamentum seminis, & ejus virtus formatrix, color enim cujuscúmque rei oritur ex temperamento, atque adeo ex semine temperamentum parentum retinente, existit soboles illis in colore similis; conformatio autem membrorum est immediatus effectus virtutis seminalis, quæ fœtum generanti similem facit; ad augendam & impediendam illam similitudinem vis est maxima imaginationis parentum. *Ego existimo* probabilius esse *semen esse ex omnibus partibus deciduum saltem materialiter, & esse animatum animâ vegetativa aut sensitivâ.*

17. Hîc quæri solet *an Dæmon generare possit?* Respondetur virtute propriâ non posse; quia cum sit spiritualis non habet potentiam vitalem, confectricem seminis, aliena tamen virtute, idest applicando activa passivis id posse probabile est, exceptum virile semen transfundere posse videtur in uterum fœminæ, ex quo Deo permittente generetur homo.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Anima Sensitiva.

1. *Anima sensitiva* est principium intrinsecum principale sensationis, putà visionis, auditionis &c. quæ convenit cum anima vegetativa in eo quòd sit materialis corporea, diuisibilis, composita ex subtilissimis, mobilissimis & actuosissimis corpusculis, similibus flammulæ ex igne & aëre compositæ; & sic utráque distinguitur ab anima rationali, quæ sola est immaterialis, spiritualis, & immortalis. *Differt autem anima sensitiua à vegetatiua*, quòd anima vegetativa exerceat suas actiones, scilicet nutritiones, augmentationes & generationes sine cognitione; sensitiva verò exerceat suas actiones putà visiones & auditiones cum aliqua cognitione. Rursus, anima vegetativa videtur consistere in spiritu vitali fixo ab influentibus adjuto; sensitiva verò in spiritu animali fixo ab influentibus adjuto: *Spiritus autem vitales & animales communiter distinguuntur*, quòd vitales in corde confecti per arterias, diffunduntur in universum corpus; animales verò in cerebro confecti per nervos ab anteriore parte cerebri ortum habentes deferuntur ad organa sensuum externorum, & per nervos à posteriori parte cerebri procedentes diffunduntur per totum corpus. ut potentiam locomotivam juvent. Epicurus addit aliam differentiam, cùm dicit animam sensitivam constare ex quodam igneo, ex quodam aëreo, ex quodam flatuoso, & ex quarto quodam innominato quod est vis sentiendi, ne cogeretur dicere sensile ex insensilibus fieri.

2. Sicut corpus sensitivum constat variis organis seu partibus specie diversis, in quibus sunt poruli diversæ figuræ juxta diversitatem partium aut organorum. Ita *anima sensitiva* quæ existit in illis porulis, *constat partibus diuersa figura*, atque adeo diversæ formæ essentialis, & diversæ speciei, quæ cum partibus aut organis varias specie actiones producunt; putà pars animæ quæ est in oculo, diversa est specie à parte animæ quæ est in aure; & pars animæ quæ est in nervo, diuersa est specie à parte animæ quæ est in carne aut osse, & diuersas specie actiones producunt.

3. *Vita sensitiua triplici operationum genere peragitur*, scilicet *cognitione imperfecta & materiali rerum corporearum, appetitione boni aut fuga mali per illam cogniti, & motu locali vitali*: Vnde *triplex esse* dicitur *facultas animæ sensitiua in genere*, scilicet *cognoscitiua* complectens sensus internos & externos, *appetitiua* complectens appetitum sensitivum tam concupiscibilem quàm irascibilem, & *locomotiua* seu *progressiua*.

DE

DE SENSV IN GENERE.

4. Sensus in genere est facultas animæ sentientis perceptiva entis materialis, extensi, & singularis : *Facultas animæ sentientis* est facultas sentiendi principalis ; *Facultas verò corporis organici* est facultas sentiendi instrumentalis ; & ex utraque fit facultas sentiendi totalis: Nam *sola anima non cognoscit aut sentit, nec solum corpus organicum* ; sed corpus & anima simul constituunt unum principium cognoscendi aut sentiendi totale. *Facultas sentiendi principalis non distinguitur ab anima*, cum sit proprietas ejus, *facultas sentiendi instrumentalis non distinguitur à corpore organico aut ab organo* ; & *facultas totalis non distinguitur ab utraque, atque adeo nec à composito*.

5. *Objectum sensus in genere*, quod *aliter* dicitur *sensile* aut *sensibile*, est ens materiale, extensum, & singulare ; motivum facultatis cognoscitivæ per intimam cum illa conjunctionem. Dicitur *ens materiale*, quia facultas materialis qualis est sensus, non potest assurgere ad objectum immateriale percipiendum. Dicitur *extensum*, quia cum sensibile debeat agere in sensum aut organum sensus, debet esse aliqua proportio inter utrumque ; at organum sensus est extensum : Ad quod exigua sensum fugiant, ut patet experientiâ, ergo multò magis inextensa & indivisibilia. Dicitur *singulare*, tum quia objectum sensus debet agere in sensum, putà color in visum ; actiones autem sunt singularium & ratione principii, & ratione termini : Tum quia sensus nihil percipit nisi per aliquid singulare à singularibus emissum ; tum denique quia nullum est universale, ut probatum est in logicis. Dicitur *motivum potentiæ per intimam conjunctionem*, quia sic tantùm illam movet, excitat, & proximè potentem efficit ad agendum.

6. *Objectum sensus seu* sensibile *dividitur* in sensibile per se & sensibile per accidens. *Sensibile per se* est quod per propriam entitatem sub sensum cadit non autem beneficio alterius, ut color illuminatus respectu visus. *Sensibile per accidens* est quod non per propriam entitatem, sed beneficio alterius sub sensum cadit ut substantia corporea quæ per accidentia sua percipitur : Quòd si accidentia quibus dicitur cognosci substantia, non sint vera accidentia, sed sint ipsa substantia, ut calor ignis ; tunc substantia potest dici sensibilis per se. *Sensibile per se* subdividi solet in proprium & commune : *Proprium* est quod ab uno sensu, non autem à pluribus ejusdem ordinis percipitur, ut color à visu, sensus enim internus percipiens colorem est alterius ordinis. *Commune* est quod à pluribus sensibus ejusdem ordinis percipitur, ut magnitudo. *Sensibile proprium quintuplex* est, scilicet *color*, *sonus*, *odor*, *sapor*, & *qualitas tactilis*, de quibus fusè in-

infrà. *Sensibile commune* est etiam quintuplex, scilicet *motus*, *quies*, *numerus*, *figura*, & *magnitudo*.

7. *Instrumentum* seu *organum sensus & sensationis duplex communiter* ponitur, scilicet passivum & activum: *Passivum* est sensorium seu organum quod recipit id quod emittitur ab objecto, & recipit ipsam sensationem: *Activum* verò sunt spiritus animales influentes qui sunt partes sanguinis calidiores & puriores in cerebro confecti; dixi spiritus influentes, nam spiritus animales fixi sunt ipsa anima sensitiva, atque adeo causa non instrumentalis, sed principalis sensationum.

8. *Sensatio* est cognitio seu perceptio rei materialis, extensæ, ac singularis: *De modo* autem *sensationis*, quo scilicet sensus percipit objecta materialia, *tres sunt præcipuæ Philosophorum sententiæ*. *Prima* est eorum qui existimant sensationem fieri beneficio specierum intentionalium, quæ sunt qualitates accidentales repræsentativæ objectorum. *Secunda* est eorum qui existimant sensationem fieri mediantibus quibusdam effluxibus substantialibus ex objecto ad sensum delatis & in eo receptis. *Tertia* est eorum qui existimant sensationem fieri per pulsationem nervorum sensoriorum ab aliquo objecto.

DE SENSATIONE PER SPECIES Intentionales.

9. PRima sententia, quæ est de sensatione per species intentionales sequentibus assertionibus explicatur. Prima talis est: *Dantur species intentionales*; Primò, quia ad actionem requiritur contactus agentis & patientis, vel physicus, vel virtualis; ergo cum objectum cadat in sensum, debet esse ei conjunctum, vel physicè, vel virtualiter; at sæpè non est conjunctum per contactum physicum, ut patet in rebus quæ distantes ab oculo videntur; ergo requiritur contactus virtualis, qui aliter esse non potest quàm per qualitatem aliquam diffusam per medium ab objecto in potentiam, quæ qualitas dicitur species intentionalis. *Verùm respondetur*, in actione tactus & gustus contactum esse physicum, & objectum immediatè tangere & pulsare nervum tactorium aut gustatorium, nulla mediante specie intentionali; in actione olfactus substantias quasdam subtiles odoríficas prodeuntes ex rosis, violis, aliisque objectis, ferire & pulsare nervum olfactorium sine specie intentionali; in auditione aërem pulsum à campana aut alio objecto ferire & pulsare nervum auditorium sine specie intentionali; ac denique in visione, lumen reflexum ab objecto, quod est substantia subtilissima, ferire ac pulsare nervum opticum sine specie intentionali.

10. Secun-

10. Secundò, quia sensus est indifferens ex se ad varia objecta percipienda; ergo ad unum potiùs quàm ad aliud determinari debet, vel per præsentiam objecti, vel per immissionem speciei intentionalis; non per præsentiam objecti, alioquin perinde res omnes, sive exiguas sive magnas præsentes sentiremus; ergo per speciem intentionalem. Verùm respondetur, sensum determinari ad unum potiùs quàm ad aliud per præsentiam certi objecti in actione tactus & gustus; in olfactione verò, auditione, & visione, per pulsationem nervi olfactorii, auditorii, & visorii seu optici à certa quadam substantia corporea sine specie intentionali.

11. Tertiò, quia dici non potest quâ ratione speculum exhibere potest intuentis vultum, & ea quæ ipsi à tergo sunt nisi reflexione speciei à vultu & aliis objectis acceptæ; & quâ ratione si in cubiculo bene clauso, & in exiguo foramine relicto ponatur vitrum in medio crassius quàm in extremitatibus, in linteo objecta ab eo remota quasi depicta cernuntur, nisi propter emissionem specierum ab objectis; ac denique quomodo fit ut à sensu interno percipiatur objectum absens anteà cognitum, nisi reservata sit imago talis objecti. Verùm respondetur, id fieri per lumen reflexum à vultu ad speculum, & ab objecto ad linteum, & à speculo & linteo ad oculum sine specie intentionali; nec reservatur imago objecti, sed à vaporibus aut spiritibus feritur nervus in cerebro, eo ferè modo quo antea ab objecto, ut fusiùs declarabitur infrà.

12. Secunda assertio est ejusmodi *Species intentionales sunt accidentia*; neque enim sunt substantiæ corporeæ, cum penetrent corpora; neque substantiæ spirituales, cum fiant à corporibus, neque sunt quantitates, cum sint multæ species in eadem parte aëris: Ergo sunt qualitates accidentales, perficientes subjectum proprium, scilicet organum, in agendo. *Verùm respondetur*, id quod emittitur aut reflectitur ab objecto esse substantiam corpoream, nec penetrare corpora penetratione propriè dictâ, sed ferire & pulsare nervos sensorios, ut probabitur infrà: Falsum est autem multas species esse in eadem parte aëris, & ab eadem parte aëris videri omnes partes objecti, ut fusè demonstrabitur infrà dum de visu.

13. Tertia assertio sic se habet: *Species intentionalis est qualitas repræsentativa objecti, & dividitur in impressam & expressam: Species expressa* est repræsentatio formalis & actualis objecti, vel est terminus intrinsecus cognitionis, quem dum potentia producit, exprimit in se similitudinem objecti, quæ in intellectu dicitur verbum mentis, in phantasia dicitur phantasma, & in aliis sensibus species expressa simpliciter nuncupatur; interdum tamen significatur nomine actionis quâ producitur, à qua nihilominus distinguitur adjecta voce expressæ, ut cum dicitur visio expressa, auditio expressa. *Species impressa* est qualitas virtualiter repræsentans objectum, quæ potentiæ cognoscenti conjuncta vice objecti, facit cum illa unum agens totale ad cognitionem eliciendam: Dicitur autem impressa, quia potentiæ imprimitur vel ab objecto, vel aliunde:

Quidam confundunt speciem impressam cum expressa; & dicunt eandem speciem vocari expressam, quando potentia cognosciriva operatur, impressam verò, quando non operatur. *Meliùs species expressa confunderetur cum cognitione, & impressa cum habitu* de quo infrà.

14. Quarta assertio hæc est: *Causa efficiens specierum intentionalium varia est*; species enim sensuum externorum producuntur & conservantur ab ipsis objectis sensibilibus; siquidem mutato objecto mutatur species, & quò vicinius aut remotius est objectum, eò intensior aut remissior est species, objectúmque ipsum clariùs vel obscuriùs percipitur: *Species sensus interni* vel sensatæ, vel insensatæ; *sensatæ* dicuntur eæ per quas repræsentatur objectum sub aliqua ratione jam sensu externo cognita, ut species rem coloratam & jam visam phantasiæ repræsentans; *Insensatæ* verò sunt per quas repræsentatur objectum sensibile sub aliqua ratione sensibus externis non percepta, ut species quâ ovis, quando lupum conspicit primò, cujus nihil aliud sensu externo præter colorem & figuram videt, eum apprehendit ut sibi inimicum.

15. *Causa specierum intentionalium sensus interni* est objectum externum mediante & coagente sensatione sensus externi: Quia sensus internus objectum externum percipit prout cognitum sensu externo; ideo necesse est ut habeat speciem repræsentantem non tantùm objectum, sed etiam sensationem externam; si enim produceretur ab objecto solo repræsentaret tantùm objectum; & si à sola sensatione externa produceretur, repræsentaret tantùm sensationem externam; ergo cum repræsentet objectum & sensationem externam simul, ab utroque produci debet; nisi velis sensum ipsum internum excitante & determinante operatione sensus externi, producere speciem objecti in proprio organo, scilicet in cerebro, eâque uti ad idem objectum cognoscendum productione phantasmatis; sicque dari sensum agentem producentem speciem intentionalem seu impressam, & sensum patientem producentem phantasma; quo objectum actu & formaliter apprehendit; quod probari videtur ex eo quòd ejusmodi species intentionales sensus interni non pendeant quoad conservationem ab objecto & sensatione externa; species autem conservari creduntur ab eo à quo producuntur.

DE

DE SENSATIONE PER EFFLVXVS Substantiales ab objectis.

16. *Secunda sententia quæ est de sensatione per effluxus substantiales ab objectis* sic explicatur. Primò, species sensibiles substantiales, ab objecto egrediuntur, & ab ipso imprimuntur in sensum externum, illúmque afficiunt, unde vocantur species impressæ, posteà verò repræsentantes objecta in sensu externo dicuntur species expressæ. Secundò, ex sensu externo beneficio nervorum deferuntur ad cerebrum in sensum internum, & tunc vocantur species impressæ sensus interni, quæ si objecta illa sensibilia postmodùm repræsentent, vocantur species expressæ, quia aliquo modo exprimunt naturam objectorum ex quibus expressæ sunt. Tertiò, anima sensitiva in cerebro residens, mediantibus illis speciebus sensibilibus, & ipsarum motu, percipit objecta sensibilia extra cerebrum existentia: verbi gratiâ in visu res ita se habere creditur; objectum visibile emittit sui speciem sensibilem substantialem, quæ aërem aut aliud medium peruadit usque dum deferatur ad organum visus, in quo recepta vocatur species impressa; postea repræsentans objectum vocatur species expressa: Deinde species illa sensibilis in organo visus sic recepta, postquam affecit organum visus, mediantibus nervis visoriis defertur ad cerebrum, sensum internum & phantasiam, & sic vocatur species impressa sensus interni, ibíque repræsentans objectum visibile extra animal constitutum vocatur species expressa; anima verò ab ejusmodi specie affecta, mediante eâ percipit objectum quæ perceptio communiter dicitur sensatio seu visio: Eodémque modo philosophandum de reliquis.

17. Rationes quibus hæc sententia nititur, eædem ferè sunt cum illis quæ propositæ sunt pro speciebus accidentalibus, quarum solutionum suprà traditæ sunt; reliquarum verò rationum peculiarium infirmitas patebit ex infrà dicendis.

DE SENSATIONE SECVNDVM NOS.

18. *Sententia nostra de sensatione & modo sensationis* sequentibus assertionibus explicatur. Prima assertio talis est: *Nulla dantur species intentionales ab objectis emissæ.* Primò, quia illi quibus vulnere aliquo oculus læditur, credunt se infinitas ignium & fulgurum vibrationes cernere, licet oculos clausos habeant, aut in cubiculo obscuro commo-

rentur; quo casu nullæ species aut imagines ab objectis emittuntur; & tales sensationes seu visiones ignium, luminum & colorum, non alii rei sunt imputandæ, quàm agitationi vehementi, quæ capillamenta exigua nervi optici ad cerebrum usque instar violenti cujusdam luminis movet; in explosione globi tormentarii magna fit agitatio aëris, qui feriens nervos auditorios, producit sonum ingentem in aure, vel in cerebro, vel in utroque; sed si fieret similis agitatio in nervis auditoriis quæ communicaretur cerebro, fieret similis sonus, licèt extra aurem nulla agitatio aëris facta esset. Idem accidit interdum iis quibus caput est contusum ac vulneratum, scilicet quod motus diversi qui tunc communicantur cerebro excitent varias sensationes, cognitiones & imaginationes rerum.

19. Secundò, quia sæpe in pellucidis corporibus quidam colores apparent, ubi certum est nihil esse quod eos producere possit, extra diversos modos quibus radii luminis admittuntur, ut patet in Iride & Prisinate seu Triangulo vitreo; non igitur visio aut perceptio colorum fit per species ab objectis emissas.

20. Tertiò, quia si Solem intuemur, fit impressio quædam in oculis per aliquod tempus, adeo ut licet post intuitum Solis claudantur oculi, varios tamen colores nobis videamur videre, quod non aliunde procedit, quàm ex eo quòd fibrillæ nervi optici insolito motu concussæ & agitatæ non tam citò residant quàm aliàs: Ergo id non procedit à speciebus aut imaginibus: Deinde cum agitatio quâ oculi etiam clausi palpitant & quasi contremiscunt, paulatim minuatur, & non satis valida sit ad efficiendum tantum lumen quantum fuit illud à quo venit, colores minùs vividos & minùs intensos repræsentat, & hi colores paulatim mutantur, quod satis docet illorum naturam in diversitate motus fibrillarum duntaxat consistere.

21. Quartò, quia gladius verbi gratiâ corpori impactus illud scindit, & ex hoc solo sequitur dolor aut sensatio doloris; Id igitur non procedit à speciebus ab objectis emissis: Et cum videamus doloris sensum in nobis excitari ab eo solo quòd aliquæ corporis nostri partes contactu alicujus alterius corporis localiter moveantur, concludendum est aliquibus etiam motibus localibus reliquas affectiones produci; cum omnes sensationes & cogitationes eodem modo fieri rectiùs dicatur. Et reverà actiones tactus & gustus fieri immediatè ab objectis sine speciebus intentionalibus omnes agnoscunt: Actiones olfactus fieri per substantias quasdam subtiles odorificas, ex floribus verbi gratiâ prodeuntes, & nervos olfactorios ferientes sine speciebus intentionalibus, certissimum est: De reliquis idem infrà probabimus. Denique, verba, sive ore prolata, sive scripta, quaslibet in anima nostra cogitationes & cognitiones aut sensationes excitant, quæ cogitationes non sunt similes verbis aut scriptis, nec sunt imagines eorum.

22. Quintò

22. Quintò, quia si darentur ejusmodi species visibiles, vel essent substantiæ, vel accidentia, cum omne ens actu existens, vel inhæreat, idest existat dependenter à subjecto, & est accidens; vel non inhæreat, sed per se subsistat, idest existat independenter à subjecto, seu non egeat subjecto ad existendum, & est substantia: Sed *ejusmodi species visibiles* nec possunt dici accidentia, nec substantiæ, quod sic probatur: *Non esse accidentia* patet, ex eo quod omne accidens inhæreat subjecto, & dependeat ab ipso ad existendum, ut probavi dum de substantia & accidente: Sed species visibiles non inhærent alicui subjecto eas sustentanti, quod sic probatur; si daretur tale subjectum sustentans species visibiles, esset potissimum aër, per quem trajiciuntur species illæ ab objecto ad speculum aut oculum; at aër non potest esse tale subjectum sustentans species, quod sic probatur; si aër esset subjectum sustentans ejusmodi species, sequeretur eas moveri ad motum aëris, cum omne accidens inhærens subjecto, & sustentatum ab ipso, moveatur ad motum subjecti; sed ejusmodi species non moventur ad motum aëris, quod sic probatur: Si ejusmodi species moverentur ad motum aëris, sequeretur aëre huc & illuc dispulso à vento, species etiam huc & illuc dispelli cum eo: Sed species non dispelluntur huc & illuc cum aëre à vento, quod sic probatur; quod semper transfertur rectà per aërem, usque ad speculum aut oculum; non dispellitur huc & illuc cum aëre à vento; sed species semper rectà transferuntur ad speculum aut oculum per aërem ut patet experientiâ.

23. Dices species ejusmodi visibiles produci in instanti ab objecto per omnes partes aëris circumfusi usque ad oculum seu speculum: Motum autem aëris (cum sit successivus) non fieri in instanti, atque adeo species non moveri ad motum aëris.

24. Verùm contra hanc responsionem; dico, objectum non posse agere in instanti, nec producere in instanti speciem sui per omnes partes aëris circumfusi usque ad speculum aut oculum; quia objectum priùs deberet producere speciem sui in partibus propinquioribus aëris quàm in remotioribus; nihil enim agit in distans nisi priùs agat in medium propinquius, siquidem agens non agit nisi ubi est; at objectum non est in partibus remotis aëris, ergo non potest in eas agere, atque adeo nec in iis producere speciem sui.

25. Dices, agens scilicet subjectum, non esse in partibus remotis per se seu per suam substantiam aut essentiam, sed tantùm per virtutem: Objectum enim producit in parte aëris proxima speciem, & pars aëris proxima affecta tali specie producit in alia parte aëris similem speciem & sic deinceps; sicut ignis calefaciens aërem producit calorem in parte aëris proxima, & pars aëris proxima affecta tali calore producit in alia parte aëris eundem aut similem calorem &c.

26. Verùm contra hanc responsionem dico, quod priùs res debeat esse quàm agere, siquidem operari sequitur esse, atque adeo species producta ab objecto in propinqua parte aëris priùs est in illa parte quàm agat

aut producat aliam similem speciem in alia parte aëris: Adde quòd objectum non erit causa principalis & proxima speciei acceptæ in speculo aut oculo, sed aër, quod est absurdum.

27. *Species etiam ejusmodi visibiles non esse substantias patet*, quia vel essent substantiæ corporeæ vel spirituales: non spirituales, quia Deus, Angelus, & anima rationalis duntaxat sunt spirituales substantiæ; Et species visibiles ampliantur, contrahuntur, detorquentur, invertuntur & constant partibus situm suum & colores suos inconfusos servantibus, quæ certè non possunt convenire substantiis spiritualibus; non etiam esse substantias corporeas probatur, quia vel essent effluxus substantiales corporei & tenuissimi ab extimis corporis partibus prodeuntes; vel essent lux quædam sive à corporibus lucidis directa, sive ab aliis particulis diversimodè dispositis superficiei corporis certò modo reflexa, quæ quasi tincta imagine objecti recipitur in aëre, in oculo, in speculo &c. sed neutrum dici potest, quod sic probatur; non quidem esse effluxus substantiales corporeos patet, quia cum talis effluxus debeat esse totius superficiei corporis, eò quòd non sit major ratio, cur una pars superficiei effluat quàm alia pars, sequitur sex superficies, scilicet superficies laquearis, soli, & quatuor parietum ejusdem cubiculi per se invicem trajici, quod non potest fieri sine penetratione, quæ est impossibilis, non sunt enim tot vacuitates in una superficie quot requirerentur ad hoc ut quinque aliæ trajicerent per illam: Adde quòd fieret diminutio corporis intra notabile tempus, putà intra quædam sæcula, quod tamen est falsum ut patet in marmoribus & aliis similibus corporibus: Quoad lucem reflexam ab objecto, certum est eam ferientem nervum opticum & cerebrum, producere in cerebro ejusmodi species seu imagines aut sensationes earum; sed falsum est lucem ejusmodi esse formaliter ipsam speciem aut imaginem, sed tantùm efficienter aut virtualiter; licèt autem species aut imago interdùm appareat ubi incipit reflexio lucis non tamen ibi est realiter, sed tantùm in oculo aut anima, ut probatum est suprà.

28. Secunda assertio est ejusmodi: *Corpus & anima concurrunt ad sensationes diversimodè; corpus quidem instrumentaliter, anima verò principaliter; nam nec sola anima sentit sine corpore, nec corpus sine anima; putà corpus solum non videt, nec anima sola, sed totum compositum ut quod, & oculus ut quo.*

29. Cartesius existimat solam animam propriè sentire, cognoscere, & judicare; idque non quatenus est in singulis membris, sed quatenus est in cerebro, ubi sentit nervorum operea quæ corpori accidunt in singulis membris, quod probat his rationibus. Morbi solum afficientes cerebrum, ut apoplexia, morbus comitialis, syncope &c. sensum omnem tollunt aut perturbant; imò ipse somnus qui est in solo cerebro nobis magna ex parte adimit sentiendi facultatem. 2. Quia cerebro illæso, si tantùm viæ per quas nervi à membris externis ad illud porriguntur obstructæ sint, illorum membrorum sensus etiam perit. 3. Quia dolor aliquando sentitur

tanquàm

tanquàm in quibuſdam membris, in quibus tamen nulla proſus doloris eſt cauſa, ſed in aliis membris per quæ tranſeunt nervi, qui ab illis ad cerebrum prætenduntur; idque potiſſimùm patet in iis quibus amputatum eſt brachium aut crus, qui varios dolores nunc in uno manus abſciſſæ digito, nunc in alio ſe ſentire queruntur, quod procedit ex eo quod nervi qui priùs ex cerebro ad manum deſcendebant, & nunc in brachio juxta cubitum terminantur, ibi eodem modo moventur ac priùs debuiſſent moveri in manu ad ſenſum hujus vel illius digiti dolentis, animæ in cerebro reſidenti imprimendum. 4. Quia cognitiones ſentiuntur in cerebro, non alibi. 5. Quia dolor vehemens ſyncopem interdum efficit, quod non fieret ſi doloris ſenſatio non communicaretur cerebro. Ego exiſtimo dolores & ſenſationes eſſe in ſingulis membris & in cerebro; cognitiones verò & judicia in cerebro tantùm: Et ad duo priora argumenta reſpondetur, ſenſum tolli defectu ſpirituum animalium.

30. Tertia aſſertio ſic ſe habet: *Ut ſciamus quomodo per nervos interjectos impreſſiones corporum externorum recipiamus, tria in iis ſunt diſtinguenda.* 1. *Membranulæ quibus involuuntur*, ortæ ex tunicis cerebrum circundantibus, quæ membranulæ multis ramis in modum tubulorum diffuſæ per totum corpus ſparguntur, non minùs quàm venæ & arteriæ. 2. *ſubſtantia interior nervorum* quæ in tenuiſſimas fibras, ſeu in tenuiſſima quædam quaſi capillamenta non dependentia ab invicem imaginari debemus. 3. *Spiritus animales* qui inſtar aëris aut venti ſubtiliſſimi ex ventriculis cerebri per eoſdem tubos ad muſculos evehuntur: Conſentiunt autem omnes Medici & Anatomici hæc tria in nervis reperiri: Sed de uſu eorum, valdè diſſentiunt; Multi enim viri celeberrimi videntes nervos inſervire non tantùm ſenſui, ſed etiam motui membrorum; & contingere interdum paralyſes, quæ ſenſu integro remanente motum tollerent; Duo fecerunt nervorum genera, quorum unum ſoli motui, alterum ſoli ſenſui aſſignarunt; & nonnulli ſentiendi vim in membranulis, & movendi vim in ſubſtantia interiore collocarunt; verum exiſtimant alii & quidem meliùs, nullum eſſe nervum motui inſervientem, qui non ſimul alicui ſenſui inſerviat; & ſi vis ſentiendi eſſet in membranulis; diverſas objectorum impreſſiones per ejuſmodi membranulas non facilè mobiles in cerebrum non penetraturas rectè arbitrantur. Quare potiùs credendum eſt ſpiritus animales per tubulos nervorum in muſculos dilapſos, motum omnium membrorum efficere: Fibrillas autem ſeu capillamenta exigua ex quibus interior ſubſtantia nervorum componitur ſimùl cum ſpiritibus animalibus ſenſibus inſervire: Et quoniam non eſt neceſſarium hoc loco de motu loqui, ſufficit advertere exigua illa capillamenta ad extremitates omnium membrorum porrigi, quæ aliquomodo ſentire poſſunt adeo ut ſi leviſſima tantùm pars illorum pulſetur aut moveatur cui adhæret aliquis nervorum, eodem momento illa pars cerebri moveatur ex qua nervus ille deſcendit, quemadmodum ſi alterum extremum reſtis diſtentæ moveatur aut pulſetur, alterum etiam eodem momento commovetur.

31. Assertio quarta hæc est : *Sensuum seu sensationum diversitates à duobus dependent, scilicet ab ipsorum nervorum diversitate & à diversitate motuum, qui in singulis nervis fiunt* : Non enim existimandum est singulos nervos facere singulos sensus à reliquis diversos, sed septem diversas differentias in iis notare licet, quorum duæ pertinent ad sensus internos, aliæ quinque ad externos de quibus aliquid dicendum.

32. *Nervi qui ad ventriculum, œsophagum, fauces, aliásque ejusmodi partes* interiores explendis naturalibus desideriis destinatas porriguntur, *faciunt unum ex duobus sensibus internis* qui dicitur *appetitus naturalis*, adeo ut motus certus ejusmodi nervorum communicatus cerebro, sensum famis, & sitis, producat in ventriculo & in cerebro.

33. *Nervuli qui ad cor & præcordia porriguntur*, licet perexigui, *faciunt alium sensum internum*, qui dicitur *appetitus sensitivus*, in quo consistunt omnes affectus & passiones animi, putà amor & odium, lætitia & tristitia, ira &c. verbi gratiâ sanguis ritè temperatus, & plus solito in corde dilatatus, nervulos circà orificia sparsos ita laxat & movet, ut inde alius motus cerebro communicetur, qui naturali quodam sensu hilaritatis afficit mentem; è contra sanguis nimis crassus malignè in cordis ventriculos fluens & non dilatatus, motum quendam in iisdem præcordiorum nervulis facit, qui cerebro communicatus sensu tristitiæ afficit mentem; quamvis ipsa fortè nesciat cur tristetur : Notandum tamen præter sanguinem bene aut malè temperatum, dilatatum, aut non dilatatum; alias esse causas quæ nervulos istos eodem motu moventes, eundem lætitiæ aut tristitiæ sensum dant, sic auditio grati nuntii, & imaginatio ejus, aut imaginatio fruitionis alicujus boni, spiritus ex cerebro ad musculos quibus cordis aut præcordiorum nervi inserti sunt mittit, eorúmque ope orificia cordis expanduntur vel constringuntur, & ejus nervuli moventur, qui motus cerebro communicatus afficit lætitiâ aut tristitiâ animam.

34. *Sensus externi quinque vulgò numerantur*, propter quinque diversa objectorum genera nervos iis servientes moventia, & totidem genera sensationum & cogitationum, quæ ab istis motibus in anima excitantur; *Ad ejusmodi autem sensationes formandas tria requiruntur* 1. *Corpus animatum anima sentiente* putà homo aut brutum 2. *Corpus aliud à corpore animato*, putà baculus: 3. *Ut hoc corpus* putà baculus *moveat, pulset, aut feriat corpus animatum, sc. nervos ejus, qui nervi pulsati motum suum aut pulsationem communicent cerebro, & sensationem aliquam & cognitionem producant*, idque manifestum fit in omnibus sensibus hoc pacto.

35. *In Tactu* sic se res habet: Nervi sunt in universi corporis cutem desinentes, qui mediante illâ à quibuslibet corporibus tangi & moveri possunt, sive ab eorum duritie, sive ab eorum calore, sive ab eorum humiditate &c. quotquot autem ejusmodi nervi seu potiùs fibrillæ aut capillamenta eorum, diversis motibus moventur, aut à motu suo ordinario impediuntur,

diuntur, tot in animali sensationes & cognitiones diversas excitant, ex quibus tot tactiles qualitates denominantur, quæ vel sunt gratæ, vel molestæ: Verbi gratiâ cum palea leviter mota suprà labium hominis ipsum titillat, tria reperiuntur, scilicet labium hominis, palea, & levis motus paleæ supra labium; qui motus paleæ moderatè movet nervum tactorium labii seu potiùs capillamenta seu fibrillas ejusmodi nervi, & ejusmodi motus communicatus cerebro producit in homine titillationem seu sensationem gratam titillationis, quæ titillatio est actu formaliter in homine, non autem in palea, nisi virtualiter, quatenus palea leviter mota suprà labium hominis habet virtutem producendi in homine ejusmodi titillationem: Pariter, cùm aliquis baculo fortiter percutitur, tria reperiuntur, sc. cutis in quam nervi tactorii desinunt, baculus, & motus baculi ferientis cutem, qui motus baculi immoderatè movet fibrillas nervorum tactoriorum, & ejusmodi motus communicatus cerebro producit in animali dolorem seu sensationem molestam doloris, qui dolor est actu & formaliter in animali, non autem in baculo, nisi virtualiter, quatenus baculus feriens cutem animalis, habet virtutem producendi in animali dolorem aut sensationem ejus; similiter cùm ignis urit manum, tria reperiuntur, scilicet manus, ignis, & insinuatio partium ignearum inter partes manus, quâ insinuatione feriuntur nervi tactorii manus, aut fibrillæ eorum, qui motus feritionis communicatus cerebro producit in homine dolorem molestum, qui dicitur calor immoderatus aut sensatio caloris immoderati, & talis calor est actu & formaliter in homine, non autem in igne nisi virtualiter, cum ignis non habeat ejusmodi passionem molestam aut sensationem caloris, sed habeat virtutem eam producendi in homine: Item cum aliquis homo ad ignem accedit & calefit, tria reperiuntur, scilicet homo, ignis, & motus partium ignearum sese in corpus ejus insinuantium; & tali motu igniculorum feriuntur, & moventur moderatè nervi tactorii aut fibrillæ eorum talique motu communicato ipsi cerebro producitur in homine passio quædam grata quæ dicitur calor moderatus aut sensatio caloris moderati, qui calor est actu & formaliter in homine, non autem in igne, nisi virtualiter; quia ignis non habet ejusmodi passionem gratam aut calorem moderatum, sed habet tantùm virtutem producendi ejusmodi passionem aut calorem in homine: Vnde patet ignem propriè loquendo non habere calorem, atque adeo non esse calidum, sed calorificum, nisi vocabulum caloris sumatur pro virtute producendi calorem in animali; sed Philosophi sunt prorsus inexcusabiles, qui volunt calorem sumptum pro virtute calefaciendi quæ est in igne aut potiùs identificatur cum ipso igne, & calorem productum in animali esse ejusdem speciei, naturæ & essentiæ; nam calor moderatus productus in animali consistit in aliqua passione & quasi titillatione grata quæ sentitur ab animali, quæ passio non potest esse in igne: Denique, cùm attrectatur glacies, tria reperiuntur, scilicet manus, glacies,

& quædam percussio aut quasi percussio manus, qua percussione nervorum tactoriorum manus aut fibrillarum eorum communicata cerebro, producitur in homine passio quædam molesta, quæ vocatur frigus, aut sensatio frigoris, quod frigus est actu & formaliter in homine, non autem in glacie, nisi virtualiter; quia glacies non habet ejusmodi passionem molestam, sed habet virtutem producendi eam in homine; cum igitur glacies non habeat tale frigus, sequitur glaciem non esse frigidam, sed frigorificam, ob eandem rationem quâ suprà probavimus ignem non esse calidum.

36. *In Gustu* sic se res habet. Dantur nervi per linguam & partes ei vicinas sparsi, qui à corporum potissimùm alimentorum particulis ab invicem disjunctis, & simul cum saliva in ore natantibus, diversimodè moventur, qui motus nervorum cerebro communicati diversas sensationes in animali producunt, prout ipsorum alimentorum figuræ sunt diversæ: Verbi gratia cum quis haurit vinum absynthio conditum tria reperiuntur, scilicet palatum aut lingua, vinum absynthio conditum, & percussio aut quasi percussio palati ab ejusmodi vino, quâ percussione nervi gustatorii cerebro communicatâ, producitur in homine, passio quædam molesta, quæ vocatur amaritudo aut sensatio amaritudinis, quæ amaritudo est actu & formaliter in homine, non autem in ejusmodi vino, nisi virtualiter; Quia vinum absynthio conditum non habet ejusmodi passionem molestam amaritudinis, sed habet virtutem producendi eam in homine: Vnde patet absynthium aut vinum absynthio conditum, non esse amarum, sed amarificum, ob eandem rationem quâ suprà ostendimus ignem non esse calidum. Pariter cùm mel comeditur, tria reperiuntur, scilicet palatum aut lingua, mel, & percussio palati aut nervi gustatorii à melle, quâ percussione cerebro communicatâ, producitur in homine passio quædam grata, quæ vocatur dulcedo aut sensatio dulcedinis, quæ dulcedo est actu & formaliter in homine, non autem in melle, nisi virtualiter: quia mel non habet ejusmodi passionem gratam & quasi titillantem, sed habet virtutem eam producendi in homine: Vnde patet mel non esse propriè dulce, sed dulcificum.

37. *In Olfactu* sic se res habet: Dantur duo nervi seu cerebri appendices extrà calvariam non exertæ, qui moventur à corporum quorundam putà florum particulis disjunctis & in aëre volitantibus non quibuslibet, sed iis quæ sunt subtiles & vividæ, ut in nares attractæ per ossis spongiosi meatus usque ad illos nervos odoratorios perveniant, & à diversis motibus ejusmodi nervorum aut fibrillarum eorum cerebro communicatis, fiunt in animali diversorum odorum sensationes: Verbi gratiâ cùm rosa ad nares admovetur tria reperiuntur, scilicet nares, rosa aut partes tenuiores rosæ quæ exhalant, & percussio aut quasi percussio narium ab ejusmodi spiritibus odorificis, qua percussione narium aut potiùs nervorum odoratoriorum cerebro communicatâ, producitur in animali passio quædam grata quæ dicitur odor aut sensatio odoris, qui odor est actu & formaliter in animali,

animali, non autem in rosa nisi virtualiter, quia rosa non habet ejusmodi passionem gratam, quæ vocatur odor aut sensatio odoris sed habet virtutem producendi eam in animali, adeo ut propriè rosa non sit odorata, sed odorifica: idemque dicendum est de moscho, de violis, aliisque odorificis, ac de rosa.

38. *In Auditu* sic se res habet: Dantur duo nervi in intimis aurium cavernis reconditi, qui excipiunt tremulos & vibratos totius aëris circumstantis motus; aër enim diversimodè motus membranulam tympani concutiens, subjunctam trium ossiculorum catenulam cui isti nervi adhærent, simul quatit; & ex horum motuum nervorum diversitate cerebro communicatorum diversæ sonorum sensationes in animali producuntur: Verbi gratiâ cùm auditur sonus à campana productus, tria reperiuntur, scilicet auris aut tympanum ejus, aër motus à campana pulsata, & percussio nervi auditorii aut fibrillarum ejus ab aëre moto, qua percussione nervi auditorii cerebro communicatâ producitur in animali passio quædam grata quæ vocatur sonus aut sensatio soni, qui sonus est actu & formaliter in animali, non autem in campana aut in aëre, nisi virtualiter, quatenus scilicet aër motus à campana pulsata habet virtutem producendi sonum in animali: quamvis autem sonus longè à nobis fieri videatur, scilicet in campana aut in aëre, attamen certum est eum tantùm fieri in animali, deceptio autem oritur ex hac falsa hypothesi, scilicet quòd sonus fiat in campana aut in aëre formaliter ex collisione aëris à clava campanam feriente: Et cum sciamus campanam esse remotam à nobis, existimamus etiam sonum procul fieri à nobis, cum tamen certum sit clavam quæ ferit campanam agitare tantùm aërem & ipsum versus aures pellere, adeo ut in campana & in aëre fiat tantùm agitatio partium aëris, & aër ejusmodi agitatus feriat tympanum auris & nervum auditorium, quæ feritio communicata cerebro producit in animali sonum aut sensationem soni: Deceptio autem phantasiæ aut imaginationis alibi sonum ponentis, patet ex iis quæ referuntur de ventriloquis, qui cum sint nobis proximi, videntur tamen loqui procul à nobis.

39. *In Visu* sic se res habet. Dantur duo nervi optici, quorum extremitates tunicam dictam retinam componunt, quæ neque ab aëre, neque à terrenis ullis corporibus moventur, sed à solis quibusdam globulis multò subtilioribus aëre: Ex quo motu communicato ipsi cerebro, fiat sensatio luminis & colorum in animali: Verbi gratiâ cùm paries illuminatus videtur, tria reperiuntur; scilicet oculus seu potiùs retina, paries illuminatus seu potiùs lumen certo modo à pariete reflexum ad oculum, quod consistit in certis radiis luminosis aut globulis propulsis in parietem à corpore lucido, puta à Sole, & à pariete certo modo reflexis ad oculum aut retinam, ac tandem motus seu percussio retinæ à lumine reflexo, seu potiùs ab ejusmodi globulis, quâ percussione retinæ aut nervi optici cerebro communicatâ, fit visio parietis aut sensatio luminis & coloris parietis in animali: Quamvis autem lumen & color in objectis non in ani-

mali esse videantur; attamen certum est utrumque fieri & esse in animali: Vnde autem oriatur talis deceptio dicetur in opticis: Non esse autem in objectis patet ex visis ultrà speculum, & ex Sole viso multùm intrà aquam, &c.

40. *Phrenetici & dormientes varias interdum species aut colores vident, aut sibi videre videntur, quæ oculis nec objiciuntur nec objecta fuerunt; & sonos audire, qui auribus nec percipiuntur nec percepti sunt*; & *sapores sentire qui nec sunt nec fuerunt in palato*: Id autem contingit, si vapores aut spiritus animales cerebrum pulsantes, partes illius, visioni, auditioni, aliisve sensationibus inservientes, eodem ferè modo afficiant, quo ipsas mediantibus organis aut nervis afficerent si adessent.

41. Rursus, *licet ordinariè sensationes & imaginationes fiant dependenter ab objectis nervos aut fibrillas eorum moventibus; interdum tamen independenter ab illis fieri certum est*; quando scilicet spiritus animales diversimodè agitati offendunt vestigia diversarum impressionum in cerebro antea ab objectis nervorum ope productarum; quæ vestigia nihil aliud sunt nisi quòd pori cerebri per quos spiritus ad præsentiam objectorum anteà transiverant, faciliùs aperiantur & liberiorem transitum præbeant spiritibus advenientibus, qui spiritus ejusmodi poros potiùs quàm alios subeuntes, excitant motus in cerebro repræsentantes animæ eadem objecta, quæ priùs repræsentata fuerunt motibus nervorum cerebro communicatis; & *sic fiunt* recordationes rerum, somnia & cogitationes animum non attentum distrahentes; *recordationes* quidem, si spiritus mittantur & dirigantur ab anima; *somnia* verò & *distractiones* si fortuitò tantùm subeant poros cerebri: *Notandum* tamen *sensationes & imaginationes quæ fiunt dependenter ab objectis nervos aut fibrillas eorum moventibus esse multo fortiores & vividiores iis quæ fiunt à solis spiritibus animalibus independenter à motu nervorum*; quæ certè multò sunt debiliores, magis confusæ, & quasi picturæ cæterarum sensationum vividiorum: Quòd si ex motu nervorum & motu cerebri anima afficiatur aliquo motu, tum probabiliter dicendum animam sentire & cognoscere per sensationem sui proprii motus immediatè; & per sensationem motus cerebri & nervorum mediatè: Verùm cùm motus ex quo oritur sensatio, sit tantùm motus partium, quibus anima rationalis utpote spiritualis & immortalis carere debet, multò probabiliùs est dicere *animam sentire & cognoscere duntaxat, sentiendo motum cerebri immediatè, & motum nervorum mediatè*.

42. Cum igitur diversi motus locales sufficiant ad omnes sensationes & cognitiones excitandas, nec deprehendamus quicquam aliud præter ejusmodi motus à sensuum externorum organis ad cerebrum transire: *Omninò concludendum* est, *non etiam à nobis animadverti ea quæ in objectis externis luminis, coloris odoris, saporis, soni, caloris, frigoris, & aliarum qualitatum tactilium nominibus indigitamus; nec ista quicquam aliud esse quàm istorum objectorum varias dispositiones, quæ efficiunt ut objecta nervos nostros, & inde cerebrum variis modis movere possint, & anima sentiat &*

cognoscat-

cognoſcat ſentiendo ejuſmodi motus nervorum & cerebri.

43. *Ex ſenſationibus & cognitionibus rerum oriuntur judicia de ipſis*, idest postquam apprehendimus & cognovimus objecta, judicamus de veritate aut falsitate, necnon de bonitate aut malitia eorum. Judicamus autem ordinariè de illis, prout apparent nobis, & prout circa illa affecti ſumus, & juxta temperamentum noſtrum.

44. Sic explicatis ſenſationibus & cognitionibus ſenſitivis & intellectivis, tam apprehenſivis quàm judicativis; jam videndum *in quo conſiſtat facilitas cognoſcendi aut judicandi*, quæ conſtituit *habitum intellectus*. *Duplex* autem *facilitas*, atque adeo *duplex habitus* hic excogitari poteſt: *Prima facilitas* eſt *in nervis aut capillamentis ſeu fibrillis eorum*, quæ fibrillæ ab objectis ſæpiſſimè motæ acquirunt facilitatem recipiendi motum aut inflexionem ab objectis aut ſpiritibus, quæ facilitas poteſt dici habitus inſtrumentalis ſeu organicus paſſivus, taliſque facilitas aut habitus apparet potiſſimùm in lingua dum acquirimus facilitatem aut habitum loquendi: Ad hanc primam facilitatem organicam revocari poteſt facilitas quæ reperitur in cerebro, cùm ſcilicet variis impreſſionibus in eo factis, pori ejus faciliùs aperiuntur & liberiorem tranſitum præbent ſpiritibus, qui ſpiritus ejuſmodi poros potiùs quàm alios ſubeuntes, excitant motus in cerebro quorum ope anima percipit objecta: *Secunda facilitas* eſt *in ipſa anima*, quæ frequenti emiſſione & directione ſpirituum animalium, acquirit facilitatem eos mittendi & dirigendi; & quia ejuſmodi ſpiritus certo modo movent nervos aut cerebrum, quo motu anima percipit objecta; hinc fit ut anima etiam acquirat facilitatem percipiendi ſeu cognoſcendi objecta & de iis judicandi; quæ *facilitas dici poteſt habitus principalis activus*. De habitu ſupernaturali, de quo Theologi, aliter philoſophandum eſt.

45. *Inſtrumentum ſenſus & ſenſationis duplex* communiter ponitur, ſcilicet paſſivum & activum: *Paſſivum* eſt *ſenſorium ſeu organum*, quod recipit ſpeciem objecti & ipſam ſenſationem, *Activum* verò ſunt *ſpiritus animales* qui ſunt partes ſanguinis calidiores ac puriores, & quaſi halitus ſubtiles naturæ aëreæ aut igneæ, dicti *ſpiritus* ob tenuitatem, licet ſint vera corpora; *animales* verò quia juvant actiones ſenſuum, quæ ſunt actiones animalium, ad differentiam ſpirituum vitalium qui juvant actiones vitæ ſimpliciter, & actiones potentiarum vegetativarum.

46. Hic quæri ſolet *an ſenſus errare poſſit?* Reſpondetur. Primò, ſenſum errare poſſe circa ſenſibile proprium in particulari, non in communi; in particulari quidem errare experientiâ probatur; in eo quod medio vitro rubro omnia objecta rubra videt, & in ægroto cujus guſtui amaritudine bilis infecto omnia ſunt amara; in communi verò non errare patet ex eo quòd nullus ſenſus extra objectum ſuum proprium ferri poſſit; quod ergo percipitur aliquo ſenſu, debet habere rationem communem objecti illius ſenſus, putà quod guſtatur ſapidum eſſe, quod videtur coloratum eſſe &c. Reſpondetur ſecundò; ſenſum errare circa ſenſibile commune diverſo

modo, nam circa motum & quietem poteſt errare etiam in communi, judicando id moveri quod quieſcit, aut quieſcere quod movetur: Circa magnitudinem & figuram tantùm errare poteſt in particulari; non enim judicat id quod eſt extenſum, non eſſe extenſum, aut quod eſt figuratum, non eſſe figuratum; ſed plerunque judicat aliam eſſe extenſionem & figuram ab ea quam habet.

47. *Cauſa* autem *deceptionis ſenſuum tres* ſunt potiſſimùm. Prima, eſt mala organi affectio aut diſpoſitio, ut in ægrotis linguam amaram habentibus, qui judicant omnia eſſe amara. Secunda, Medium ineptum, ut cum per vitrum rubrum omnia rubra videntur. Tertia, eſt objecti diſtantia, ut cum turris quadrata eminùs apparet rotunda. Ideo ſenſus non errat, ſi organum ſit bene diſpoſitum, ſi medium ſit aptum, & objectum ſit in debita diſtantia.

48. *Impedimenta verò ſenſuum ex quinque cauſis potiſſimùm oriuntur.* Prima eſt defectus ſpirituum animalium; unde poſt diurnam ſenſationem, in qua ſpirituum magna copia abſumitur, ſomnus & quies neceſſarii ſunt animali, ut cudantur alii. Secunda eſt deſuetudo operandi, quâ deſueſcunt ſpiritus expeditè decurrere ad organum, eò quòd via paulatim illis intercludatur; unde qui è tenebris exeunt aut qui evigilant lucem non ferunt; quod tribui poteſt frigori quo contractus oculus admittendo lumini minùs aptus eſt. Tertia eſt nimia contentio quâ ipſi organo vis facta eſt; unde qui exiguum objectum, vel parvum illuminatum attentè conſpicit, dolorem ſentit ob vim muſculis factam. Quarta eſt humor aliquis noxius, quo perfunditur organum; unde defluentibus humoribus frequentiſſimè ſenſus læduntur. Quinta eſt læſio organi ab ipſo ſenſibili vehementiori, unde fit ut nemo Solem aperto oculo meridie intueri poſſit; & qui vehementi ſono ſunt aſſueti auditu penè privantur.

49. *Probabilius eſt ſenſus nunquam errare:* Nam qui errat opinatur & judicat de re aliter quàm eſt: At ſenſus ſaltem externus non eſt ejuſmodi: quales enim res apprehendit, tales neceſſariò apprehendit, neque poteſt functiones ſuas alias facere, iis addendo aut detrahendo, & in recipiendis ſpeciebus objectorum merè paſſivè ſe habet, & dum oculus verbi gratiâ videt baculum curvum qui in ſe eſt rectus, aut turrim rotundam quæ quadrata eſt, talis viſio revera eſt, & viſus reverà ita afficitur, imò veræ ſunt cauſæ quibus poſitis neceſſarium ſit viſionem talem fieri, neque viſus poſſit non tali affici modo, neque res non talis apparere; idque quidquid mens poſteà judicet; ad eum planè modum quo ſpectante aurichalcum oculo, elicitur reverà viſio aurichalci, neque poteſt viſus non recipere aurichalci ſpeciem, quicquid deinceps mens de aurichalco pronunciet, ſcilicet eſſe aurichalcum aut aurum. Sicque ſenſatio eſt ſemper vera veritate exiſtentiæ, licèt non ſit vera veritate enunciationis, quia nihil unquam enunciat aut judicat.

DE SENSIBUS EXTERNIS.

50. Sensus externus dicitur ille qui in exteriori capitis parte residet, & objectum præsens tantùm apprehendit : Est autem *quintuplex*, scilicet visus, auditus, olfactus, gustus & tactus, ut patet ex quintuplici operandi modo, quo anima per quinque diversa organa notitiam acquirit quinque diversorum objectorum.

DE VISU.

51. Visus est sensus externus objecta visibilia percipiens ; & quia objecta visibilia communiter ponuntur lumen & color, hinc fit ut visus definiatur etiam sensus externus percipiens colores illuminatos : Lux aut lumen & color dicuntur objectum visus : Perceptio eorum seu visio est ejus actus : Organum est oculus constans sexdecim partibus, scilicet duobus nervis opticis, tribus humoribus Chrystallino, vitreo & aqueo, quatuor tunicis & septem musculis, de quibus Anatomici ; hic tantùm agemus de luce, lumine & colore, necnon de modo visionis.

52. *Lux aut lumen* est eadem specie qualitas, quæ in corporibus per se lucentibus dicitur lux, & talia sunt Sol, flamma, Cicindelæ, ligna putrida, squammæ piscium, & alia ejusmodi quæ noctu lucent ; in corporibus verò per aliud lucentibus dicitur lumen, quæ corpora ideo non dicuntur lucida, sed illuminata, qualia sunt Luna, & alii planetæ. *De luce autem varia sunt Philosophorum sententiæ.*

53. *Prima sententia est Aristotelis*, qui lib. 2. de anima cap. 7. dicit *lucem neque ignem, neque omninò corpus esse, neque corporis ullius defluxum*, sed esse ἐνέργειαν τοῦ διαφανοῦς ᾗ διαφανές, idest, *actionem perspicui quatenus est perspicuum* ; ubi nomine *perspicui* intelligit corpus transparens seu diaphanum, per quod ad oculum transmittuntur species intentionales objectorum visibilium ; & dicitur *quatenus est perspicuum* ad exclusionem aliorum actuum seu formarum simul cum lumine in corpore transparente existentium, quæ sunt quidem formæ perspicui, sed non quatenus est perspicuum, cum per se nihil conferant formaliter ad transmissionem visibilium specierum in oculum ; ac denique per ἐνέργειαν, intelligunt actum quendam accidentalem seu qualitatem

quæ propagatione fit; cum enim velint lucem esse merum accidens, & agnoscant accidens non posse solitarium progredi; nec migrare de subjecto in subjectum, idcirco censent corpus lucidum producere lucem in parte aëris, verbi gratiâ ipsi contiguâ, & illam partem aëtis luce affectam producere aliam in parte ipsi contiguâ, & sic deinceps in toto spatio, quousque perveniatur ad oculum.

54. *Verùm contra hanc sententiam, dico.* 1. Omne accidens inhærens subjecto moveri ad motum subjecti: Sed Lux non movetur ad motum aëris: Ergo non est qualitas accidentalis in aëre producta, & ex ipsius potentia educta: Quòd lux non moveatur ad motum aëris, patet ex eo quòd aëre huc & illuc à vento dispulso, lux rectà transferatur ad oculum. 2. Priùs res debet esse quàm agere, siquidem operari sequitur esse; atque adeo lux producta à corpore lucido in parte aëris sibi contigua priùs est in illa parte, quàm agat aut producat aliam lucem in alia parte aëris; vnde fit ut illuminatio aëris non fiat in instanti; quod est contra Adversarios qui statuunt illuminationem aëris fieri in instanti; & cum exigua spatij longitudo partes habeat innumeras, quæ priùs & posteriùs debent illuminari, concipi non potest quomodo fieri possit tam longa series productionum partium lucis imperceptibili tempore, assumpto præsertim spatio quantum est à Sole aut stellis fixis vsque ad terram 3. Inde sequetur corpus lucidum esse causam principalem duntaxat luminis producti in parte aëris sibi contigua, aërem verò esse causam principalem aliorum luminum in aliis partibus aëris, quod est absurdum. Denique lucem virtualem esse corpus infrà probabitur.

55. *Secunda sententia est Philoponi & Simplicii, & multorum aliorum Peripateticorum*, qui existimant lucem nihil esse, aliud quàm actionem seu motionem perspicui prout concitatur à Sole, quem dicunt esse primum & præcipuum efficiens: Et Philoponus adhibuit similitudinem prælongæ chordæ, quam si quis moveat in vno extremo, eodem momento moveat simul totam propter partium continuitatem, videlicet comparat Solem cum homine, perspicuum cum chorda, & lucem cum motione chordæ; adeo vt concipiat Solem movere perspicuum cœleste sibi contiguum, & eodem momento moveri totum perspicuum quod à Sole per aërem vsq; ad oculum extenditur: Simplicius non est vsus similitudine chordæ, sed baculi, & secundum ipsum dicendum est perspicuum se habere vt baculum quo intercedente Sol oculum moveat. *Cartesius* eandem baculi similitudinem arripuit, & perspicuum nihil esse voluit quàm corpuscula sphærica seu globulos secundi elementi ab ipso vocatos, qui meatulos aëris, aquæ, vitri, &c. complent, & se contingunt; quósque Sol, dum circa suum axem convertitur, quoquoversùm rectà impellit, hocque impulsu totas ejusmodi globulorum series vsque ad oculum movet; talemque motionem esse ipsam lucem existimavit.

56. *Verùm contra hanc sententiam, dico.* 1. Quòd si Sol perspicuum sibi contiguum moveat, debet & ipsum moveri, cum nihil immotum moveat,

veat & quicquid movetur ab alio moto moveatur: cum igitur Sol circunquaque illustret, debet quoquoversum moveri, & quoquoversum à sui centro in circunferentiam distendi & quasi inflari; & quia si distentus maneret, nulla deinceps fieret motio, necesse est ut sese contrahat in centrum, sicque sese incessanter & rapidissimâ quasi palpitatione distendat atque contrahat: Cum autem in contractione Solis, non sint pauciora spatiola intra superficiem sphæricam ejus, quàm particulæ corporis, & in distentione sint plura; necesse est spatiola inania per distentionem fieri, aut per contractionem plures particulas in iisdem esse spatiolis: & cum in contractione Sol à perspicuo circunstante recedat, necesse est vel ut spatium inane intercipiatur, vel si dilatetur perspicuum ut contrahentem se Solem sequatur, necesse est quà rarescit spatiola fieri inania, aut quà deinceps comprimitur occupari eundem locum à pluribus corporibus, quæ omnia sunt absurda apud Peripateticos. 2 Si sphæræ cœlestes sint solidæ, ut volunt Adversarii, non poterit Sol illâ sui quasi palpitatione eas continentei exagitare, neque ipsis intercedentibus, suppositum aërem, aut contentum in eo perspicuum movere. 3. Sive corpus Solem ambiens sit solidum, sive fluxum, immotum tamen manebit, quando ne minimo quidem ullo spatiolo vacuo intra mundum existente, ne minima quidem particula erit quæ defectu loci moveri valeat, siquidem ob plenitudinem omnia tam solida erunt quàm rupes, ut dictum est dum de vacuo. 4. Etiam fluiditate admissa capi non potest, quomodo Sol ita perspicuum sibi contiguum moveat, ut movere simul alterum extremum ipsius possit, quo oculus in terra existens contingitur; siquidem in re fluida quæ impulsu movetur, partes propiores impellenti moventur priùs quàm remotiores. 5. Cum juxta Cartesium unum corpus non possit tribuere alteri motum majorem eo quem habet, capi non potest quomodo Sol possit tribuere motum universo perspicuo circumquaque usque ad terram, cum tantum non habeat. 6. Denique longè planius est ut quod de objectis aliorum sensuum dicitur, de objecto visus dicatur, nempe sicut odor non creatur pressione corpusculorum quæ in aëre & extra rem odorificam sint, ab ipsa tamen aliqua ipsius motione pellantur usque ad nares, sed creatur potiùs emissione quadam tenuis halitus corpusculorumve ex re odorifica putà rosâ effluentium, & ad ipsas usque nares diffusorum: Sic videtur lux debere creari, non adactione alicujus substantiæ aut corpusculorum extra lucidum existentium, & ab ipso lucido sui motione propulsorum, sed substantiali & corporeâ quadam ex ipso lucido factâ emissione.

57. *Tertia sententia est Empedoclis, Platonis, Democriti, Epicuri, & multorum aliorum Veterum Philosophorum*, qui existimarunt lucem nihil aliud esse in corpore lucido, quàm corpuscula tenuissima, certâ ratione configurata, fortè sphærica, quæ pernicitate ineffabili ab ipso lucido translata, ac in oculo excepta, movent ipsum & visionem creant. Hæc sententia probatur. 1. Quia lux non est accidens, ut suprà probatum est; Ergo est substantia, non spiritualis, cum sint tantùm tres substantiæ spirituales, scilicet

Deus, Angelus, & anima rationalis; ergo est substantia corporea. 2: Quia quod comburit est ignis, atque adeo est substantia corporea, at Lux Solis seu radii solares per specula quædam transeuntes comburunt: Ergo sunt ignes, atque adeo corpora. 3. Quia quod patitur reflexionem; refractionem, coalitionem, & disgregationem est corpus; ejusmodi enim actiones conveniunt tantùm corporibus; at lux Solis & radii solares hæc patiuntur; ergo sunt corpora.

58. *Hæc sententia cæteris est præferenda*, contra eam tamen hæc objiciuntur ab Adversariis. Primò, si lux Solis nihil aliud esset quàm corpuscula continuò è Sole prodeuntia, sequeretur Solem jam absumptum & destructum esse, sicut Lucernæ quæ continuò ignis depastu tandem consumuntur: At Sol jam à quinque annorum millibus & ampliùs eodem modo viget, neque imminutus propterea apparet, sed perinde se habet ac si nihil sui amisisset, & ex tanto lucis effluxu nullam jacturam passus fuisset.

59. Respondetur, quòd sicut omnia flumina (quod ait Sapiens,) è mari exeunt, ac in ipsum redeunt ut iterum fluant: Sic lux omnis potest exire è Sole, ac in eum redire, ut iterum effluat perenni quodam circuitu; emissi enim è Sole radii dici possunt redire ad Solem reflexione; reflectuntur autem ex terra, Luna, cæterisque planetis, item ex omnibus fixis non tantùm nobis conspicuis, sed existentibus etiam in aliis cœli partibus & telescopio detectis.

60. Secundò, objicitur quòd si lux sit corpus, cum aër, aqua, vitrum &c. sint corpora, sequetur lucem per illa trajicere, & ipsa penetrare, sícque duo corpora esse simul in eodem loco. Verùm respondetur, omne perspicuum præter particulas ex quibus constat interjectos habere porulos, & spatiola vacua per quæ transeunt lucis corpuscula.

61. Tertiò, objicitur lucem moveri à Sole in terram in instanti; at corpus non potest sic moveri in instanti. Respondetur, falsum esse lucem Solis moveri à Sole in terram in instanti, licet fortè brevissimo tempore sic moveatur; cum enim secundum Copernicum à terra ad Solem sint mille quingenti semidiametri terræ, tantum spatium non potest percurri in instanti; & licet Sol eodem tempore quo exoriri apparet feriat oculos nostros, & appareat nobis in horisonte, fortè tamen non est in nostro horisonte, sed in alio; & quòd appareat tunc in nostro horisonte, causa desumenda ex eo quòd Sol exoriens emiserit radios, qui postquam ad oculos nostros pervenerunt faciunt ut Sol videatur in horisonte nostro, licet fortè sit in altero.

62. Quartò, objicio ego hanc tertiam sententiam esse veram duntaxat de luce virtuali, non autem de formali quæ producitur à virtuali feriente retinam in qua fit visio: lux enim formalis ita pendet ab oculo, ut si oculus non esset, aut si nullus oculus esset apertus, aut si non pulsaretur oculus apertus à luce virtuali, seu à corpusculis aut radiis a Sole emissis, nulla esset lux, nullúsque splendor, quod patet hoc experimento: Esto in uno cubiculi

cujuspiam

cujuſpiam pariete foramen non magnum, ac in oppoſito pariete è regione hujus foraminis aliud ſit aliquantò majus; poſteà nocte admoveatur exteriùs minori foramini flamma candelæ aut facis accenſæ, ita vt omnes radii per ipſum & per cubiculum trajecti, foramine majori oppoſito excipiantur ac tranſeant; certè tam manebit obſcurum cubiculum, quàm ſi nulla lux nullusve radius per ipſum tranſiret, & homo exiſtens in cubiculo nihil prorſus videbit, quia nulli ex hujuſmodi radiis in oculum ejus feruntur, neque ipſum feriunt, viſio autem non fit niſi ejus rei è qua radius aliquis in oculum advenit ipſumque percellit. Quod autem contingit intra ipſum cubiculum, contingere poſſe intelligitur in toto medio aëre ſpatióque vſque ad cœlum; cum ſcilicet nocte ſerenâ in cœlum quis reſpicit, videntur ipſi tenebræ ſuprà horiſontem æqualiter effuſæ, licet excepto terrenæ vmbræ cono cætera illa immenſa ſpatia æquè trajiciantur à Solaribus radiis, ac dum ipſi meridies eſt, & nullum tamen eſſe diſcrimen inter illud ſpatium in quo terrenæ ſunt tenebræ, & cætera illa ſpatia in quibus vigent ſolares radii ob eandem cauſam agnoſcit. Pari modo dum Luna Perigæ directè interpoſita inter Solem & nos, Solem integrè nobis eripit, tenebræ tantùm circa nos, & quantùm ipſe conus vmbræ Lunaris capit creantur; attamen, licet meridies ſit, reliqua verſus cœlum ſpatia æquè tenebroſa apparent, adeo vt vltra ipſas tenebras ſtellæ conſpiciantur. Denique, qui in ipſo meridie ſunt intra profundiſſimum puteum, ſtellas vt noctu detegunt, nullúmque ponunt diſcrimen inter ſpatium tenebroſum proximè circunſtans, & quod ſuprà terræ ſuperficiem eſt tam illuſtre apparet iis qui ſunt ſuprà terram.

63. *Color definitur ab Ariſtotele* extremitas perſpicui in corpore terminato, ejuſdémque perſpicui motiva: *Corpus terminatum* hîc, eſt corpus non tranſparens, ſed opacum, quod opacitate ſuâ lumen ſiſtit ac terminat: Color autem dicitur extremitas perſpicui in corpore terminato ideſt illud per quod corpus opacum formaliter terminat perſpicuum, verbi gratiâ perſpicuitas aëris hujus cubiculi finitur colore parietum. Hæc deſcriptio coloris conveniat tantùm colori apparenti in corpore, vbi tamen verus color non eſt.

64. *Probabilius eſt colorem non diſtingui realiter à lumine*, quia plerunque variato lumine variantur colores, vnde qui noctu ad lumen candelæ aut Lunæ flores colligunt facilè decipiuntur, & noctu ad lumen candelæ viride non diſcernitur à cæruleo, & pro varia reflectione aut refractione lucis variè colorata apparent objecta: Id patet in Priſmate ſeu Trigono vitreo vulgari oculis appoſito quatuor colores Iridi ſimiles exhibente, qui colores nihil aliud ſunt præter radios lucis ex rebus advenientes & refractionem geminam in vitro patientes, vnam in latere quo vitrum ſubeunt, alteram in eo quo exeunt, qui etiam in tranſitu per vitrum admittunt vmbellulas varias ob occurrentia corpuſcula ex quibus vitrum contexitur, occurrentia (inquam) plura quidam ad baſim verſus quam color flammeus & croceus apparent, pauciora verò ad faſtigium verſus quod

viridis & cæruleus observantur: Iam verò quid deest extremo alicujus corporis quo minùs ejusdem coloris appareat sine vitro ac cum vitro? certè id tantùm quòd præter reflexiones & intermistas vmbellulas quas lux in ipso extremo habet, habeat etiam reflexiones & interjectas vmbellulas quas patitur & accipit per vitrum: Quod si ita sit, quidni imaginemur in corporibus quæ sine vitro apparent esse ejusmodi colorum, superficiem esse contextam ex iis corpusculis & cum iis facieculis ex quibus tales refractiones vmbellularúmque intermistiones suppleantur, adeo vt lucis radii ex panno qui rubeus violaceusve apparet, eodem modo perveniant ad oculum parique modo ipsum afficiant, ac radii aliunde trajecti ad basim aut fastigium vitri? idque sine vitro observatur in rorida nube, cur non perinde continget in panno?

65. Probabile est, *corpus* quod dicitur *album, ejus esse superficiei, quæ vbivis facieculas habeat lucem vndeuis advenientem in oculum reflectentes*, vt sunt nix, lac, lilium &c. *Corpus* verò quod dicitur *nigrum ejus esse superficiei, cujus faciecula non tam radios extrorsum reflectant, quàm introrsum seu versus corporis profunditatem convertant, unde & pervenire ad oculum nequeant:* Et ob hanc causam res perspicuæ cæteris paribus nigriores apparent, quòd pluribus radiis introrsum admissis, pauciores extrorsum remittant: & ob eandē causam, si duo corpora ejusdem materiæ, putà duo marmora, quorum vnum album & alterum nigrum, radiis Solis æquè exponantur, illud quod fuerit nigrum & citiùs & magis incalescet quàm quòd fuerit album: Pariter, specula vstoria segniùs calefaciunt exuruntque candidam chartam quàm nigram, linteum candidum quàm paulò sordidum.

66. Probabile etiam est, *quòd si fieret duntaxat quædam lucis vmbrarumque, seu albedinis & nigredinis commixtio, non futuros alios colores intermedios, quàm magis minúsve album, magis minúsve nigrum, magis minúsve fuscum seu griseum; at quia sunt alii, putà viridis, croceus &c. ideo adhibenda est reflexionum refractionúmque varietas; quâ lucem ac vmbram jam commixtas rursus commisceant, illarum tenores interruptos faciant, unde & oculum variè distrahant, varióque affectu variam apprehensionem inducant:* Et videtur duas saltem sive reflexiones sive refractiones exigi, juxta ea quæ sunt circa vitrum trigonicum commemorata; & duos inde creari colores extremos, scilicet miniaceum seu croceum, & violaceum seu cæruleum; priorem quâ parte ad basim vitri respicimus, posteriorem quâ ad fastigium; licet radij priorem referentes refringi videantur ad fastigium, referentes verò posteriorem ad basim, vt eorum pictura in pariete vltra vitrum sita demonstrat, nimiùm ob decussationem radiorum quæ intra oculum fit; inde etiam creari duos intermedios, flauum ex parte crocei, viridem ex parte cærulei, ne adiiciam rubeum vt dilutiorem crocei speciem, & purpureum vt speciem densiorem cærulei; sícque sex distingui colorum intermediorum species: Dixi id probabile esse, nam determinare quamobrem ejusmodi refractiones aut reflexiones sub certis angulis tales apprehensiones faciant, videtur humanæ mentis captum superare.

67. Quod

67. *Quod spectat ad imagines seu species visibiles rerum*, dicendum est *eas non differre à coloribus & luminibus formalibus*, quæ producũtur in sensorio, putà oculo aut cerebro, à corpusculis illis, quæ aut immediatè ex lucido adveniunt ipsúmque visibile faciunt, aut mediatè ex re illustrata quam pari modo visibilem faciat lux ex ea reflexa; & illa corpuscula dici possunt lux virtualis, color virtualis, species virtualis, quia habent virtutem producendi lucem colorem & speciem in oculo aut cerebro, & reverà producunt, cùm retinam aut fibrillas nervi optici feriunt.

86, Denique, *de modo visionis celebris quæstio* est, *an visio fiat per emissionem alicuius rei ex oculis, an verò per receptionem alicuius rei ex ipsis rebus. Pythagorici* existimarunt radios quosdam ita emitti ex oculis ut ad objecta usque pertingant, & regressi ad oculos sensationem faciant.

69. *Plato* docuit effluere lucem externam ab objectis, & emitti lucem internam ab oculis, non ad ipsas vsque res visas, sed vsque ad lucem externam, ad cuius occursum cum ea compaginetur, & quia pergere vlteriùs non possit, quasi intendatur, nisúmque velut exprimat, quem anima sentiat, sícque rem in quam dirigitur videat.

70. *Democritus & Epicurus* existimarunt dereptas ab objectis species seu corpuscula tenuissima, dum in oculum incidunt visionem creare. *Peripatetici Recentiores* agnoscunt quidem species ab objectis prodeuntes, & earum incursu in oculum visionem fieri, sed nolunt ipsas esse aliquid de rebus decerptum quasi quippiam rebus depereat, sed earum eductionem fieri præsentibus objectis ex medii vicini potentia, & propagari eductione simili per succedens medium vsque ad oculum; & volunt eas esse mera accidentia.

71. *Philoponus, Simplicius, & alij Veteres Peripatetici*, existimarunt corpus lucidum putà Solem motu suo circa suum axem & suum centrum impellere corpuscula quædam tenuissima in oculum, quæ ipsum ferientia producunt lucem, colorem & speciem formalem in oculo aut cerebro, necnon sensationem eiusmodi lucis, coloris & speciei, quæ sensatio seu perceptio dicitur visio; & horum sententiam sequutus est Cartesius.

72. *Nos existimamus* ex Sole & aliis corporibus lucidis corpuscula tenuissima effluere & vsque ad oculum pervenire, quem cum feriunt, producunt lucem, colorem & speciem formalem in oculo aut cerebro, necnon visionem quæ est sensatio & perceptio ejusmodi lucis, coloris & speciei.

73. *Contra sententiam Pythagoricorum*, dici potest primò, radium emissum ab oculo vsque ad stellas non esse accidens, cum accidens non possit migrare de subjecto in subjectum, nec solitarium moveri. Secundò, radius ejusmodi visualis non potest dici lumen, quomodo enim posset lumen illud ab oculo emitti vsque ad stellas, cum stellarum tantæ magnitudinis vix ad nos vsque pertingat. Tertiò, radius ille visualis non potest dici corpus; nemo enim concipere potest pernicitatem illam, vt quo momento aperimus oculos, radius, idest corpus ex oculo prodiens in stellas

Dd 2

vsque eat & redeat; non concipi potest, quomodo intra oculum contineatur tantus numerus corpusculorum quæ diffundi valeant in regionem vsque stellarum fixarum; idque non in vnam tantùm partem, sed in totum hemisphærium quod suprà horisontem est, neque simplici itu & reditu, sed effluxu continuo quoties libet oculos aperire; neque attingendo solùm ipsam cœli sydérúmque superficiem, sed omnia spatia intermedia complendo, adeo vt nullum in ipsis punctum assignabile sit, de quo non liceat dicere, en hîc aliquid quod ex oculo cernente profluxit, idque quin exhauriatur oculus.

74. *Contra sententiam Platonis*, argui potest primò, non posse dici quid sit illa compaginatio lucis internæ oculorum & lucis externæ objectorum & quomodo fiat? Secundò, certum est lucem luci occurrentem ab ea non sisti, sed alteram per alteram aut cum altera diffundi; & concipi ad summum potest, oppositos occurrentes radios invicem reflecti impediri ve ne vlterius tendant, non autem quòd inde oriatur visio. Sententia Recentiorum & Veterum Philosophorum suprà refutata est.

75. *Sententia* igitur eorum duntaxat vera est, qui volunt visionem fieri per effluxionem corpusculorum ex lucido vsque ad oculum, quæ oculum feriant; & talis modus suprà fusè explicatus est. Probatur autem primò, quia excellens visibile lædit visum, quod non contingeret, nisi objectum ageret in visum. Secundò, eodem modo fit visio quo sensationes aliorum sensuum: at sensationes aliorum sensuum fiunt per receptionem alicuius ab objecto; ergo & visio. Tertiò; eadem est ratio oculi ad objectum quæ speculi, ita vt speculum dici possit oculus inanimatus, & oculus speculum animatum; constat autem speculum recipere speciem ab objecto. Quartò, probatur experientiâ picturæ rerum extra clausum cubiculum existentium, factæ intra ipsum cubiculum in papyro aut linteo candido opposito foramini ad fenestram facto; cum nisi aliquid ex rebus accedat quod transeat per foramen, & res illas potiùs quàm alias exhibeat reddi causa non possit effectus tam mirabilis, neque speciatim dici, cur res inverso situ pingatur, nisi quia decussatio in foramine fit; & quod supernè advenit terminatur inferiùs, quod infernè superius, quod dextrorsum ad lævam, quod lævorsum ad dextram &c. Idipsum probatur experientiâ eius lucis quæ per duo foramina parietum è regione posita sic transmittitur ut oculus intra cubiculum occlusum & tenebrosum existens ipsam non conspiciat, cujus rei alia ratio non est quia nihil lucis ad oculum pervenit. Denique probatur experientia earum rerum quæ positæ in luce videntur è tenebris, positæ in tenebris non videntur è luce; cum nisi admittamus in priore statu pervenire quippiam ex ipsis rebus ad oculum, non pervenire in posteriore, discriminis ratio reddi nulla possit.

76. Ex supradictis colligitur *visionem fieri* cùm radii ex objecto venientes pupillâ trajecti, & in appulsu ad membranas humorésque refracti, feriunt retinam, & in illa imprimentes rei objectæ imaginem eius apprehensionem in oculo vel in cerebro vel in vtroque creant. Plura de his tradentur in magna Physica & in opticis.

DE AVDITV.

77. *Auditus* est facultas animæ sensitivæ, primò & immediatè perceptiua soni; vel est sensus externus soni perceptivus. *Auditio* est perceptio soni. *Objectum auditus* & auditionis est sonus. *Medium* est aër: *organum* auditus est auris, vel tympanum auris, vel nervus auditorius. *Modus* auditionis satis clarè explicatus est suprà.

78. *Sonus virtualis* nihil aliud est præter corpuscula quæ à re sonante certâ ratione configurata & ocyssimè translata in aurem, nervum auditorium movent & sonum formalem, ejusque sensationem scilicet auditionem faciunt: Vnde fit vt *sonus formalis* sit qualitas quædam accidentalis seu passio in aure vel in cerebro vel in vtroque producta à sono virtuali: Sonus verò virtualis ratione corpusculorum fit substantia, ratione verò configurationis & motus eorum fit accidens.

79. *Requiri configurationem aliquam corpusculorum aëreorum ad sonum*, patet ex eo quòd varietas illa sonorum, ac præsertim vocum, sive literarum tam vocalium quàm consonantium non videatur posse discerni sensu nisi sensorium variè pulsetur à singulis, neque possit variè pulsari nisi propter variam configurationem.

80. Rursus, *sonus non potest fieri sine motu*; & ideò res sonans quæ est alicujus soliditatis compactionis & resistentiæ debet collidi cum re alia solida & resistente, vt lapidem cum lapide, malleum cum incude, aut cum ipso aëre fluxo & non multùm resistente, sive ipsa pulset aërem, vt tensa chorda cytharæ, sive pulsetur ipsa ab aëre, vt tibia inflata; vnde fit vt sonus communiter dicatur fieri ex collisione duorum corporum.

81. *Multi Philosophi* existimant *sonum ad auditum deferri intentionaliter*, id est per speciem intentionalem soni, *non autem realiter*. Probant primò, quia vrinatores & pisces in aqua existentes sonum audiunt exterios in aëre excitatum, cum tamen aër motus non se immergat in aquam. Secundo, quia auditur sæpe sonus in eo loco unde aër non egreditur, vt sonus quem efficit lapillus globulo æneo inclusus. Tertiò, quia leviter percussâ campanâ, auditur sonus ad majorem distantiam quàm vt probabile sit eo vsque motum esse aërem. Quartò, quia auditur sonus ab attrahente aërem per respirationem; tunc verò non movetur aër ad sum audientis, sed potiùs evocatur. Verùm ad hæc respondetur, per poros aut vacuitates aërem transire, & ad aurem pervenire; vel pisces non audire.

82. *Sonus* dividitur in vocalem, & non vocalem. *Vox* est sonus pro-

cedens ab ore animalis; estque vel articulata, vel inarticulata; vel significativa, vel non significativa; vel categorematica, vel syncategorematica; de quibus omnibus actum est in magna Logica: Item, vel gravis, vel acuta; vel rauca, vel clara &c. Denique vel est directa, vel reflexa quæ dicitur Echo; corpora autem ad reflectendum apta sunt solida præsertim & concava, vt antra quæ aërem appulsum non disperdunt: Cæterùm eadem vox multoties redditur, quando sunt plura corpora loco distantia eundem sonum reflectentia; plures autem interdum syllabæ interdum pauciores redduntur ob distantiam majorem vel minorem; nam quantò magis corpus reflectens distat, tantò tardiùs redit sonus ad auditum.

DE OLFACTV.

83. OLfactus est facultas animalis primò & immediatè perceptiva odoris; vel est sensus externus odoris perceptivus. *Olfactio* est perceptio odoris. *Objectum olfactus* & olfactionis est odor. *Medium* est aër. *Organum* est nasus, aut processus mammellares, aut nervi olfactorij. *Modus* olfactionis clarè explicatus est suprà.

84. *Odor virtualis* nihil aliud est quam corpuscula subtilia, ita configurata vt exhalata, & nares processúsque mammillares aut nervos auditorios pulsantia faciant *odorem formalem* & sensationem talis odoris, quæ dicitur olfactio.

85. *Odor & sapor differunt*, quòd sapor sensum movere non valeat, nisi ipsa res sapida organum ipsum contigerit & pulsaverit; odor verò moveat sensum emissus è re odora procul sita ab organo.

86. *Inter corpuscula odoris & contexturam organi debet esse specialis commensuratio:* Licet enim eadem appellant ad manus, ad genas ad linguam &c. sensum tamen sui non faciunt, quia neque cum porulis, neque cum particulis, ex quibus tales partes texuntur, proportionem habent; at si appellant ad processus mammillares sensum statim sui faciunt, ob commensurationem quam habent cum porulis & particulis ejusmodi processuum. Hinc cum tanta sit inter homines varietas temperamentorum figurationísque meatuum in olfactus sensorio, causa redditur cur odores quibusdam gratissimi, ab aliis ferri non valeant.

87. Cæterum corpuscula illa ex quibus odor seu exhalatio odorifica contexitur, videntur esse similia sulphuri Chymicorum, qui nomine sulphuris intelligunt pinguem oleosámque substantiam quam educere ex

cor-

corporibus norunt, & quæ varietatem pro varietate commistionum in corporibus subit; atque adeo sicut causa generalis saporum est in ipso sale, sic causa generalis odorum est in sulphure: Malè igitur Aristoteles censuit eandem esse causam saporum & odorum; licet enim sapida sint odora; attamen hoc fit propter commixtionem principiorum; quorum aliqua gustum, alia olfactum afficiunt. Et cum materia sulphurea & odorifica sit calida, fit vt fructus sint & odoratiores quò concoctiores, vt aromata in regionibus calidioribus proveniant, & vt res calore magis quàm frigore vigente oleant.

DE GVSTV.

88. GVstus est facultas animalis primò & immediatè saporis perceptiva; vel est sensus externus saporis perceptivus. *Gustatio* est perceptio saporis. *Objectum* gustus & gustationis est sapor. *Medium* nullum est. *Organum* est lingua aut palatum aut nervi gustatorii. *Modus* gustationis suprà explicatus est.

89. *Sapor virtualis* nihil aliud est præter corpuscula rei sapidæ, quæ meatulos linguæ subeuntia, nervulos per membranam ejus dispersos feriunt, & faciunt *saporem formalem* & sensationem talis saporis quæ dicitur gustatio.

90. *Inter corpuscula saporis & contexturam organi debet esse specialis commensuratio*, quæ non reperitur in aliis partibus corporis, vt dictum est dum de odore: Et cum magna sit inter homines varietas temperamentorum figurationísque meatuum in organo gustus, hinc causa redditur cur sapores quibusdam grati non aliis.

91. *Chymici contendunt Sal in rebus esse causam præcipuam saporum, sicut sulphur est causa odorum*; cum nihil sapidum sit ex quo sal extrahi non possit, & quod extracto sale non reddatur insipidum, & nihil insipidum quod admixto sale sapidum non fiat.

92. *Species saporis octo* vulgò ponuntur, scilicet duo extremi & sex medii: *Extremi* sunt *dulcis* vt in melle, & *amarus* vt in felle: *Medij* sunt *pinguis* vt in butyro, *salsus* vt in sale, *acer* vt in pipere, *acidus* vt in aceto, *acerbus* vt in fructibus immaturis, & *austerus* vt in pluribus potionibus medicis.

DE TACTV.

93. Tactus est facultas animalis primarum qualitatum excedentium primò & immediatè perceptiva; vel est sensus externus primarum qualitatum excedentium perceptivus; differque à contactu qui est tantùm immediatio duorum corporum. *Actio tactus* est perceptio primarum qualitatum excedentium. *Objectum* tactus sunt quatuor potissimùm primæ qualitates excedentes, scilicet calor, frigus, siccitas & humiditas de quibus suprà. *Organum* tactus sunt partes omnes nervosæ & membranosæ. *Modus* actionis tactus explicatus est suprà. *Medium* nullum est.

94. *Aristoteles revocat ab objectum Tactus gravitatem, levitatem, duritiem, mollitiem, lubricitatem, ariditatem, asperitatem, levitatem, crassitiem, & tenuitatem: De quibus tamen dico non esse propriè qualitatis tangibilis, præter lubricitatem & ariditatem*, quæ non differunt ab humiditate & siccitate; *lubricum* enim est humidum cum aliqua siccitate mixtum; *aridum* verò est perfectè siccum.

95. *Nostra autem ratio talis est:* Si qualitates allatæ essent objectum proprium tactus applicatæ sui sensationem semper efficerent, & à tactu solo perciperentur: At singulis alterum deest; nam gravitas, levitas, durities, & mollities in tactu debitè applicatæ, non faciunt semper sensationem; si enim manus rei gravi superponatur, vel levi subjiciatur, vel mollem aut duram sine compressione contingat, non percipiet gravitatem, levitatem, mollitiem & duritiem; asperitas & levitas pertinent ad figuram; oriuntur enim ex aliquarum partium eminentia, aliarúmque depressione, vel ex omnium æqualitate; crassities & tenuitas ad magnitudinem spectant; figura autem & magnitudo sunt sensibilia communia, vt suprà.

DE SENSV INTERNO.

96. Sensus internus est facultas animalis perceptiva sensibilis, priùs sensu externo cogniti: *Sensatio* verò *interna* est actus animalis circa sensibile sensu externo priùs perceptu.

97. *Sensus internus est vnus ab ipsa anima sensitiva non distinctus*; est verò *formaliter quintuplex*, pro quintuplici modo operandi, scilicet Sensus communis, Phantasia, Æstimativa, Memoria, & cogitativa.

98. Sensus

98. *Sensus communis* dicitur ſenſus internus quatenus objectorum omnium externorum ſpecies per ſenſus externos tranſmiſſas recipit, eaſque diſcernit inter ſe ac diſtinguit; vel dicitur ſenſus internus quatenus objecta omnium ſenſuum externorum tanquam præſentia percipit & diſcernit.

99. *Phantaſia* ſeu *imaginatrix* eſt ſenſus internus quatenus ex varijs diverſorum objectorum ſpeciebus ſenſatis varia fingit ſimulachra res diverſiſſimas conjungens, & conjunctas disjungens, ut patet in ſomniantibus; vel dicitur ſenſus internus percipiens objecta ſenſuum omnium externorum prout abſentia.

100. *Æſtimativa* dicitur ſenſus internus quatenus ſpecies ſenſatas cum inſenſatis conjungit, & rem aliquam ſenſu externo perceptam apprehendit, ſub aliqua ratione quæ nullo ſenſu externo percipi poteſt, ut cum ovis lupum ut inimicum apprehendit, cujus tamen nihil niſi figuram, colorem, motúmque videt.

101. *Memoria* dicitur ſenſus internus quatenus res jam cognitas iterum cognoſcit ut jam cognitas, & ad hanc revocatur reminiſcentia.

102. *Cogitativa* quæ in ſolo homine reperiri creditur, dicitur ſenſus internus, quatenus operatur ſimul cum intellectu eodem ordine quo ille, adeo ut videatur imperfectam aliquam diſcurſus rationem participare, & ad hanc revocatur inſtinctus.

103. *Objectum ſenſus interni* eſt ens materiale motivum ſenſus interni; continet autem omnia objecta ſenſuum externorum, eorum ſenſationes, & aliquas rationes objectorum ſenſibus externis non perceptas: *Organum* ſenſus interni eſt cerebrum, præſertim medulla.

104. Hic quæri ſolet *utrum ſenſatio ſenſus interni poſſit dici judicium & diſcurſus*. Reſpondetur rem non poſſe certò experientiâ deprehendi, neque in nobis, neque in brutis; quia in nobis operationes intellectus & ſenſus interni, ita conjunctæ ſunt ut in nullis vix diſcernere poſſimus, quænam ſenſus, quænam verò intellectus dici debeant; ea verò quæ in brutis geruntur nobis nota eſſe non poſſunt niſi à poſteriori, ſcilicet ex operationibus externis in quibus maximam cum humanis ſimilitudinem animadvertimus, ut non minùs illæ quam iſtæ regi judicio ac ratione videantur, ut patet ex politia apum, formicarum providentia, ſimiarum ingenio, canum venaticorum ſolertia, avium in nidis conſtruendis induſtria &c. quare fatendum eſt nullum eſſe argumentum quo contrarium ſentiens poſſit convinci ut alteram è duabus amplectatur. *Negantem tamen probabiliorem putamus*, & ad ſummum judicium quoddam virtuale & imperfectum brutis eſſe concedendum exiſtimamus.

105. *Ad ſenſum internum* tanquam *affectiones* ejus referuntur ſomnus, vigilia & ſomnium: *Somnus* eſt ſenſuum omnium externorum naturalis ab opere ceſſatio, inſtituta ad animalis quietem & ſalutem, ortus ex defectu ſpirituum in organis: *Vigilia* eſt ſolutio ſenſuum externorum ut operationes animales exerceantur; cauſa ſomni eſt defectus ſpirituum in organis

ſenſuum externorum,ut plurimùm ſunt vapores ad cerebrum aſcendentes qui ubi refrigerati deſcendunt, & calorem eò à corde miſſum repellunt. Vnde Ariſtoteles ſomnum definit receſſum caloris ad interiores partes ob humorem frigidum à cerebro deſcendentem : Dixi ut plurimum quia interdum contingit ſomnus deficientibus ſpiritus propter inediam; unde jejuni ſenſim in ſomnum dilabuntur.

106. *Somnium* eſt phantaſma ſeu ſimulachrum exhibitum per ſenſum internum, iis qui ſomno ſopiti ſunt; ſiquidem in brutis ſomnia fieri certum eſt : Certum enim ſomniis humanis admiſceri operationes intellectus, quia noſtra ſomnia verè eſſe ſomnia dormiendo ſuſpicamur, quæ reflexio videtur eſſe ab intellectu : Adde quòd ſæpius dormiendo ratiocinamur & quidam dormientes carmina compoſuerunt : *Dividitur* autem *ſomnium in* divinum,dæmoniacum,naturale, & animale : *Divinum* dicitur illud quod à Deo vel immediatè,vel per Angelos excitatur. *Dæmoniacum* eſt illud quod fit a Dæmone, qui permittente Deo poteſt commovere, imaginationis phantaſmata,& varia effingere ſimulachra : *Naturale* eſt illud quod ex proprio cujuſque temperamento & affectione corporis humorúmque abundantiâ & agitatione oritur : Vnde Melancholici triſtia ſomniant,ut funera,tenebras,&c. Sanguinei jucunda,putà ludos,choreas; & Pituitoſi,aquas; Bilioſi rixas, incendia, volatum &c. *Animale* dicitur illud quod eſt de rebus circa quas interdiu occupati fuimus.

107. *An liceat ex inſomniis aliquid præſagire.* Reſpondetur id quidem licere in ſomniis, quæ à Deo vel Angelis peculiari Dei permiſſu, immittuntur, quando id conſtat nempe immitti à Deo vel Angelis ipſo permittente; ſuper qua re ut & de ipſorum interpretatione conſulendi ſunt viri quorum fides, doctrina & morum probitas commendat; ex aliis verò ſomniis quæ oriuntur ex affectu corporis &c. vanum ac ſuperſtitioſum eſt.

DE APPETITV SENSITIVO ET Facultate locomotiva.

108. APpetitus ſenſitivus eſt potentia animalis quâ bonum ſenſibile proſequitur & malum ſenſibile averſatur ; *appetitio* eſt actus animalis quâ bonum ſenſibile proſequitur; aut malum ſenſibile averſatur ; & aliter paſſio nuncupatur, de paſſionibus autem fusè agetur in Ethica.

109. *Organum & ſubjectum operationum appetitus ſeu paſſionum*, vulgò creditur eſſe cor, vel aliquid cordi reſpondens ; omnes enim paſſiones ſeu motus appetitus ſenſitivi in corde potiſſimùm paſſionem efficiunt;

ciunt; lætitiâ enim dilatatur cor, tristitiâ constringitur, irâ incalescit &c.

110. *Dividitur appetitus in Concupiscibilem*, qui versatur circa bonum aut malum simpliciter spectatum, nullâ habitâ ratione difficultatum bonum aut malum comitantium; & *Irascibilem*, qui versatur circa bonum aut malum prout arduum & difficultatibus septum.

111. *Potentia locomotiva* est facultas animalis, effectiva motus localis vitalis: *Actus potentiæ locomotivæ* est motus localis vitalis. *Objectum* ejus est terminus lationis propriæ scilicet ubi, quod per motum acquiritur. *Organum* ejus sunt Nervi aut Musculi: *Potentia locomotiva duplex* est scilicet *progressiva & effectiva dilatationis & restrictionis cordis*, quæ dicuntur *Systole* & *Diastole*: *Prior* scilicet *progressiva* transfert animal ab uno loco in alium; *posterior* verò cor in sua sede semper constitutum dilatat & restringit aliquantulum; prior non semper & necessariò operatur, sed imperanti appetitui sensitivo paret; posterior vero semper necessariò operatur, nec appetitui sensitivo paret.

ARTICVLVS QVARTVS.

De Anima Rationali.

HOc articulo agitur de natura Animæ rationalis, de ejus spiritualitate, de ejus immortalitate, de ejus origine, de ejus sede, & de facultatibus animæ rationalis.

DE NATVRA ANIMÆ. Rationalis.

1. PAtres Concilii secundi Niceni, quod est Concilium septimum generale Act. 5. dicunt animam rationalem esse substantiam corpoream his verbis: *De Angelis & Archangelis & eorum potestatibus, quibus & nostras animas adjungo, ipsa Ecclesia Catholica sic sentit, esse quidem intelligibiles, sed non omninò corporis expertes & invisibiles ut vos Gentiles dicitis, verùm tenui corpore preditos, sive aëreo sive igneo.* Citantur subinde in eandem sententiam à Ioanne Thessalonicensi Basilius, Methodius, Athanasius, & qui stant ab illis; concluditúrque idcirco pingit hujusmodi naturas posse, *quòd effigie corporeâ sunt.*

2. Hilarius serm. in Matthæum hæc ait: *Nihil est in substantia quod non sit corporeum: Nam & animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exulantia corpoream naturæ suæ substantiam sortiuntur.*

3. Hieronymus in Matth.10. dum explicat illud, *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam verò non possunt interficere*, significare declarat, *animam esse corpoream non esse omninò negandum, sed modo solùm illo crasso quem in corpore nostro cernimus.*

4. Lactantius lib.2. Inst. cap.9. postquam dixit substantiam ignis calorem esse, & substantiam aquæ esse humorem, addit, *corporis materiam in humore esse, animæ verò in calore:* Ac deinde concludit cap.12. *quòd si anima est ignis, ut ostendimus, in cœlum debet eniti, sicut ignis, ne extinguatur.*

5. Tertullianus lib. de anima cap.22. dicit, *animam hominis esse corpoream, habentem figuram & effigiem, genitam cum corpore, & traductam ex substantia patris ad corpus filii.* Et antea cap.3. dixerat, *animam nihil esse si corpus non sit.* Vnde Augustinus lib.10. de gen. ad lit. loquens de Tertulliano hæc ait: *Quia animam credidit esse corpus, non ob aliud fecit nisi quòd eam incorpoream cogitare non potuit, & ideo timuit ne nihil esset, si corpus non esset.*

6. Clemens Alexandrinus lib.1. in 1. Petr. hæc habet: *Anima hominis est corruptibilis, quæ generatur & communicatur cum corpore.*

7. Gregorius Nyssenus lib. de opif. hominis cap.29. hæc ait: *Anima hominis est in semine, licet ibi non appareat.* Et anteà cap.14. dederat animæ notas corporeas quibus dignoscitur.

8. Augustinus tomo 2. epist.28. statuit, *animam filii esse genitam ex substantia patris non minùs quàm corpus.*

6. *His omnibus Patribus oppono* primò, Deum sic loquentem in Scripturis. Ecclesiastes cap.12. hæc ait: *Corpus abit in pulverem unde fuit, spiritus verò redit ad Deum qui dedit illum*; quæ antithesis inter corpus & spiritum utriusque diversam originem & naturam indicat. Paulus Hebr.12. sic loquitur: *Si castigatores habuimus patres nostrorum corporum & eos reveriti sumus, annon multò magis subjiciemur patri spirituum, & vivemus:* Quibus verbis peculiari elogio Deus pater spirituum nostrorum, distinguitur à patribus corporum nostrorum, ut ostendatur spiritus nostros seu animas nostras alio modo esse à Deo quàm corpora animas scilicet immediatè esse à Deo per creationem, corpora verò nostra mediatè esse à Deo, nimirùm mediantibus parentibus per generationem. Hæc loca Scripturæ probant etiam animam rationalem esse spiritualem: *In manus tuas commendo spiritum meum* Psal.31. *Domine Iesu suscipe spiritum meum*, Act.7. *Et inclinato capite tradidit spiritum*. Ioann.19. &c.

10. Oppono secundò, rationes quibus probatur animam non esse corpoream sed spiritualem, quarum prima est generalis hoc pacto. Spiri-

Spirituale seu immateriale opponitur materiali, & materiale potissimùm forma materialis educitur de potentia materiæ, id est dependet in esse & in operari à materia; igitur spirituale seu immateriale, putà forma immaterialis, non educitur de potentia materiæ, idest non dependet in esse & in operari à materia; & per consequens anima humana demonstratur esse spiritualis, si probatur quod ipsa sit principium completum suarum operationum, seu quòd operari possit independenter à materia; operari enim sequitur esse, & modus operandi sequitur modum essendi; cum esse sit propter operari, & quælibet res sit propter suam operationem: *Quod* autem *anima rationalis possit operari independenter à materia* probatur his rationibus.

11. Primò, nullum est in humano corpore organum perfectum, & absolutum, quod non sit etiam in brutis perfectis, ut omnes fatentur, & per consequens omnes facultates organicæ quæ sunt in homine, putà phantasia, appetitus, visus, auditus, &c. reperiuntur etiam in brutis: Sed facultas intelligendi quæ est in homine non reperitur in brutis: Ergo facultas intelligendi non est organica seu materialis, atque adeo intellectio quæ est exercitium facultatis intellectivæ seu rationalis non dependet ab organo aut à materia.

12. Secundò, anima intellectiva seu rationalis habet actiones reflexas quibus seipsam, suas facultates, suasque operationes intelligit, ac speciatim se intelligere & ratiocinari animadvertit: Sed ejusmodi actiones reflexæ rebus corporeis convenire non possunt: Nam quod corporeum est agit tantùm in aliud ab ipso diversum; siquidem de corporeis duntaxat verificatur axioma vulgatum, *nihil agit in seipsum:* Quamvis autem quippiam corporeum in seipsum agere videatur, non tamen absolutè, sed tantùm secundum quid, quatenus scilicet una pars agit in aliam, ut cum manus percutit femur, aut extremitas digiti volam manus; summa enim digiti pars in seipsam agere non potest: Hinc fit ut neque visus seipsum videat, aut suam visionem apprehendat, aut se videre animadvertat; neque auditus se ipsum audiat, aut suam auditionem percipiat, seu animadvertat se audire &c. neque phantasia se ipsam, suamve imaginationem cognoscat, aut observet se imaginari; & ridiculum esset existimare asinum intra se dicere, imaginor me imaginari; immò quando homines observant se imaginari, id faciunt vi intellectivà ipsam phantasiam, & imaginationem ejus intelligente; actio enim phantasiæ seu imaginatio ad ipsam imaginem aut per ipsam ad objectum tendit, non autem ad perceptionem imaginis; eò quòd talis perceptionis nulla sit imago: Brutorum verò consistentia, diversio, regressio, &c. non arguunt reflexionem, sed quandam tantùm reminiscentiam ob intercurrentem fortuitò novam aliquam in phantasia speciem.

13. Tertiò, anima intellectiva seu rationalis cognoscit Deum & Angelos, saltem negativè; cognoscendo scilicet quòd sint entia, &

removendo ab eis corporeitatem seu materialitatem, cujus quidem remotionis seu negationis formalis quatenus est operatio positiva intellectus; non potest dari ulla species materialis; sensibus enim nihil nisi materiale apprehenditur: Vnde sic formatur argumentum: Non possum determinari ad negandum materiale per species materiales, sicut ad negandum colorem per speciem coloris induci non possum; cum enim per speciem coloris judicem rem esse coloratam, certe si per speciem coloris negem colorem esse in re, sequetur per eandem speciem me posse judicare rem esse coloratam & non esse coloratam, quod est contradictorium; & cum per speciem materialitatis negem materialitatem esse in re, sequetur per eandem speciem me posse judicare rem esse materialem, & non esse materialem, quod contradictionem involuit: Sed ego nego materialitatem de Deo & Angelis, & judico Deum & Angelos non esse materiales: Ergo hujus negationis aut judicii determinatio non potest esse specie aut objecto materiali. Inde formatur istud argumentum probans conclusionem nostram: Tunc agit potentia cognoscitiva independenter à materia, quando determinationem specierum materialium non sequitur: Atq; dum negat materiale de Deo, non sequitur determinationem specierum materialium: Ergo agit independenter à materia, dum negat materiam.

14. Quartò. Independentia Intellectionis humanæ à materia, probatur ex eo quòd anima rationalis aut intellectus humanus, dividat ens aut substantiam in spiritum & corpus seu materiam: Nam talis divisio non est sicut in ens & non ens, & sicut in materiam & non materiam, sed est sicut in duo entia; alioquin non texeretur ordo categoricus ex solis entibus, sed etiam ex non entibus: Si autem spiritus & materia sint duo entia, in quæ intellectus dividit substantiam, sequitur intellectum humanum non apprehendere spiritum sicut materiam aut aliquid sensatum, nec apprehendere spiritum per aliquid materiatum aut sensatum: Sicut enim ille qui dividens colorem in albedinem & nigredinem, conciperet albedinem ut nigredinem aut per nigredinem; non distingueret aut divideret ipsas, sed potiùs conjungeret & identificaret, ita qui dividens substantiam in spiritum & corpus, conciperet spiritum ut corpus; non distingueret aut divideret ipsa, sed potiùs conjungeret & identificaret.

15. Quintò, Independentia intellectionis humanæ à materia, patet ex eo quòd in nobis sit intellectionis species, quâ ratiocinando eò provehimur, ut aliquid intelligamus, quod imaginari seu cujus imaginem habere non possimus: Verbi gratiâ cum ratiocinando intelligamus Solem esse centies sexagies terrâ majorem, imaginatio tamen refragatur; & imaginando non possumus assequi tantam vastitatem: Item, licet de Deo loquentes, cùm dicimus eum esse incorporeum, quippiam corporeum imaginemur; attamen apprehendimus simul aliquid præter speciem corpoream quod sit ipsâ quasi obvelatum, hoc autem superat vires phantasiæ, & intellectus ipsius est proprium, potéstque talis apprehensio, non jam imaginatio, sed intel-

intellectio dici. Prætereà, Intellectus apprehendit spatium inane infinitum extra mundum, quod phantasia apprehendere non potest, cum speciem seu imaginem infiniti habere non possit; & licet imaginatio nostra aliquoúsque ultra mundi amplitudinem exporrigeretur; brevi tamen terminatur; soláque ratio superest, quæ superesse spatia absque ullo termino concludit. Rursus, dum quis seipsum & sui speciem contemplatur in speculo, non potest imaginari partem sui dextram in speculo visam, esse eam revera quæ in speculo sinistra apparet, & eam sinistram quæ apparet dextra; & intellectus tamen non modo experientiâ, sed ratiocinio etiam freta imaginationi adversatur, & quam illa dextram, ipsa sinistram, & quam illa sinistram ipsâ dextram habet: Sic dum quis baculum partim in aqua partim in aëre extantem videt, imaginatio incurvatum capit, quem Intellectus tuetur rectum esse. Denique ratio docet homines esse posse qui vestigia nostris opposita habentes tam recti supra terram quàm nos incederent, & navigationes nuperæ edocuere nos tales reverà homines habere; licet autem ratione & experientiâ convincamur dari homines Antipodas; imaginatio tamen nostra nullâ vi flecti potest, ut non cœlum quod à regione capitis illorum est, deorsum constitutum existimet, ut non suspensos, & in cœlum prolapsuros cogitet.

16. Ex supradictis constat functionem esse aliam hominis, quæ est intellectio, & non imaginatio: Nam intellectio illa quâ intelligimus Antipodas incedere erectos, cœlumque imminens, & terram subjectam habentes, non potest esse imaginatio, cum eliciatur refragante imaginatione & rem planè oppositam subjiciente. Dices, Intellectum dum erectos incedere Antipodas intelligit, agere aliunde cum phantasia quatenus imaginatur homines sicut nos erectè incedentes. Verùm non nego quidem, quin homo intellectu præditus debeat homines vidisse erectè incedentes, & imaginatum fuisse homines erectè incedentes, nec nego in ejusmodi intellectionibus occasionem habere à phantasia; sed nego Intellectum dum Antipodibus cogitatis, & ad nos directè incedentes relatis, ipsos quoque erectè incedere intelligit, id cum Phantasia agere, cum id imaginata nunquam fuerit, neque imaginari possit: Intellectus igitur intuens in phantasmata res easdem intelligit quas phantasia imaginatur, sed ob suæ tamen naturæ eminentiam speciale id sibi habere ut ex rebus intellectis imaginationéque perceptis ea possit deducere quæ ipse intelligat, sed assequi tamen phantasia imaginatione non valeat: Unde ob id dicimus intellectum & rationem esse suprà sensum, & ratione nos assequi quod non possimus imaginatione, & ob id intellectus noster anima rationalis appellatur. Etenim quantumvis animæ brutorum unum ex alio colligant & quodammodo ratiocinentur, & aliquam rationis umbram possideant, nunquam tamen quicquam imaginationi repugnans deducunt, sicut facit ratio humana.

17. Alii probant independentiam animæ intelligentis à materia, per extasim, per abstractionem mentalem unius ab alio, per cognitionem uni-

versalis & universalitatis, per appetitionem beatitudinis immortalis non frustraneam, per libertatem indifferentiæ &c. Verùm supradicta sufficere existimo ad probandam spiritualitatem animæ rationalis: Quoniam autem ex spiritualitate animæ rectè colligitur immortalitas ejus, aliquid dicendum de immortalitate animæ.

DE IMMORTALITATE ANIMÆ.

18. *Immortalitas duplex* est: *Una absoluta* soli Deo conveniens, quâ impossibile est, ut quemadmodum nunquam cœpit, ita unquam desinat: *Altera precaria* & conditionalis conveniens Angelis, animæ rationali, & materiæ primæ, quæ possent quidem absolutè in nihilum redigi à Deo, si vellet; attamen ex suppositione quòd Deus nihil moliatur præter ordinem naturæ, & hic rerum status, quem sapientissimè instituit, idem constanter perseveret; eas in æternum duraturas affirmamus; & de anima rationali probamus his argumentis.

19. Primum argumentum sic procedit: Omne spirituale seu incorporeum aut immateriale est immortale & incorruptibile; nam cum res spiritualis seu immaterialis careat mole & partibus in quas distrahi aut dissolui possit, necesse est ut qualis sit, talis etiam perseveret; quod autem tale est, neque in se habet dissolutionis principium, neque aliunde dissolutionem timet; atque adeo necessariò est immortale & incorruptibile: Sed anima rationalis est spiritualis, incorporea & immaterialis, ut probatum est suprà.

20. Secundum argumentum quo probatur immortalitas animæ rationalis est ejusmodi. Deus est, ubique est, mundi Rex est justus & est unicuique reddens secundum opera sua, bona bonis & mala malis: Sed id non præstatur à Deo in hac vita; cum adulteri, homicidæ, prædones, athei, sacrilegi & alii ejusmodi impii, plerumq; deliciis omnibus affluant, & de suis sceleribus gloriantes sine pœnis ex hac vita discedant; fideles verò, cultores Dei, justi, fortes, temperantes, & alii pietate & virtute insignes viri, morbis gravissimis sæpiùs conflictentur, tormentis, & ignominiosæ morti plerunque exponantur: Ergo id præstatur à Deo post hanc vitam atque adeo post hanc vitam est locus præmii & suplicii; & per consequens anima rationalis post interitum corporis permanet & est immortalis. Sola major in controversiam cadere potest, quam probamus per partes hoc pacto.

21. Deum esse sic probatur: mundus non est ab æterno: Ergo habet principium; non à se, quia nihil est causa sui ipsius: Ergo ab alio, scilicet à Deo; cum nomine Dei omnes intelligant creatorem mun-

mundi, mundum non esse ab æterno probatum est suprà dum de mundo.

21. Demonstratâ existentiâ Dei, jam facilè probari potest ejus vbiquitas seu imensitas hoc pacto. Nulla res potest agere vbi non est, & quælibet res agit tantùm vbi est, verbi gratiâ Petrus qui est in Gallia non agit in America; Sed Deus vbique potest agere: Qui enim creavit mundum, & conservat ipsum, potest creare alios mundos si velit, vbi necessariò erit; atque adeo Deus est in mundo non inclusus, & extra mundum non exclusus. Et reverà si Deus esset tantùm in certo loco, putà in cœlo vel in terra esset finitus: Et si esset finitus, esset mobilis ab vno loco in alium, si autem sic esset mobilis, non esset æternus, cum mobile sit id quod potest moveri, nihil autem potest moveri ab æterno, vt demonstratum est: Quod si non esset æternus haberet principium; non à se, cum nihil sit causa sui ipsius, ergo ab alio, & sic esset ens ab alio, & dependens ab alio, & per consequens non esset Deus. Nec dicas Deum esse in certo loco, putà in cœlo, ratione suæ substantiæ, esse verò vbique ratione virtutis aut potentiæ suæ duntaxat: Nam cum Deus debeat esse simplicissimus, quicquid est in Deo est Deus ipse; atque adeo virtus & potentia Dei est Deus ipse: Et reverà virtus aut potentia Dei est principium omnium operationum divinarum; at vnicum est principium omnium operationum divinarum, scilicet Deitas seu Divinitas; ergo virtus aut poten ia Dei est ipsa Deitas. Adde quòd si Deus esset tantùm in certo loco ratione suæ substantiæ, sequeretur substantiam Dei esse finitam, mobilem, non æternam, atque adeo non esse Deum.

22. Si Deus est, & vbique est, proculdubio Rex mundi est, & omnia juxta bene placitum voluntatis suæ administrat: Nam ratio quæ Deum existentem probat, eundem etiam summè perfectum convincit, & impossibile est vt Deum esse intelligamus, cui desit aliqua perfectio; siquidem id potiùs foret Deus cui ea perfectio tribueretur: At mundum regere & administrare, & omnibus rebus providere, maxima perfectio est. Deinde si Deus creavit mundum, vt probatum est, potentissimus est, si omnia excellentissimo ordine disposuit, sapientissimus est, si creaturis omnibus egregias dotes & virtutes insignes communicavit optimus est; & non licet concipere Deum, nisi potentissimum, sapientissimum & optimum: Qualis enim esset Deus (vt verbis vtar doctissimi Gassendi) si non posset, si ignoraret, si invideret aliquid, certè natura illa esset perfectior, quæ posset, quæ sciret, quæ non invideret; nulla autem natura potest esse perfectior divinâ: Si Deus potentissimus est, nihil ejus potentiam effugere debet, sed omnia ab ipsa sic pendere necesse est, vt præter ejus voluntatem neq; existant neque moveantur: At Deus nihil ampliùs agens excellentissimam virtutem suam manifestare non potest, & actionem intermittens, rerumq; creatarum administrationem negligens, imbecillitatis, lassitudinisque suspicionem necessariò inducit: Si Deus sapientissimus est, non tantùm in-

telligit quæ sunt in mundo, sed intelligit etiam modum quo administrari debeant; & reipsa omnia administrat; alioquin posset concipi natura perfectior, quæ intelligeret, & administraret omnia: Deus igitur non potest concipi sapientissimus, si otiosus & nihil curans concipiatur: Denique si optimus est, oportet vt omnia bonitatem ejus persentiscant, quod certè esse non potest, si nullius rei curam gerat, & rebus omnibus non provideat; si enim sciat & possit omnibus bene consulere, censere posset invidus, nisi reipsa consuleret. His adde quod si mundus à Deo creatus sit, vt probatum est, proculdubio à creatore suo derelictus esse non potest: Cum enim nullus sit opifex, qui non malit operi suo benè quàm malè esse; non potest Deus mundum opus suum deserere, sed ipsi prospicit quod conducibilius est; siquidem nemo meliùs novit quibus rebus aliquid egeat, aut quomodo gubernari debeat quàm qui ipsius conditor est: Et reverà moles hæc operosa mundi tot tantísque partibus constans, ea omninò est, vt sine rectore consistere non possit: Observamus enim quicquid componitur ex variis rebus diversos impetus habentibus, nisi gubernatorem habeat à quo temperetur; in confusionem proruere: Et quisquis partium mundi tam variatum, tam speciosarum dispositionem spectaverit; quisquis cœlestium corporum splendorem, constantiam, vires, conversiones, & harmoniam contemplatus fuerit; quisquis in inferioribus tempestatum varietates, viscerum terræ divitias, plantarum elegantias, animalium diversitates, idque cum tanta in singulis membrorum multitudine connexione, symmetria, destinatione, admiratus fuerit; quisquis (inquam) attentàmente ista consideravit, is sane, nisi invitâ & reclamante conscientiâ negare non poterit, quin Deus sit cujus sapientiâ, potentiâ, & providentiâ, hæc omnia perficiantur, & administrentur.

23. Sapientia, bonitas, & Iustitia Dei, postulant vt bona bonis, & mala malis retribuantur: consentaneum est sapientiæ divinæ, vt bonum morale quod est virtus, cum bono physico, quod est præmium & felicitas componatur: Et eadem sapientia exigit, vt malum morale quod est vitium, cum malo physico quod est pœna & miseria conjungatur: Nihil enim magis alienum à vera sapientia, & à rectâ ratione quàm vt virtus cum vita miserrima, & vitium cum summa felicitate conjungatur: Et creatura beata esse non potest, cujus conditio non fuit comparata ad sui creatoris imaginem: Vita autem creatoris duo habet, scilicet sanctitatem quæ refertur ad bonitatem moralem, & felicitatem quæ boni physici naturam obtinet: Ex ordine igitur sapientiæ divinæ conditio creaturæ beatæ, sanctitate & felicitate gaudere debet; conditio verò creaturæ miseræ malitiâ affici & miseriâ conflictari.

24. Rursus, tanta vis est bonitatis divinæ, vt semper bonis bene esse velit; Nam in sanctitate creaturæ imago Dei sita est; cum autem Deus se vehementissimè diligat, vt potè summopere diligendum, sequitur necessariò vt suammet imaginem, atque adeo creaturam, in qua videt imagi-

nem

tatem suam fulgere; & si amat ei bene esse vult, & per consequens ei benè faciet, siquidem id potest quod vult.

25. Denique Iustitia Dei postulat, ut mala malis eveniant: Eadem enim naturæ perfectio, quæ dicitur bonitas, quando sanctitatem amat & sanctis benefacit; dicitur etiam justitia, quando peccatum odit & peccatores punit: Et in justitia res videtur evidentior quàm in bonitate; licet enim Deus ita bonus sit, ut non possit non amare bonam, & sanctam creaturam; attamen si abstineret à benefaciendo, nihil admitteret adversus suam justitiam, nullo enim jure, nullâque lege tenetur creaturam remunerari, eò quod creatura se totam debeat Deo, cum Deus eam creaverit, & in infinita perfectione, & excellentia suprà ipsam sit constitutus; ubi autem est tanta naturæ disparitas, nullum est commune *δίκαιον* cujus causâ qui dignitate tantâ superior & remunerationi tribuendæ sit obnoxius: At quantò major est inæqualitas inter Deum & creaturam, tantò gravius est quod perpetratur adversus leges à Deo positas; ideoque tanto dignius est odio & supplicio odium necessariò consequente, adeo ut si Deus à se impetrare nequit quin bonis benefaciat, quia bonus est; multò minùs à se impetret quin malis male faciat, quia justus est.

26. Cum igitur ex supradictis manifestum sit Deum ubique existentem & omnia justè administrantem, bona bonis & mala malis retributurum, idque non præstet in hac vita, necessariò præstabit post hanc vitam; atque adeo post hanc vitam, & post interitum hominis est locus aliquis præmio & supplicio destinatus: Vnde sequitur necessariò immortalitas animæ, vel resurrectio fidelium mortuorum, qui quoad corpus & quod animam vitam immortalem & beatissimam consequentur.

27. Tertium argumentum quo probatur immortalitas animæ est ejusmodi. Scriptura sacra est divinitus inspirata, & quicquid docet est infallibiliter verum, ut probavi disputatione de existentia Dei: At scriptura sacra docet animam humanam esse immortalem.

28. Primò, Matth.10. 28. hæc habentur; *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt:* Ergo occiso corpore non occiditur anima, & post interitum corporis anima remanet, & est immortalis.

29. Secundò, Ecclesiastes cap.12. 9. dicit, *corpus abire in pulverem unde fuit, spiritum verò redire ad Deum qui dedit illum.* Antithesis ista inter corpus & spiritum seu animam, utriusque diversam originem & naturam indicat; corpus ex terra seu pulvere desumptum, in pulverem abit: At anima à Deo data seu creata, redit ad Deum, atque adeo corpore in pulverem redacto, anima superstes manet & immortalis.

30. Tertiò, Hebr.12.9 hæc leguntur; *Si castigatores habuimus patres nostrorum corporum, & eos reveriti sumus, annon magis subjiciemur patri spirituum & vivemus.* His verbis peculiari elogio Deus pater spirituum distinguitur à patribus carnis nostræ sc. corporum nostrorum, ut ostendatur Spiritus nostros scilicet animas nostras alio modo esse à Deo quàm corpora;

animas ſcilicet immediatè eſſe à Deo per creationem; corpora verò noſtra mediatè eſſe à Deo nimirùm mediantibus parentibus.

31. Quartò, Ioann.5.24. hæc habentur, *Qui credit in eum qui miſit me habet vitam æternam.* Et Luc.23.43 Chriſtus dixit latroni, *hodie mecum eris in Paradiſo.* Et Matth.25.Chriſtus in die Iudicii adverſus impios pronuntiabit hanc ſententiam, *Ite maledicti in ignem æternum*, &c. At latro non fuit illa die in Paradiſo quoad corpus, quod fractum eſt à militibus, ſed tantùm quoad animam, & fideles non poſſunt habere vitam æternam, nec impii affici pœnis æternis, niſi ſupponatur immortalitas animæ, aut reſurrectio mortuorum, qui in æternum quoad corpus & animam beati vel miſeri erunt.

32. Quintò, Chriſtus probavit immortalitatem animæ his verbis, *Deus eſt Deus Abrahami, Deus Iſaaci, & Deus Iacobi; at non eſt Deus mortuorum ſed viventium:* Ex quibus verbis evidenter colligitur Abrahamum Iſaacum & Iacobum vivos fuiſſe tempore Chriſti, cum Deus fuerit eorum Deus; ſed non vixerunt quoad corpus, ergo quoad animam quæ poſt eorum interitum manſit ſuperſtes & immortalis.

DE ORIGINE ANIMÆ.

33. DE origine animæ rationalis variæ fuerunt Philoſophorum ſententiæ. *Prima eſt Stoicorum*, qui ſtatuerunt animas rationales ex ipſius Dei ſubſtantia tanquam ex materia eſſe. Manichæi & Priſcillianiſtæ addiderunt, bonas animas eſſe ex bono Deo, malas verò ex malo Deo, tanquam partes vtriúſque deciſas ortum ducere. *Secunda eſt Platonicorum*, quos ſequutus eſt Origenes, qui ſtatuerunt animas omnes in principio temporis ſimul cum Angelis fuiſſe creatas: Multi verò addunt eas in cœlo peccaſſe & poſtea in pœnam peccatorum corporibus incluſas. *Tertia eſt Tertulliani, Apollinaris, & plurimorum occidentalium*, qui docuerunt animas eſſe ex traduce, id eſt à parentibus trahi & traduci per generationem, non minùs quàm corpora. *Quarta eſt Orthodoxorum* qui exiſtimant animam quotidie à Deo in ipſo corpore debitè organiſato creari, & creando infundi, quam ſententiam nos amplectimur.

34. *Animas humanas non eſſe particulas Dei ex ipſa ſubſtantia Dei, tanquam ex materia deciſas, probatur* primò, quia cum Deus ſit ſimpliſſimus, neque admittit compoſitionem, atque adeo non habet partes; neque venit in compoſitionem alterius, atque adeo non eſt pars alterius ſcilicet hominis. Rurſus cum ſit indiviſibilis in partes ſecari non poteſt, atque adeo Animæ non poſſunt eſſe partes ſubſtantiæ divinæ.

35. Secundò, quia licet Deus ſit rerum omnium cauſa efficiens & finalis,

nalis, eò quòd ab ipso & propter ipsum omnia sint: Attamen nullius rei potest esse materia, cum omnis materia & omnis res divisibilis necessariò sit finit; Deus autem est essentialiter infinitus, vt ibidem demonstratum est.

36. Tertiò, quia cum impiorum animæ sempiternis cruciatibus torquendæ sint in inferis, certè si essent ex ipsa Dei substantia, sequeretur partes substantiæ divinæ cruciatibus infernalibus semper torqueri, quod est absurdum.

37. Quartò quia cum animæ humanæ sint mutabiles & transeant ab ignorantia ad scientiam,à vitio ad virtutem & vice versa,certè si essent ex Dei substantia tanquam ex materia sequeretur substantiam Dei esse mutabilem & ignorantiam & vitium in eam cadere posse,quod est impossibile; cum Deus semper sit omniscius, iustissimus, apud quem nulla est mutatio aut mutationis Vmbra.

38. Denique cùm Deus sit infinitus,omnipotens,perfectissimus,sibi & rebus omnibus sufficientissimus, manifestum est vnicum esse Deum cùm plures infiniti omnipotentes & perfectissimi esse non possint, atque adeo non esse duos Deos, vnum bonum & alterum malum.

39. Quare quòd dicitur 2. Petr. 6. *de participatione naturæ divinæ*, non est intelligendum de ipsa Dei essentia creaturis incommunicabili, sed de dono regenerationis & imaginis Dei in nobis instauratione per gratiam Spiritus Sanctificantis; quod patet ex ipso loco, vbi Petrus docet nos fieri consortes naturæ divinæ, dum fugimus corruptionem quæ est in mundo per cupiditatem: Nomen igitur naturæ non sumitur pro essentia, sed pro qualitate, sicut hominem ferocem dicimus esse naturæ leoninæ, hominem mitem & simplicem esse naturæ columbinæ &c.

40. *Vtrum animæ rationales simul cum Angelis in Principio temporis fuerint creatæ, an verò quotidie creentur in corporibus debitè organisatis nulla ratione naturali demonstrari potest*: cùm enim creatio animæ rationalis sit opus Dei liberum, potest Deus eam quolibet tempore creare: Attamen nos Sanctæ Scripturæ adhærentes, *credimus animas humanas non in principio temporis fuisse creatas, sed quotidie creari in corporibus bene organisatis*. Id probatur ex cap. 12. Zach vbi expresè dicitur, *Deum formare spiritum hominis in eo aut in medio eius*. Et ex Genes. 2. vbi dicitur *Deum insufflasse in Adamum, spiraculum vitæ & sic factum fuisse in animam viventem*: In creatione autem animæ Adami, communis animarum omnium humanarum origo exprimitur. Addimus, absurdum esse animas humanas in cœlo peccasse & in pœnam peccatorum corporibus fuisse inclusas: Si enim hoc esset admittendum, falsum esset quod dicitur Rom. 5. *peccatum per vnum hominem intrasse in mundum*. Et quod habetur Rom. 9. *pueros in vtero nondum quicquam boni vel mali fecisse*.

41. *Animas humanas non esse ex traduce per generationem, sed esse immediatè à Deo per creationem*, demonstratur argumentis suprà allatis pro im-

mortalitate animæ rationalis, quibus hæc addo. Primò, si anima rationalis esset ex traduce, vel traduceretur & propagaretur per semen corporeum, vel per semen spirituale, vel per substantiam animæ parentum, vel ex anima parentum eo modo quo accenditur lumen de lumine sine divisione aut diminutione, vel immediatè eb anima parentum sine materia præcedente: Sed nullum horum dici potest. Ergo, &c.

42. Animas humanas non traduci aut propagari per semen corporeum pater, quia cum semen corporeum sit corruptibile, sequeretur animam humanam esse corruptibilem & mortalem, quod suprà abundè refutavimus: Non etiam per semen spirituale; cum enim constet non generari hominem ex qualibet copula, & multa esse semina irrita ex quibus nihil fit; necesse est vt semen illud spirituale, quod supponitur emitti vna cum semine corporeo; sæpissime pereat; vnde sequitur illud esse corruptibile; ex corruptibile autem semine non potest fieri anima incorruptibilis & immortalis, qualem esse animam rationalem suprà probavimus.

43. Rursus animas humanas non propagari per substantiam animæ parentum, adeo vt anima filii sit de substantia animæ parentum & ab ea decisa; probatur, quia talis traductio aut propagatio nequit fieri absque divisione animæ parentum; At anima est impartibilis, quia spiritualis & immortalis, vt suprà: Adde quod inde sequeretur omnes animas humanas esse partes animæ Adami & Evæ, & sequeretur animam filii electi esse partem patris reprobi &c. quæ esse absurda nemo sanæ mentis negaverit.

44. Præterea, animas humanas non esse ex anima parentum, eo modo quo accenditur lumen de lumine, sine divisione aut diminutione; probatur primò quia si anima filii traduceretur ex anima parentum, sicut lumen de lumine accenditur, sequeretur animam filii omnino non traduci, sed tantùm id quod admovetur animæ parentum converti in animam filii, sicut materia admota uni flammæ convertitur in aliam flammam: Secundò, si anima filii traduceretur ex anima parentum, vel ex anima vtriusque parentis vel ex anima alterutrius tantùm traduceretur: At neutrum dici potest; non priùs, quia sic oportet misceri aut conjungi vtriusque parentis animas, & quasi in vnam coalescere, ex qua immediatè traduceretur anima filii, non enim vnum lumen accenditur à duobus luminibus à se distinctis, non etiam posteriùs, quia vterque parens est principium generationis filii.

45. Denique, animas humanas non esse immediatè ab anima parentum sine materia præjacente, probatur, quia inde sequeretur animam fieri ab anima parentum independenter ab omni materia & subjecto, & per consequens creari; at omnes sciunt solum Deum posse creare & posse producere res ex nihilo, idest independenter ab omni subjecto.

46. Secundò, anima rationalis est substantia, non accidens, vt fatentur adversarii, substantia est ens per se subsistens, quod per se subsistit, existit independenter à subjecto; quod existit independenter à subjecto, fit independenter

pendenter ab ipso; sicut enim res se habet in esse, sic se habet in fieri, cum in eo instanti quo res fit, res incipiat esse, & primò existat; quod autem fit independenter à subjecto, creatur; cum creatio nihil aliud sit quàm productio rei independenter à subjecto; quòd verò creatur à solo Deo immediatè producitur, cum solus Deus sit rerum creator; ergo per sortitem argumentando à primo ad vltimum, anima rationalis à solo Deo producitur immediatè per creationem, non autem per generationem naturalem ex traduce.

47. Nec dicas creaturam producere substantiam, cum homo producat hominem qui est substantia, asinus producat asinum qui etiam est substantia &c. Nam in homine, asino, aliisque compositis naturalibus, plura sunt distinguenda; scilicet materia prima quæ est substantia, & quæ est ingenerabilis & incorruptibilis, atque adeo non potest produci à creatura; anima rationalis in homine, quæ est substantia, & quæ est immortalis, vt probatum est suprà, atque adeo est ingenerabilis & improducibilis à creatura; ac deniq; organisatio, & vnio corporis & animæ, quæ sunt accidentia generabilia & corruptibilia, atq; adeo possunt produci à creatura: Homo igitur producit hominem, & asinus asinum, ratione organisationis & vnionis animæ cum corpore, nec non quatenus suppeditat materiam proximam, sc. semen, ex quo fit corpus animatum sensitivum; at homo non producit hominem, nec asinus asinum, ratione materiæ primæ, & homo non producit hominem, ratione animæ rationalis ob rationem allatam. Concludo igitur tres esse tantùm substantias creatas, sc. angelum, animam rationalem, & materiam primam, quæ à solo Deo possunt produci, reliqua autem sunt accidentia, & actiones, motus, vniones, figuræ, aut alia ejusmodi accidentia, quæ etiam à creaturis produci possunt.

48. Tertiò, omne generabile est corruptibile aut mortale, cum enim omnis generatio fiat in materia & ex aliqua materia, certè eadem materia quæ in generatione transit à privatione ad formam, potest transire à forma ad privationem, atque adeo quod generationem subit, est etiam corruptioni & morti obnoxium: sed anima rationalis est incorruptibilis & immortalis, juxta illud Evangelii; *Nolite timere eos qui possunt interficere corpora, sed non possunt interficere animam:* Ergo anima rationalis non est generabilis, atq; adeo non traducitur à parentibus per generationem.

49. Quartò, si anima humana esset à traduce, idest si anima filii traduceretur à parentibus per generationem; vel traduceretur à corpore, vel ab anima: Non à corpore, quia vna natura, qualis est corpus, non potest producere aliam naturam toto genere à se diversam, qualis est anima humana, quam esse spiritum patet ex his locis Scripturæ, *in manus tuas commendo spiritum meum* Psalm. 31. *Domine Iesu suscipe spiritum meum* Act. 7. *& inclinato capite tradidit spiritum*, Ioann. 19. Patet etiam ex eo quòd anima humana penetraret corpus, at corpus est impenetrabile cum alio corpore: Patet quoque ex eo, quòd si anima esset corpus, vel esset corpus animatum, vel inanimatum; si hoc, anima esset sine a-

nima; & esset corpus vita carens, quod est absurdum; si illud, vel dabitur progressus in infinitum, nimirùm vt anima animetur aliâ animâ, & hæc aliâ; & sic deinceps; vel dabitur anima quæ non est corpus animatum.

50. Rursus animam non traduci à corpore probatur, quia anima humana est nobilior corpore, effectus autem non est nobilior suâ causâ: Item, [illegible] traduceretur à corpore, [illegible] produceretur per semen, cum nullus alius [illegible] traductionis animæ à corpore excogitari possit præter semen, at non potest traduci per semen, quia vel semen produceret animam, & hoc non, eo quòd semen sit corpus, quod non posse producere animam suprà probavimus; vel contineret animam & hoc non, quia anima periret [illegible] semine, & semper difficultas maneret quænam esset causa animæ in semine.

51. Non etiam ab anima parentum traduci animam filii probatur, quia vel tota anima parentum transiret in filium, vel pars tantùm, vel anima parentum produceret animam filii: Sed tota anima parentum non transit in filios, alioquin parentes generantes filios non haberent ampliùs animam & desinerent esse homines, quod est absurdum: Pars etiam animæ parentum non transit in filios, quia cum anima sit spiritualis, vt suprà, non habet partes; & sequeretur omnes animas omnium hominum fuisse contentas in anima Adami & anima Evæ: & quamplurimas partes animæ Adami esse beatas in cœlis, quamplurimas verò alias partes ejusdem animæ Adami cruciari in inferis: Non etiam anima parentum producit animam filii, quia nihil creavit Deus ex nihilo cui indiderit potentiam producendi sibi simile, vt patet inductione cœlorum, angelorum &c. at anima Adami creata fuit ex nihilo, vt patet ex historia creationis Genes. 1. ergo si corpus ex nihilo creatum non potest producere sibi simile, anima quoque humana ex nihilo creata non potest producere sibi similem animam: Deinde si anima patris produceret animam filii, vel eam produceret ex nihilo, vel ex aliquo; si ex nihilo, eam crearet, & ita esset Deus, quod non potest dici sine blasphemia, cum Deus sit creator rerum; si ex aliquo, vel ex aliquo corporeo, putà ex semine corporeo, vel ex aliquo incorporeo, putà ex semine spirituali; at non ex aliquo corporeo, cum ex corporeis non possint fieri incorporea, quales sunt animæ humanæ, & semen materiale non possit esse materia rei spiritualis qualis est anima humana; non etiam ex aliquo incorporeo, putà ex semine spirituali; nam semper rediret quæstio, scilicet quænam sit causa ejusmodi seminis spiritualis, an sicut corpus sumendo cibos corporeos producit semen ex quo fit aliud corpus humanum; ita etiam anima sumendo cibos spirituales producit semen spirituale, ex quo fit alia anima humana? Apage has ineptias: sumptio enim ciborum spiritualium ab anima, nihil aliud est quàm cognitio & meditatio rerum à quâ semen spirituale produci ex qua fiat anima, est omninò ridiculum. Concludendum igitur animam immediatè creari à Deo, cum neque à corpore, neque ab anima traduci possit.

52. Quintò,

52. Quintò, si (ut putat Sennertus) semen humanum esset animatum anima rationali, & sic anima fieret ex traduce, hæc absurda sequerentur. 1. Semen humanum in testiculis existens esset homo. 2. Seminis humani in terram emissio esset homicidium. 3. Semen ejusmodi in terram emissum esset baptisandum, ne anima juxtà pontificios privaretur vitâ æternâ. 4. Si semen fœminæ esset animatum, ea posset per se generare &c. Nec dicas semen tantùm esse animatum, cùm utriusque parentis semen in utero conjunctum est, non autem cùm est in testiculis; nam utrumque semen cum est conjunctum, non differt specie ab utroque cùm est separatum; animatum verò & in animatum differunt specie; deinde si utrumque semen in utero conjunctum sit animatum, sequetur mulierem dormientem singulis diebus unius anni cum viris posse producere plusquam trecentos homines uno anno, nimirùm si singulis diebus semen utrumque viri & mulieris conjungantur in utero.

53. Ad id quod dicitur Gen. 2. *Deum septima die quievisse ab opere creationis:* Respondetur quievisse à creatione novarum specierum, non autem novorum individuorum. Ad id quod dicitur Gen. 48. *animas ingressas cum Iacobo in Ægyptum egressas ex femore ejus:* Respondetur esse Synecdochen partis pro toto usitatam in sacris litteris, quâ per animas personæ intelliguntur: Ad id quod dicitur Gen. 1. *crescite & multiplicamini:* Respondetur multiplicationem illam intelligendam de toto composito, non tamen secundum utramque ejus partem essentialem: Denique, ad id quod dicitur *traduce animæ negato, non posse derivari peccatum originale in sobolem*; eò quòd anima sit sedes & subjectum peccati, non autem corpus quod est res bruta. Respondetur, non esse inquirendum de modo propagationis peccati, ut ait confessio fidei Ecclesiarum Reformatarum Galliæ; & si de eo inquirendum, consulendi Theologi, non Philosophi; & si aliquid dicere liceat, fortè est à corpore inchoativè & dispositivè, à toto verò homine consummatè & perfectè.

DE SEDE ANIMÆ.

54. Communis Philosophorum sententia est *animam rationalem esse totam in toto, & totam in qualibet parte corporis; quod tamen esse falsum probatur his argumentis.* Primum argumentum sic procedit: Vbicunque est anima, ibi etiam sunt ea omnia quæ sunt in anima; ubi enim est subjectum, ibi sunt accidentia ejus; alioquin accidentia essent extra suum subjectum, quatenus scilicet essent extra locum illius: Sed accidentia animæ rationalis non sunt in qualibet parte corporis humani siquidem accidentia animæ rationalis sunt scientiæ, artes, species intelligibiles rerum, verba mentis, actuales ratiocinationes & dilectiones, &c. quæ proculdubio non sunt in singulis partibus corporis, putà in digitis aut ossibus, in naribus aut natibus, in extremitate manus aut pedis, &c.

55. Secundum argumentum tale est: Impossibile est eandem entitatem scil. eandem animam rationalem, simul & eodem tempore moveri & non moveri, cum moveri & non moveri sint contradictoria, quæ simul & eodem tempore eidem entitati convenire non possunt: Sed si anima rationalis esset in qualibet parte corporis, putà in brachio, pede, &c. sequeretur eandem entitatem scilicet eandem animam rationalem simul moveri & non moveri; nam si immoto pede moveatur brachium (ut sæpius fieri solet) anima rationalis, quæ creditur esse in brachio, movebitur, scilicet ad motum brachii; & eadem anima rationalis, quæ creditur esse in pede, non movebitur, scilicet immoto pede. Adde quòd si anima esset simul in duobus brachiis, sequeretur eandem entitatem, scilicet eandem animam rationalem simul moveri duobus motibus contrariis nimiiùm: si brachium dextrum moveatur sursum, & brachium sinistrum moveatur deorsum; eadem enim anima rationalis utrumque brachium informans movebitur ad motum utriusque brachii, scilicet sursum & deorsum, qui motus sunt oppositi, atque adeo incompossibiles in eodem subjecto.

56. Tertium argumentum est ejusmodi: Impossibile est animam rationalem crescere & rarefieri, migrare de subjecto in subjectum, & esse per se mobilem; cum sit spiritualis & indivisibilis; accretio autem, rarefactio & mobilitas per se conveniant tantùm corporibus, migratio verò animarum de subjecto in subjectum sapiat metempsychosim Pythagoricam: Sed si anima rationalis esset in qualibet parte corporis humani, sequeretur eam crescere aut rarefieri, migrare de subjecto in subjectum, & esse per se mobilem, quod sic probatur. Quod parvum & posteà magnum spatium occupat; vel crescit, si id fiat per accretionem, seu augmentationem & additionem partium per intus susceptionem; vel rarescit, si id fit sine augmentatione & additione partium, ut patet ex definitione accretionis & rarefactionis: Sed si anima rationalis esset in qualibet parte corporis, priùs parvum & posteà magnum spatium occuparet; siquidem anima rationalis Petri infantis, informaret pusillum corpus, & parvum spatium occuparet, & posteà eadem anima rationalis Petri viri facti informaret magnum corpus & magnum spatium occuparet: Ergo, &c. Rursus, quod migrat de una materia in aliam, migrat de uno subjecto in aliud, cum materia sit subjectum uniuscujusque formæ, ut patet ex definitione materiæ: Sed si anima rationalis, quæ creditur vera forma hominis, esset in qualibet parte corporis humani, migraret de una materia in aliam, quod sic ostenditur. Partes materiæ sunt vera materia, cum secundum Peripateticos partes materiæ sint homogeneæ: Sed si anima esset in qualibet parte corporis migraret de una parte materiæ in aliam, quod sic demonstratur. Forma quæ continuò deserit aliquas partes materiæ, eas informare desinendo; & accedit ad alias, eas informando; transit de una parte materiæ in aliam: Sed si anima rationalis esset in qualibet parte corporis, continuò desereret aliquas partes materiæ, eas informare desinendo; & accederet ad alias, eas informando; eò quòd in vivente partes quædam materiæ continuò

continuò dilabuntur per calorem humidum depaſcentem,& alię continuò de novo adveniunt per nutritionem, ut reparetur ſubſtantia deperdita: Si igitur anima rationalis eſſet in qualibet parte corporis, continuò deſereret partes materiæ fluentes & dilabentes,eas non ampliùs informando, & accederet ad alias per nutritionem advenientes eas informando. Denique, ſi anima rationalis eſſet in qualibet parte corporis humani eſſet etiam in partibus de novo accedentibus ad vivens per nutritionem & accretionem, quæ partes vetæ ſunt animatæ: At anima rationalis non poteſt eſſe in ejuſmodi partibus, quin moveatur ad illas,& quidem per ſe. Quòd moveatur ad illas, patet, quia cum antea non exiſteret in illis, nunc verò in iis exiſtat per penetrationem & informationem; neceſſe eſt ut exiſtat in ſpatio earum, cum tamen non exiſteret antea in ejuſmodi ſpatio, ſaltem ſi partes accedentes augeant corpus: Non poteſt autem concipi quomodo res naturaliter occupet ſpatium quod antea non occupabat ſine motu, cum motus localis ſit actus quo res acquirit novum ubi aut novum ſpatium. Quòd verò anima rationalis moveatur per ſe ad partes accedentes ad vivens per nutritionem & accretionem probatur, quia illud dicitur per accidens aut per aliud moveri, quod movetur ad motum alterius, putà nauta in navi exiſtens qui movetur ad motum navis, & anima in brachio exiſtens quæ movetur ad motum brachii; illud verò dicitur moveri per ſe quod movetur vi propria & non ad motum alterius: Sed anima rationalis quæ movetur ad partes de novo accedentes ad vivens per nutritionem & accretionem, non movetur ad eas cum corpore aut parte corporis, alioquin una pars corporis penetraret aliam ſimul cum anima, quod eſt impoſſibile: Ergo anima rationalis movetur ad eas, non ad motum alterius, ſed per ſe; quod eſſe abſurdum in doctrina communi & Peripatetica patet ex Ariſtotele lib. 1. de anima, cap. 3. his verbis: *Quod igitur impoſſibile ſit animam moveri manifeſtum eſt ex ſuprà dictis; ſi autem penitùs non moveatur, clarum eſt per ſeipſam non moveri.*

57. Quartum argumentum ſic formatur: Brachio amputato, vel anima rationalis quæ antea erat in brachio perit, vel non: Si perit, ſequetur animam rationalem non eſſe immortalem, quod falſum eſſe ſuprà demonſtravimus: Si non perit, vel manet in brachio amputato, vel non: Si manet ſequetur animam rationalem dividi à ſeipſa; ſicut enim brachium amputatum eſt diviſum à cæteris partibus corporis: Sic anima rationalis remanens in brachio amputato erit diviſa à ſeipſa exiſtente in reliquis partibus corporis; & abſurdum eſt animam rationalem manere in brachio putreſcente in ſepulchro, aut in pulverem per putrefactionem, aut in cineres per combuſtionem redacto: Si non manet in brachio amputato, vel manet ubi antea erat brachium vel non: Si manet ubi erat brachium amputatum, ſequetur animam rationalem eſſe extra corpus, ſcilicet ubi antea erat brachium nihil informando, & eſſe in corpore ſeu in reliquis partibus corporis eas informando, quod eſt abſurdum; & cum ubicumque ſit anima, ſint etiam omnia quæ ſunt in ipſa, putà ſcientiæ, ſequetur ſcientiam

hominis esse extra corpus quod est ridiculum: Si non manet ubi anteà erat brachium amputatum, vel migrat aliò, vel non; si migrat aliò, vel migrat in reliquas partes corporis, vel in aliquem alium locum, putà in Paradisum aut inferos: Si migrat in reliquas partes corporis; sequetur eam migrare ubi jam est, quod est ridiculum & superfluum; adde quòd sanguis, qui creditur esse vehiculum animæ, non revertitur in corpus: Si verò migrat in alium locum, putà in Paradisum aut inferos, sequetur animam rationalem esse divisam à seipsa, quod enim est in cœlo est divisum ab eo quod est in terra, nisi sit in spatio intermedio; & sequetur eandem animam videre Deum scilicet in Paradiso, & non videre Deum sc. in corpore, &c. si non migrat aliò, primò concipi non potest quomodo eadem res alicubi existens, nec pereat, nec aliò migret, nec tamen ibidem existat. Secundò, sequetur animam minùs spatium occupare quàm antea, siquidem non ampliùs est ubi erat brachium; atque adeo sequetur animam ad minus spatium se contraxisse, & per consequens condensatam fuisse; tunc enim res dicitur condensari quando sine diminutione sui minus spatium occupat quàm anteà; tantùm autem abest ut condensatio reperiatur in rebus spiritualibus, ut in rebus corporeis sit impossibilis, sicuti demonstratum est in physicis dum de materia & forma. Quare cum brachio amputato, nec anima rationalis pereat, nec migret aliò, nec sit in brachio amputato, nec ubi erat brachium amputatum, concludimus animam rationalem nunquam fuisse in brachio, atque adeo non esse in qualibet parte corporis.

58. Quintum argumentum petitur ex eo quòd sint tres animæ in homine, sc. vegetativa exercens vegetationes putà nutritionem, sensitiva exercens sensationes, putà imaginationem, appetitionem, progressionem, visionem, auditionem, &c. & rationalis seu intellectiva exercens intellectiones, ratiocinationes & volitiones: Inde enim sequitur animam rationalem non esse in omnibus partibus corporis; frustra enim poneretur in illis otiosa & nihil operatura, cum Deus & natura nihil faciant frustra. *Tres autem animas esse in homine* sic probatur.

59. Primò, in generatione hominis plures animæ producuntur adeo ut Embryo priùs habeat animam vegetativam, posteà recipiat sensitivam sine destructione vegetativæ, ac tandem recipiat intellectivam seu rationalem sine destructione vegetativæ & sensitivæ. Id clarè ostendit Aristot. lib. 2. de gener. animal. c. 3. his verbis: *Animam vegetantem in fœtu primùm recipi necesse est; posteà sensitivam; quâ animal est, non enim simul fit animal & homo, nec animal & equus, eademque in cæteris animalibus ratio est; ultimus enim fit finis qui est proprius uniuscujusque*: Vbi per finem Aristoteles intelligit formam propriam cujuslibet speciei, qualis est anima rationalis, forma specifica equi, &c.

60. Idem demonstratur ratione hoc pactò: Vbi deprehenduntur operationes vitæ, ibi est anima: Sed in generatione hominis, fœtus exercet operationes vitæ antequam recipiat animam rationalem, siquidem anima ratio-

rationalis non infunditur à Deo, ut volunt Adversarii, nisi corpore perfectè organisato, quæ organisatio in mare 40. diebus aut circiter, in fœmina verò tardiùs perficitur; sed ante istud tempus deprehenduntur operationes vitæ in fœtu. Nam, ut docent Medici, fœtus humanus ante infusionem animæ rationalis in ipsum, nutritur & augetur modo vitali; sugit enim sanguinem per venam umbilicalem, qui intus susceptus in omnes partes distribuitur: Experientiâ etiam comprobatum est; si fœtus ante prædictum tempus pungatur, contractione dolorem & sensum prodere: Vnde Fernelius lib. 1. de productione hominis c. 10. notat tunc fœtum vivere cum hepar solum est formatum cum venis quibusdam quæ sunt instrumenta nutritionis; non tamen sentire, quia tunc si pungatur nullo motu signum doloris ostendit, quod posteà facit formato corde cum arteriis & cerebro cum nervis.

61. Idipsum etiam probatur hoc modo: Existentibus in materia dispositionibus proximis alicujus formæ, illa forma statim introducitur, ut fatentur omnes Adversarii: At certum est existere priùs in materia fœtus dispositiones proximas animæ vegetativæ quàm sensitivæ & sensitivæ quàm rationalis, cum enim anima vegetans & sentiens sint imperfectiores anima rationali multò pauciores requirunt dispositiones, atque adeo priùs introducuntur in materiam quam anima rationalis: quoniam autem adventu animæ sentientis non pereunt dispositiones & qualitates propriæ animæ vegetantis, & adventu animæ rationalis non pereunt dispositiones & qualitates propriæ animæ sentientis & vegetantis; clarum est tres illas animas simul existere in homine.

62. Secundò, non tantùm homo eminenter & virtualiter, sed etiam actu & formaliter est vegetativus & sensitivus, cum actu & formaliter sit vivens & animal: Sed homo non est actu & formaliter vegetativus & sensitivus per animam rationalem, quæ cum sit immaterialis & spiritualis non potest exercere operationes materiales & corporeas, quales sunt vegetationes & sensationes; quod clarè ostendit Aristoteles lib. 2. de gener. animal. c. 3. his verbis: *Quorum principiorum actio & efficacia est corporea, hæc sine corpore esse non posse certum est, verbi gratiâ ambulare sine pedibus; itaque extrinsecùs ea venire impossibile est; nec enim ipsa per se accedere possunt, cum inseparabilia sint; neque cum corpore accedere possunt, semen enim excrementum alimenti mutati est: Restat igitur ut mens sola extrinsecùs accedat, eaque sola divina sit, nihil enim cum ejus actione communicat actio corporea.* Et revera cum actiones animæ vegetantis fiant sine cognitione certè non opus est anima intellectiva aut cognoscitiva ad eas exercendas, non potest enim concipi, quomodo anima intellectiva & volitiva nec intelligat nec velit quod facit? quomodo nutriat inscia in omnibus? quomodo generet invita in fornicatoribus &c.

63. Tertiò, multitudini animarum favet continua illa quam in nobis experimur pugna sensus cum ratione, quâ fit ut ratione refragante sequamur id quod sensui est jucundum juxta illud Medeæ. *Video meliora pro-*

bóque deteriora sequor: Et hoc argumento utitur Galenus ad probandum aliam esse animam quâ sentimus, & aliam quâ intelligimus. Huic etiam favet quòd si afficiatur cerebrum malis vaporibus subitò turbetur ratio, quod non contingit reliquis corporis partibus etiam acutissimo dolore perculsis.

64. Quartò, spiritus insitus, qui ab aliis dicitur calidum innatum, à spiritu seu calore influente adjutus est sufficiens principium primum vegetationum & sensationum, frustra enim & sine necessitate aliquid aliud poneretur: Ergo ejusmodi spiritus insitus est verè anima vegetans aut sentiens; cum anima vegetans sit principium quo primò vivimus, & anima sentiens sit principium quo primò sentimus: At præter ejusmodi spiritum vegetativum aut sensitivum ex puriori parte sanguinis genitum, datur alius spiritus à Deo creatus & in corpus infusus, qui dicitur anima rationalis, ut suprà probatum est dum de immortalitate ejus: Ergo dantur plures animæ in homine.

65. Hæc sunt præcipua argumenta quibus probatur animam rationalem non esse totam in toto, nec totam in qualibet parte corporis: Iam videndum est *in qua parte corporis existat. Duæ* autem sunt *Philosophorum sententiæ* hac de re; *Prima* est eorum qui eam collocant in corde aut in toto pectore: *Secunda* verò est eorum qui eam collocant in corporis arce, scilicet in capite aut cerebro. *Galenus* lib. de plac. *Hippocrates* & *Plato* passim constituerunt animam rationalem in capite aut cerebro: *Aristoteles* l. 4. de part. animal. cap. 4. & lib. 1. de anima, cap. ult. cum *Stoïcis* posuit eam in corde: *Empedocles* verò, *Parmenides*, *Democritus*, & *alii*, sedem animæ rationalis dixerunt esse cor & totum pectus.

66. *Aristoteles* loco citato probat animam rationalem sedem suam habere in corde ex metu & lætitia quæ in eo excitantur: Idque *Alexander* ejus Interpres confirmat his verbis; *Quoniam ista fiunt ubi est appetitus, ibi appetimus ubi assentimur, ibi assentimur ubi opinamur, ubi intelligimus, ubi scimus* hæcque sententia videtur esse conformis sacris literis; in quibus admonemur præbere ad amandum Deum, non caput aut jecur, sed cor; ac Deum diligere, non ex toto capite aut jecore, sed ex toto corde jubemur; & ab iisdem sacris literis cogitationes prodire ex corde, non ex capite aut cerebro perhibentur; & ut nullam cogitationem latere Deum declarent, dicunt Deum esse, non capitis aut cerebri, sed cordium scrutatorem.

64. Attamen utcunque possit hæc opinio probabiliter defendi, *ego existimo veram sedem animæ rationalis esse solum caput aut cerebrum:* Tum quia experior animam meam cogitare, intelligere & ratiocinari in capite non in corde, & miror Adversarios idipsum non expertos fuisse: Tum quia nervi omnes qui sensationum arbitrium deferre intellectui valent, ad cerebrum non ad cor pertingunt. Quare *ad id quod affertur ex sacris literis,* respondetur *cor* in iis sumi pro interiori, sicut cor terræ sumitur in iisdem pro parte interiori ejus; adde quòd cor possit dici causa cogitationum non physica & proxima, sed moralis & remota, quatenus scilicet cor est causa

causa passionum, juxta quarum diversitatem variæ exoriuntur in mente cogitationes.

DE FACULTATIBUS ANIMÆ Rationalis.

68. *Facultates seu potentiæ animæ rationalis duæ sunt præcipuæ*, scilicet Intellectus & voluntas. *Intellectus* est facultas animæ rationalis cujuslibet entis perceptiva. *Voluntas* verò est facultas animæ rationalis appetitiva boni, & repudiativa mali ab intellectu propositi; uno verbo est appetitus rationalis. De libertate voluntatis, & quomodo determinetur ab intellectu, nec non de habitibus voluntatis, scilicet de virtutibus & vitiis, eorumque actibus, fusè agitur in Ethicis. Ideo de Intellectu tantùm jam agemus.

69. *Intellectus vulgò duplex*, scilicet agens & patiens seu possibilis. *Intellectus agens* vulgò dicitur ille qui determinante phantasmate aut imaginatione producit speciem impressam objecti in intellectu patiente: *Intellectus* verò *patiens* vulgò dicitur ille qui mediante specie impressâ producit in seipso speciem expressam ejusdem objecti, quæ species expressa dicitur verbum mentis. *Ego existimo unum tantùm esse intellectum realiter*, qui pro diverso munere duplex nomen sortitur; quatenus enim producit cognitionem seu speciem objecti dicitur agens, quatenus verò eam recipit dicitur patiens: Cognitio autem, species expressa, & verbum mentis, sunt unum & idem, & oritur ex pulsatione nervorum cerebri, vel excitatur ab illa.

70. *Objectum Intellectus in genere* est quodlibet ens sive corporeum sive spirituale, sive naturale sive supernaturale: *Specialiter* autem *duplex* distinguitur; unum scilicet *motivum & terminativum simul*; alterum verò *terminativum tantùm*: *Illud* movet Intellectum per propriam speciem, si non in intellectu, saltem in sensu interno productam: *Hoc* verò, licet non moveat, cognoscitur tamen ab intellectu, vel per alienam speciem, vel per objecti phantasma excitato.

71. *In præsenti statu, quatenus scilicet anima est unita corpori, solum singulare per se sensibile est objectum Intellectus motivum & terminativum simul*, quia solum ens singulare per se sensibile, per propriam speciem in sensu productam excitat Intellectum ad cognitionem ipsius, non enim aliter in hac vita Intellectus noster excitatur ad objectum aliquod cognoscendum quàm per sensum, juxta illud, *nihil est in Intellectu quod prius non fuerit in sensu*, nihil autem excitat sensum per propriam speciem, nisi ens singulare per se sensibile. *Objectum Intellectus terminativum tantùm comprehendit omne ens præter singulare per se sensibile*, putà res spirituales, univer-

universales &c. quæ non movent Intellectum per se seu per propriam speciem, sed per alienam; quatenus scilicet Intellectus per discursum suppositâ rerum sensibilium cognitione ad insensibilia assurgit.

72. *Priùs cognoscuntur accidentia quàm substantiæ*; quia substantiæ cognoscuntur per accidentia; & ego cognosco hîc existere substantiam, quia cognosco hîc existere accidens, & infero existentiam substantiæ ex existentia accidentis hoc pacto; accidens non potest esse sine substantia; at hîc est accidens; ergo hîc est substantia.

73. Rursus, *priùs cognoscuntur principia aliqua universalissima*, putà quodlibet est vel non est, totum est majus sunt parte &c. *quàm illorum singularia*; quia ejusmodi principia sunt per se nota, & sola apprehensione terminorum cognoscuntur; ergo eorum cognitio non dependet à præsuppositâ cognitione singularium; atque adeo cognitio singularium quæ sub illis continentur, non est prior cognitione ipsorum. De cognitione rei universalis & rei singularis, actum est in logicis dum de universalibus.

74. *Potest Intellectus habere simul plures actus quibus objecta diversa percipiat*; cùm enim quis loquitur, putà cùm orat, sæpissimè de alio cogitat; non potest autem loqui quin cogitet de re de qua loquitur, cum locutiones seu voces prolatæ sint imagines conceptuum; cogitat igitur de re de qua loquitur, & cogitat de alia re; ergo simul cogitat de pluribus diversis; non nego, tamen tunc unam rem distinctiùs concipi quàm alteram.

75. *Intellectus non potest per eundem actum cognoscere diversa objecta materialia, potissimùm si unum cognoscatur ex motivo fidei divinæ, & alterum ex motivo fidei humanæ aut opinionis.* Primò, quia cū actus intellectus sit cognitio repræsentatio & imago objecti, & una imago non possit repræsentare nisi unam rem, certè per unum actum non potest percipi nisi unum objectum.

76. Secundò, quia inde sequetur eundem actum esse verum & falsum, quia poterit esse conformis uni objecto, & difformis alteri; imò sequetur actum fidei divinæ posse esse falsum, quod est absurdum: Nam si per eundem actum assentior Deo dicenti verbum esse incarnatum, & homini dicenti se interfuisse concioni cum tamen non interfuerit; actus fidei erit falsus cum identificetur cum actu falso: In actu enim ejusmodi per eandem entitatem affirmatur verbum esse incarnatum, & hunc hominem interfuisse concioni; at hoc secundum objectum non ita se habet sicut repræsentatur; ergo totus actus est falsus: Consequentia patet ex eo quòd quoties per aliquem actum plura affirmantur, ex defectu unius non existentis eodem modo quo repræsentatur per actum, totus actus evadit falsus; sicuti quomodo dico, *omnes homines currunt*, ex eo præcisè quòd unus non currat, actus totus est falsus; & non dicimus esse verum quatenus est conformis cum currentibus, & falsum quatenus est difformis non currenti: Ergo pariter actus ille qui duo respicit objecta, per eundem indivisibilem respectum ex parte actus, licèt per diversa motiva ex parte objecti, absolutè erit falsus, ex eo quod non sit conformis cum altero illorum: Ergo actus fidei divinæ erit falsus, quod est absurdum.

77. Tertiò,

77. Tertiò, actus fidei debet esse obscurus, & actus scientiæ debet esse clarus, at idem actus non potest esse simul clarus & obscurus; ergo idem actus non potest esse actus fidei & scientiæ. Item, actus fidei est liber, & indiget affectu credulitatis, & actus scientiæ ex præmissis evidentibus est necessarius: At idem actus non potest esse liber & necessarius: Ergo non potest esset actus fidei & scientiæ. Denique motivum fidei & motivum scientiæ seorsim specificant actus specie diversos: Ergo non possunt simul conjungi ad specificandum eundem numero actum: Nam ex duabus speciebus non potest tertia resultare; Ergo ex actibus provenientibus à diversarum specierum specificativis, non potest resultare actus unius tertiæ speciei seu idem numero actus habens utramque rationem specificam, sicut idem numero Individuum non potest esse homo & equus.

78. *Intellectio fit hoc pacto:* Objectum vel per se vel per aliud ferit nervum sensorium, quæ feririo communicata cerebro producit in phantasia imaginationem seu productionem phantasmatis, in intellectu verò intellectionem seu productionem verbi; adeo ut phantasia & intellectus videantur se habere merè passivè, objectum verò feriens merè activè; probabilius tamen est phantasiam & intellectum concurrere etiam partialiter activè, Phantasiam quidem ad productionem phantasmatis, Intellectum verò ad productionem verbi.

79. Cæterùm *Intellectio & verbum identificantur*, quod probatur primò ex Aristotele lib.9. Metaph. c.2. tex.11. & clariùs c.4. tex.16. ubi vitales operationes vocat visum, asseritque omni termino carere, & differentiam adducit inter ædificationem & visionem, quòd in ædificatione præter ipsam actionem ædificandi detur ædificium seu domus ædificata tanquam ædificationis terminus, in visione verò præter ipsam actionem nullus alius terminus reperiatur ex vi actionis productus, quod rursus explicat dicens, actiones quarum terminus est distinctus transeuntes esse, illas verò quæ terminum distinctum non habent esse immanentes, putà visionem, speculationem, & actionem vitalem. Ratio petitur ex eo quòd intellectio sit quædam repræsentatio & imago objecti, non emortua sicut imago Regis in tabula, sed viva, tanquam perceptio seu apprehensio objecti atque adeo est imago importans actionem quæ est apprehensio & proprium vitæ exercitium. Id etiam clarè patet in amore qui est actio sine termino.

80. *Tres sunt intellectiones seu operationes mentis in genere. Prima* est *apprehensio*, quâ intellectus objectum percipit nihil affirmando aut negando de ipso; *estque duplex* simplex & composita; *simplex* est quâ objectum percipitur sine ulla convenientia aut comparatione, ut apprehensio seu cognitio ignis; *composita* verò quâ objectum percipitur cum aliqua convenientia aut comparatione, putà quando audio propositionem aliquam proferri ab alio, & illius objecto assensum non præbeo, neque positivè dissensum tribuo, sed suspenso judicio hæreo, tunc totam compositionem & convenientiam extremorum apprehendo & nihil judico; ergo circa objectum de quo alius judicat habeo tantùm apprehensionem; atque

adeo apprehensio & judicium non semper differunt ex parte objecti, sed tantùm ex modo tendendi in illud.

81. *Secunda mentis operatio* est *judicium affirmativum vel negativum*, seu *affirmatio & negatio:* Tale autem judicium non est propriè compositum ex pluribus partibus, sed est simplex entitas, ut patet ex ordine quem servat intellectus noster in ferendo judicio de enunciatione objectiva; verbi gratiâ, si ferendum sit judicium de hac enunciatione homo est animal, Intellectus primò apprehendit hominem, secundò animal, tertiò conjunctionem aut identitatem utriusque, nondum tamen aliquid affirmando aut negando, sed tantùm per modum apprehensionis seu repræsentationis; quibus sic apprehensis, Intellectus unico simplici actu qui fertur in copulam, vel illam affirmat judicio affirmativo, vel illam destruit aut rejicit judicio negativo, pronunciando quasi sententiam, & dicendo *est* vel *non est:* Licet autem enunciatio judicativa, formaliter & entitativè sumpta, non sit composita ex multis partibus, sed sit unus simplex actus intellectus, & una simplex entitas; attamen dici potest composita præsuppositivè, quia præsupponit ordinariè conceptus subjecti & prædicati, vel subjecti & negati.

82. *Tertia mentis operatio* vulgò dicitur *discursus*, sed propriè est *judicium consequentis prout illatum ex judicio antecedentis:* Quomodo autem distinguatur à discursu, & quid sit judicium antecedentis, consequentis, & consequentiæ; & quomodo judicium antecedentis sit causa & non causa judicii consequentis; & quomodo judicium consequentis sequatur necessariò ex judicio antecedentis; & quomodo consequentia distinguatur à discursu, & alia similia; sufficienter explicata sunt in logicis dum de argumentatione.

83. *Cognitio intuitiva prout opponitur discursivæ, dicitur cognitio simultanea rerum*, & sic Deus cognoscit omnia intuitivè, quia simul cognoscit omnia: *Cognitio verò discursiva* dicitur cognitio unius orta ex cognitione alterius, ut cum ex combustione ligni ab igne cognosco ignem esse calidum: Propriè autem & ordinariè semel homo cognoscit res discursivè, quia prima vice tantùm cognoscit ordinariè unum per aliud, postea verò cognoscens unum & aliud non discurrit, nisi per discurrere intelligas rationem reddere.

84. *Cognitio intuitiva prout opponitur abstractivæ* est quâ objectum videtur in se, & *abstractiva* quâ videtur in alio: Illud autem *in alio*, non de quocunque objecto priùs cognito intelligitur, sed de objecto instar cujus aliud cognoscitur; & juxta hanc explicationem *visio intuitiva* est quâ non attingitur objectum instar alius objecti à se distincti; *visio verò* abstractiva est quâ objectum instar alterius à se distincti cognoscitur: Illud autem dicitur instar aliùs rei cognosci quod apprehenditur quasi illi simile, vel indutum accidentibus illius instar cujus dicitur cognosci, ut cum tenebras instar nigredinis apprehendimus: Inde fit ut omnia objecta quorum proprias species non habemus, abstractivè à nobis cognosci dicantur. Alii volunt

volunt cognitionem intuitivam dici eam quæ attingit omnes formalitates objecti nulla præcisione facta inter ea quæ sunt idem realiter intrinsecè: Abstractivam verò esse eam quâ præscinditur unum prædicatum ab alio, vel una formalitas ab alia secundum varia connotata extrinseca; de qua fusè in logicis dum de universalibus. Denique, alii volunt cognitionem intuitivam esse eam quâ objectum attingitur per proprias species; abstractivam verò per alienas.

85. *Cognitio comprehensiva* est quâ objectum cognoscitur inquantum cognoscibile est, atque adeo est cognitio perfectissima rei, idest omnium quæ sunt in re formaliter saltem: Et sic Deus est incomprehensibilis à creatura, cum non possit expressè cognoscere actum Dei quo cognoscit omnia creata & creabilia, alias cognosceret suam cognitionem expressè, & eadem cognitio esset cognitio expressa sui ipsius.

DE IDENTITATE INTELLECTVS & voluntatis inter se, & cum Anima Rationali.

87. IDentitatem realem intellectus & voluntatis inter se & cum anima rationali, probamus his argumentis. Primum argumentum sic procedit. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate: Deus enim & natura nihil frustra. At nulla est necessitas multiplicandi aut distinguendi intellectum & voluntatem inter se, aut ab anima rationali; sed una & eadem entitas quatenus est forma hominis aut corporis humani, dicitur anima humana; quatenus cognoscit, intelligit & judicat de bonitate rerum, dicitur intellectus, quatenus verò res cognitas ut bonas amat dicitur voluntas.

88. Secundum argumentum sic procedit: Facultas cognoscendi seu intelligendi est Intellectus: Sed voluntas est facultas cognoscendi seu intelligendi: Siquidem non potest amari bonum nisi priùs cognoscatur; cum objectum priùs sit cognoscendum quàm amandum, & nihil volitum quin præcognitum: At voluntas amat & vult bonum: Oportet igitur ut ipsum cognoscat: Sicut enim stultum esset monstrare colores cæco; quia cum sit privatus visu eos cernere non potest: Ita quoque ridiculum esset monstrare bonum voluntati, si voluntas sit potentia cæca, & non sit capax boni cognoscendi, ut volunt Adversarii.

89. Nec dici potest sufficere cognitionem intellectus, ut voluntas ab eo distincta se determinet ad amandum: Nam principium se determinans ad amorem indiget prævia cognitione existente in ipso principio, ut cognoscat objectum circa quod debet se determinare; sine qua cognitione remanet cæcum, & in objectum movere se non potest. Et sicut res non est alba per albedinem alterius, sed per propriam & sibi inhærentem; Et homo non potest videre per visionem alterius, sed per propriam & sibi

inhærentem: Ita voluntas non poteſt cognoſcere per cognitionem alterius, putà intellectus diſtincti, ſed tantùm per propriam & ſibi inhærentem, quandoquidem principium non poteſt cæcitatem amittere niſi per viſum, ſibi proprium, nec poteſt videre niſi per viſionem ſibi propriam: Sicut enim non prodeſt mihi Petrum videre objectum, ut ego illud non videns poſſim in illud tendere motu progreſſivo, & ipſum manu apprehendere: Ita non prodeſt voluntati viſio ſeu cognitio exiſtens in alio ſubjecto, ſcilicet in intellectu à voluntate diſtincto.

90. Tertium argumentum eſt ejuſmodi: Vel cognitio boni eſt in anima, aut non. Si priùs, ſequitur animam per talem cognitionem ſibi inhærentem cognoſcere bonum, nec alio à ſe diſtincto indigere ut ipſum cognoſcat: Et cum nulla alia res cognoſcat bonum præter intellectum; evidens eſt intellectum nihil aliud eſſe quàm animam conſideratam ut cognoſcentem, ſiquidem ſuperfluum & ridiculum eſſet ponere duas cognitiones unam ſcilicet in anima, & alteram in intellectu. Si poſterius, id eſt ſi cognitio non ſit in anima, nec inhæreat ipſi; ſequitur animam non cognoſcere; cum una res non cognoſcat per cognitionem alterius; ſed per ſibi propriam & inhærentem, ut dictum eſt ſuprà.

91. Similiter, vel amor boni eſt in anima, aut non. Si prius, ſequitur animam per talem amorem ſibi inhærentem amare bonum, nec alio à ſe diſtincto indigere ut ipſum amet. Et cum nulla alia res amet bonum præter voluntatem; manifeſtum eſt voluntatem nihil aliud eſſe quàm animam conſideratam ut amantem: Siquidem ſuperfluum eſſet ponere duos amores, unum in anima, & alterum in voluntate. Si poſterius, id eſt ſi amor non ſit in anima, nec inhæreat ipſi, ſequitur animam non amare, cum una res non amet per amorem alterius, ſed per ſibi proprium & inhærentem. Ex quibus patet intellectum & voluntatem non eſſe duas facultates aut entitates realiter intrinſecè diſtinctas, ſed eſſe unam & eandem entitatem, ſcilicet animam ipſam, juxta axioma indubitatum, *quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe.*

92. Quartum argumentum tale eſt. Res omnes realiter diſtinctæ poſſunt realiter ſeparari, & in ſeparatis locis exiſtere, ſaltem divinitus, ut volunt Adverſarii; qui ideo ſtatuunt accidentia panis & vini poſt conſecrationem exiſtere ſine eorum ſubſtantia, quia ſunt res diſtinctæ ab ipſa: quòd ſi quædam accidentia non poſſint exiſtere ſine ſubjecto, non ſunt (ut ajunt) res, ſed modi rerum, ut figura, actio, &c. Sed anima, intellectus & voluntas, neque poſſunt ſeparari, neque in locis ſeparatis exiſtere, putà anima in media Aſia, intellectus in media Europa, & voluntas in media Africa: quoniam eo caſu anima non poſſet ratiocinari, nec cognoſcere res, nec de earum bonitate judicare, nec amare bonum, nec odiſſe malum, nec ullam ejuſmodi actionem exercere; ſiquidem eſſet deſtituta & magno intervallo ſeparata à ſuis potentiis ſeu facultatibus: Intellectus verò poſſet ratiocinari & judicare de bonitate & malitia rerum: Et voluntas poſſet amare bonum & odiſſe malum; cum intellectus & voluntas ſint ipſæmet

met potentiæ judicandi & amandi: Et ſicut ſecundùm Adverſarios accidentia panis & vini conſecrati ſine ſubjecto exiſtentia, poſſunt agere & realiter agunt, ut patet experientiâ; [illegible]ectus & voluntas ſine anima exiſtentia poſſent operari ſine illa.

93. Inde autem ſequentur hæc abſurda. 1. Intellectus & voluntas, quæ ſecundum Adverſarios ſunt tantùm accidentia, erunt nobiliora & perfectiora quàm anima quæ eſt vera ſubſtantia; ſiquidem activa ſunt nobiliora & perfectiora non activis. 2. Cum anima in eo ſtatu non poſſit ratiocinari, deſinet eſſe rationalis, & deſinet eſſe anima humana; ſiquidem ratio eſt differentia eſſentialis animæ humanæ. 3. Si intellectus ſemper judicet Deum eſſe amandum, & voluntas propter diſtantiam ab intellectu ignorans quid intellectus judicaverit, & retinens ſuam libertatem indifferentiæ, ut volunt Adverſarii, ſeipſam determinet ad non amandum Deum, ſequetur intellectum ſemper bene operantem fore in Paradiſo voluntatem ſemper malè operantem fore in inferis; & animam neque bene neque malè operantem neque fore in Paradiſo, neque in inferis; quæ omnia ſunt abſurda.

94. Quintum argumentum ſic ſe habet: Anima hominis agit immediate & per ſeipſam ſeu per propriam entitatem, non autem per aliud ab ipſa diſtinctum: Sed anima hominis agit per intellectum & voluntatem: Ergo intellectus & voluntas nihil aliud ſunt quàm ipſa entitas animæ; atque adeo non ſunt facultates realiter diſtinctæ ab ipſa nec inter ſe. Major probatur, ſcilicet animam agere immediatè: Quia ſi anima eſſet tantùm cauſa mediata ſuarum operationum, non eſſet vera cauſa earum, ſed tantùm per accidens; quod ſic demonſtratur.

95. Vera cauſa definitur ab ipſis Adverſariis, principium per ſe influens eſſe in aliud: Et cauſa per ſe dicitur ea à qua ut tali procedit effectus, adeo ut ſine ea effectus non produceretur; ſic Architectus eſt cauſa per ſe domus; quia domus pendet ab Architecto ut architecto; adeo ut ſine eo non conſtrueretur: Cauſa verò per accidens dicitur ea à qua ut tali non procedit effectus adeo ut ea abſente effectus non minùs produceretur; ſic Muſicus eſt cauſa per accidens domus; quia domus non pendet à muſico ut muſico, ſed ut architecto adeo ut licèt conſtruens domum non eſſet muſicus, non minùs domum conſtrueret. Sed cauſa remota & mediata non communicat per ſe eſſe effectui; cum ſæpius non exiſtat quando effectus producitur, ut avus reſpectu nepotis; non entis autem nullæ affectiones aut effectiones. Rurſus, effectus non pendet à cauſa mediata ut tali, & ea abſente effectus non minùs produceretur. Verbi gratiâ paries emittens ſpeciem ſui in oculum, excitat & movet viſum non per ſe & quatenus paries, ſed per accidens quatenus coloratus & illuminatus; adeo ut deſtructo pariete, ſed eodem colore remanente (quod non eſt impoſſibile ſecundum Adverſarios) idem effectus non minùs produceretur: Et aqua fervens calefacit & urit non per ſe & quatenus aqua, ſed per accidens quatenus calida; adeo ut deſtructa aqua, ſed eodem calore re-

manente [quod fieri posse divinitus volunt Adversarii] idem effectus non minùs produceretur. Ergo si anima hominis sit tantùm causa mediata suarum operationum, scilicet ratiocinationis & amoris, nec cognoscet nec amabit per se & quatenus anima humana, sed per accidens quatenus intellectu & voluntate ornata, adeò ut annihilatâ animâ humanâ, sed remanentibus intellectu & voluntate [quod fieri posse volunt Adversarii] eædem actiones cognoscendi & amandi non minùs exercerentur; At anima humana nec ratiocinatur, nec judicat, nec amat per accidens, sed per se & ex natura sua, ut omnes fatentur. Ergo non potest esse causa mediata actionum ratiocinandi intelligendi aut amandi, sed eas exercet immediatè per se & per propriam entitatem: Cum autem eas exerceat per intellectum & voluntatem, evidens est intellectum & voluntatem esse ipsam animam aut entitatem animæ.

96. His adde ex doctrina Adversariorum, quòd sicut materiæ est pati, sic formæ est agere; adeo ut eo modo quo passio seu receptio convenit materiæ, eodem modo actio convenit formæ: Sed secundum Adversarios materia recipit immediatè, non autem per aliquam potentiam realiter ab ipsa distinctam, ut fusè probant Conimbricenses lib. 1. Phys. cap 9. quæst. 3. Hurtadus de Mendosa disp. 2. phys. sect. 4. Rodericus de Arriaga disp. 2. phys. sect. 3. Thomas in 1. sent. disp. 3. quæst. 4. art. 1. &c. Ergo forma agit immediatè & per seipsam, non autem per potentias ab ipsa realiter distinctas. At anima humana est vera forma hominis: Ergo agit immediatè & per seipsam, & cum agat per intellectum & voluntatem, sequitur intellectum & voluntatem esse ipsam animam. Dixi secundum Adversarios. Nam quomodo de istis philosophandum sit demonstro disputatione contra existentiam formæ substantialis materialis.

97. Respondent Adversarii primò, quòd sicut Architectus est causa per se non per accidens domus; cum tamen non agat immediatè; eo quòd utatur malleo, trulla, & aliis instrumentis ad ædificationem domus; Et sicut ignis est causa per se non per accidens calefactionis, & aqua humectationis, cum tamen non agant immediatè, eo quòd ignis utatur calore, & aqua humiditate tanquam instrumentis naturalibus ad calefaciendum & humectandum: Ita etiam anima humana est causa per se non per accidens actionum ratiocinandi & amandi; cum tamen eas non exerceat immediatè; eo quòd utatur intellectu & voluntate tanquam instrumentis naturalibus ad eas exercendas.

98. Verùm contra dico primò, eodem quidem modo philosophandum esse de intellectu & voluntate respectu animæ humanæ, ac de calore & humiditate respectu ignis & aquæ; atque adeò sicut calor & humiditas sunt proprietates & potentiæ naturales ignis & aquæ; ita intellectus & voluntas sunt proprietates, potentiæ & facultates naturales animæ humanæ. Verùm sicut calor ignis non differt realiter ab ipso & humiditas aquæ non distinguitur realiter ab ipsa, ut fusè demonstravimus disputatione contra existentiam formæ substantialis materialis: Ita intellectus & voluntas non differunt realiter ab anima humana.

99. Dico secundò, magnam esse differentiam inter malleum, trullam & alia similia instrumenta Architecti ex una parte; & calorem ignis, humiditatem aquæ, intellectum & voluntatem hominis ex altera: Nam malleus, trulla, & alia similia, nihil agunt ex seipsis, sed tantùm mota ab Architecto; adeo ut sublato Architecto manerent prorsus otiosa: At intellectus & voluntas, calor & humiditas, ut volunt Adversarii, etiam sublatis subjectis possunt existere & operari. Quare alterutrum dicendum est, aut animam humanam nec intelligere nec amare nisi per accidens, ignem non calefacere, & aquam non humectare nisi per accidens, aut intellectum & voluntatem ab anima, calorem ab igne, humiditatem ab aqua realiter non distingui: cum autem prius sit absurdum, posterius verum esse necesse est.

100. Dico tertiò, quòd licet eodem modo philosophandum esset de anima respectu intellectus & voluntatis, sicut de architecto respectu mallei & trullæ; non tamen sequeretur animam humanam non esse immediatè operativam: Quia licèt architectus construeret domum mediatè, scilicet mediante malleo, trulla & aliis instrumentis; attamen ageret immediatè in instrumenta, & ea moveret ad operationem per se & per propriam entitatem: Similiter licèt anima cognosceret & amaret mediatè, scilicet mediante intellectu & voluntate; attamen anima ageret immediatè in ipsum intellectum & voluntatem, & utramque facultatem moveret ad operationem per se & per propriam entitatem; alioquin daretur progressus in infinitum.

101. Respondent & objiciunt Adversarii secundò, Deum solùm agere immediatè per se & per propriam entitatem; eo quòd sit simplicissimus, & omnis compositionis expers: At nullæ creaturæ agunt immediatè & per se, sed tantùm mediatè & per facultates aut potentias realiter distinctas & à Deo communicatas ad operandum: eo quòd creaturæ omnes sint compositæ, vel ex essentia & existentia, vel ex genere & differentia, vel ex natura & supposito, vel ex materia & forma, vel ex partibus integrantibus, vel ex subjecto & accidentibus.

102. Verùm contra dico primò, compositiones ex essentia & existentia, ex genere & differentia, non esse reales intrinsecè, sed tantùm per intellectum eandem rem variis modis & secundum diversa connotata extrinseca cognoscentem; nam compositiones reales supponunt membra realiter distincta: At essentia & existentia, genus & differentia in eodem non distinguuntur realiter intrinsecè, ut demonstravi disputatione de universali in communi. Adde quòd Deus habet essentiam & existentiam quæ sunt idem realiter, ut omnes fatentur: Habet etiam genus & differentiam; cum possit definiri ens à se à quo omnia, vel substantia rerum omnium creatrix, vel spiritus infinitus.

103. Dico secundò, compositionem ex natura & supposito, secundum communem Theologorum sententiam reperiri in Deo: cum in Trinitate

sit

sit una numero natura divina & tres personæ realiter distinctæ. Licet igitur talis compositio reperiretur in creaturis, non impediret immediatam ejus operationem. Adde quòd Anonymus quidam disputatione de supposito evidentissimè demonstravit, in creaturis naturam & suppositum non differre per aliquam differentiam realem & positivam, & suppositum superaddere tantùm naturæ substantiali singulari creatæ negationem compositionis & adjunctionis.

104. Dico tertiò, quòd licèt multæ creaturæ sint compositæ ex materia & forma, necnon ex partibus integrantibus, quæ compositiones in Deo non reperiuntur: Attamen multò etiam sunt creaturæ quæ carent ejusmodi compositionibus, ut angeli & animæ humanæ; necnon atomi elementares, quæ cum sint indivisibiles non habent partes, & cum sint materia prima, ut probavi disputatione de quantitate, non possunt componi ex materia & forma.

105. Dico quartò, compositionem ex substantia & accidentibus realiter ab ipsa distinctis, non reperiri quidem in Deo, & reperiri in quibusdam creaturis: At compositio ex substantia & facultatibus seu potentiis naturalibus ab ipsa realiter distinctis, nec in Deo, nec in creatura reperitur. Nam sicut Deus creavit omnia per potentiam & virtutem suam, disposuit verò & gubernat ipsas per sapientiam, adeo ut potentia & sapientia non sint realiter distinctæ à Divinitate; sed varios de iis formamus conceptus in ordine ad diversas operationes: Ita etiam Angeli & animæ humanæ cognoscunt judicant aut ratiocinantur per intellectum, amant & odio habent per voluntatem, ignis comburit per calorem, aqua humectat per humiditatem; adeò ut intellectus & voluntas, calor & humiditas non sint potentiæ realiter distinctæ à suis subjectis, sed varios de iis formamus conceptus in ordine ad diversas operationes, aut alia connotata extrinseca realiter distincta.

106. Ex superioribus colligitur *animam rationalem esse substantiam spiritualem & immortalem, non ex traduce, sed à Deo immediatè creatam, ut sit principium ratiocinationis perfectæ.*

FINIS PHYSICÆ.

INDEX EORVM,

QVÆ IN HAC QVARTA PARTE Philoſophiæ Contractæ continentur.

INDEX RERVM,

In Diſputatione de Libertate contentarum.

ETHICA CONTRACTA;

PROOEMIUM ETHICÆ.

Hoc Procemio nomen, definitio, objectum, causæ, & divisio Ethicæ explicantur.

Nomen Ethicæ derivatur à græco ἦθος quod significat *mores*, eo quòd de moribus tractet: unde Ethica dicitur Philosophia moralis: per mores autem intelligimus, non consuetudines alicujus regionis, sed actiones humanas.

Ethica definitur *Habitus directivus operationum voluntatis ad bonum honestum*: quia tradit præcepta, quibus dirigitur voluntas in suis operationibus honestè exercendis. Per *directionem actionum voluntatis* distinguitur Ethica à Logicâ, quæ dirigit tantùm operationes mentis. Per actiones autem *voluntatis* intellige tam elicitas quàm imperatas, idque in communi; ut distinguatur Ethica à Prudentia, quæ versatur circa actiones voluntatis in particulari, addendo vel detrahendo præceptis communibus Ethicæ, pro aliis circunstantiis loci, temporis, & personarum.

Objectum materiale Ethicæ est *actio voluntatis*, seu *actio humana*; quia talis actio explicatur in Ethicâ; Objectum verò formale est *rectitudo moralis* in actionem humanam inducenda; quæ explicatur his verbis, *quatenus dirigenda ad bonum honestum*. Nam actio humana eo tantùm modo consideratur in Ethicâ; in Physicâ verò consideratur; prout est actio compositi naturalis, scilicet hominis. Objectum formale sub quo, seu ratio formalis sub qua, est *dirigibilitas ad bonum honestum*; quia talis dirigibilitas seu capacitas accipiendi rectitudinem moralem, est conditio requisita in objecto materiali Ethicæ. Denique

objectum per se, adæquatum, & legitimum Ethicæ est *actio humana quatenus ad bonum honestum*, non præcisè, sed cum omnibus suis attributis.

Materia ex quâ sunt habitus Ethici partiales præceptorum, aut potiùs discursuum Ethicorum. Materia circa quam est actio humana; Materia in qua, seu subjectum in quo recipitur Ethica, est intellectus humanus.

Forma Ethicæ, est differentia ejus essentialis. Causa efficiens Ethicæ eadem est quæ Philosophiæ; cùm sit ejus pars aut species. Finis Ethicæ habitualis; est Ethica actualis perfecta, seu actus moralis perfectus; eò quòd habitus sint propter actus perfectos. Finis verò Ethicæ actualis est rectitudo inducenda in actiones humanas.

Ethica in communi diuiditur in Monasticam, œconomicam, & Politicam. Monastica dirigit actiones hominis privati ad bonum privatum. OEconomica dirigit actiones hominis, quatenus est paterfamilias ad bonum domesticum. Politica dirigit actiones hominis quatenus est pars Reipublicæ ad bonum honestum: Vnde ratione finis, Monastica subordinatur œconomicæ, & utraque Politicæ; atque adeò Politica est nobilior œconomicâ, & œconomica Monasticâ. In œconomica Paterfamilias habet sub se uxorem tanquàm maritus, liberos tanquàm Pater, servos tanquàm dominus. Vnde œconomica triplex est; scilicet Conjugalis, quæ est inter maritum & uxorem; Paterna, quæ est inter patrem & liberos; & Despotica, quæ est inter dominum & seruos. Politica diuiditur in Monarchiam, quæ est unius principatus; Aristocratiam, quæ est optimatum regimen; & Democratiam, quæ est populi imperium. Nos verò tantùm agemus de Monastica, quam diuidemus in tres partes; 1. erit de Actionibus humanis; 2. de fine ultimo actionum humanarum, scilicet de beatitudine; 3. de mediis beatitudinis.

PRIMA PARS ETHICÆ.

De Actionibus humanis.

HÆc Pars fusè & accuratè explicatur in Disputatione de *Libertate*, præter pauca, quæ pertinent ad actus humanos in particulari, de quibus breuiter agendum.

Actus omnes humani versantur vel circa finem, vel circa media; circa finem versantur Voluntas, fruitio, & intentio; circa media verò versantur, Electio, consensus, & usus, & secundùm alios consultatio, Voluntas tripliciter sumitur à Philosophis; 1. pro facultate volendi; 2. pro volitione generaliter sumptâ, quatenus opponitur nolitioni; 3. pro *actione voluntatis circa finem absolutè spectatum*; in quo distinguitur

tur ab intentione, quæ est circa finem obtinendum. Voluntas dicitur tantùm esse circa finem, non autem circa media; quia licèt media possint esse volita, non tamen propter se, sed propter finem, sic ut media ipsa non tam censeantur volita, quàm finis.

Fruitio interdum sumitur pro assecutione & possessione cujusdam rei antea desideratæ; nunc verò sumitur propriè pro *actu voluntatis circa finem ultimum jam obtentum*, vel pro *quiete voluntatis in fine ultimo possesso*; atque adeò non videtur distingui à gaudio perfecto: Distinguitur tamen ab intentione & voluntate, quòd fruitio sit tantùm circa finem ultimum, at voluntas & intentio sint circa fines, tam ultimos quàm intermedios: & reverâ sicut fructus sunt aliquid ultimum in arbore, sic fruitio propriè est tantùm finis ultimi: adde quòd fruitio est tantùm circa finem obtentum, intentio verò circa obtinendum; & voluntas abstrahit ab utroque.

Intentio est *actio voluntatis circa finem per media obtinendum*: & differt à desiderio, quòd intentio se extendat tantùm ad futura; desiderium verò ad non futura: quomodo autem differat à voluntate; suprà dictum est.

Electio duobus modis sumitur; 1. latè, prout est actus voluntatis, quo unum alteri simpliciter præponimus; & hoc sensu finis etiam ultimus potest eligi, quatenus omnibus aliis rebus anteponitur; & de hac locutione loquitur scriptura, cum dicit, *Deum elegistis hodie*; Item, *elige vitam*, 2. electio sumitur propriè & strictè, prout est actus voluntaris, quo vult absolutè media ad finem obtinendum accommodata, quæ sunt in nostrâ potestate, præsuppositâ tamen consultatione, de qua fusè agetur dum de prudentia: unde ab Aristotele electio dicitur *consultatiua petitio eorum quæ sunt in nobis vel in nostra potestate*: ideo objectum electionis est medium ab intellectu propositum tanquàm efficax ad finem obtinendum; in quo distinguitur ab intentione, cujus objectum est finis duntaxat; sed cùm eadem res possit esse & medium & finis diuerso respectu, hinc fit ut idem possit cadere sub intentione & electione.

Consensus est *concordantia voluntatis cum judicio practico intellectus, circa media quæ proponuntur*; vel est *actus voluntatis, quo amplectitur media, quæ intellectus judicauit idonea ad finem consequendum*; differt autem ab Electione, non realiter & intrinsecè, sed extrinsecè tantùm; adeò ut idem actus voluntatis, prout versatur circa media præcisè, Electio; prout est conformis judicio intellectus præscribentis voluntati talia media, dicitur consensus. Alii discrimen ponunt inter consensum & electionem, quòd possit dari consensus sine electione, non tamen è contrà; qui enim eligit, procul dubiò consentit, non tamen qui consentit, semper eligit; nam plura si fuerint objecta media, quæ omnia voluntati placeant, tunc erit verus consensus respectu omnium & singulorum, nec tamen Electio, nisi præterea accidat compara-

A 2

tio, & unum præ aliis placeat & anteponatur.

Vsus duplex est, scilicet activus & passivus; activus dicitur actus voluntatis, quo applicantur aliæ potentiæ ad agendum, passivus verò est actus alterius potentiæ exequentis mandatum voluntatis.

Hic solent agere Philosophi de principiis actionum humanarum; quæ sunt vel motiva, seu moventia voluntatem ad agendum; qualia sunt bonum finis, & beatitudo; de quibus in secunda parte: vel sunt affectiua; eáque vel acquisita, qualia sunt virtutes & vitia, de quibus in tertia parte; vel naturalia, qualia sunt intellectus & voluntas, quæ si considerentur quatenus sunt facultates animæ rationalis pertinent ad Physicam, si verò considerentur quatenus concurrunt ad actiones humanas, pertinent ad Ethicam; quomodo autem concurrunt ad eas, ostenditur in Disputatione de Libertate.

Hic etiam solent agere Philosophi de proprietatibus actionum humanarum de quibus multa traduntur in Disputatione de Libertate, nec non dum de virtutibus & vitiis; nunc tantùm breuiter agemus de bonitate aut malitia earum.

Bonitas moralis est *conformitas actionis humanæ cum rectâ ratione*: malitia verò est ejusdem difformitas; licèt autem bonitas & malitia desumantur potissimùm ab objectis, cum hac tamen differentia, quòd ad bonitatem actus humani non sufficit, vt fiat cum aduertentia rationis, & versetur circa objectum honestum; sed prætereà requiritur vt fiat gratiâ honestatis, tanquam motiui, idque per media debita. Ad malitiam autem actus humani sufficit vt vnum istorum desit, iuxta axioma, *bonum ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu*: Cæterùm, bonitas & malitia desumi solent ex circunstantiis actionis hoc versu expressis.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Verum, eodem modo non desumuntur ab omnibus; aliæ namque intra eandem speciem augent aut minuunt malitiam; puta diuersa quantitas rei furto sublata facit furtum grauius aut leuius: aliæ addunt actui nouam speciem, ut homicidium furti causâ perpetratum laborat malitia homicidii & furti.

Hìc quæri solet an dentur aliqui actus humani indifferentes, qui scilicet nec sint boni, nec mali moraliter. Respondeo 1. esse aliquos actus humanos secundùm speciem moraliter indifferentes: nam actus tales sunt secundùm speciem, quales sunt ex objecto suo, cùm habitus & actus specificentur ab objecto: At aliqui actus sunt indifferentes ex objecto suo, quia ex se nec sunt contra certam rationem, nec secundùm illam; vt ambulare, loqui, cantare &c. Ergo secundùm speciem sunt indifferentes. Respondeo 2. probabilius esse dari actus moraliter indifferentes in indiuiduo; quia nullum est præceptum, vi cuius homo habeat obligationem, referendi in honestum finem, omnes actiones, quæ habent objectum indifferens: nam præceptum, vel esset positiuum,

vel

vel naturale; non positiuum, quia nulla lex lata est hac de re; non etiam naturale, quia à naturâ non est imposita obligatio, vt homo commodis suis & necessitatibus nullâ in re sine peccato seruire possit, nisi finis honesti causâ agat; putà qui fugit, mortis vitandæ causâ.

SECVNDA PARS ETHICÆ.

De Beatitudine.

CVm beatitudo sit finis vltimus actionum humanarum, & omnis finis sit bonus; idcò hæc pars diuiditur in tria capita; 1. agitur de Bono; 2. de Fine vltimo actionum humanarum; 3. de Beatitudine de Fine autem in Communi agitur in Phisica.

CAPVT PRIMVM.

De Bono.

BOnum dicitur illud *quod est conueniens alteri*; variisque modis diuiditur; 1. in *verum & apparens*: verum dicitur illud quod realiter est conueniens alteri; apparens verò, quod videtur esse conveniens, reipsa tamen non est: 2. dividitur in bonum *per se*, quod à se ipso bonum est, vt solus Deus; vel bonum *per participationem*, quod ab alio bonitatem acquirit, vt omnia bona creata. 3. bonum dividitur in *absolutum*, quod propter se expetitur, vt sanitas: & *respectivum*, quod propter aliud expetitur; vt medicamentum, quod expetitur propter sanitatem: bonum absolutum aliter dicitur finis: respectiuum verò aliter dicitur medium. 4. bonum dividitur in *transcendentale*, quod ab aliis dicitur naturale, & *morale*, Item in bonum *in se* & bonum *alteri*: præthereà, in bonum *honestum*, *vtile*, & *delectabile*; de quibus omnibus actum est in Metaphysicis. Denique alia sunt bona *animi*, vt virtutes; alia corporis, vt sanitas & membrorum integritas: alia fortunæ, vt divitiæ & honores: bona animi & corporis sunt interna, bona verò fortunæ sunt externa.

Res omnes bonum aliquod appetunt: res quidem cognitione carentes appetunt bonum appetitu naturali, animalia appetitu sensitiuo, & homines appetitu rationali. Appetunt autem bonum, quod deest, appetitu desiderii, seu concupiscentiæ: bonum, quod possidetur, appetitu complacentiæ. Ad id quod dicitur multa esse mala in mundo, malum autem non appetere bonum, cùm nihil appetat contrarium

fuum : Respondetur malum tripliciter sumi, 1. *materialiter*, pro subjecto habente malitiam : 2. *formaliter*, pro ipsa malitia : 3. *relatiuè*, pro accidente aut qualitate repugnante subjecto, cui inest : primo modo, malum potest appetere bonum : sic homo malus appetit bonum saltem vtile aut delectabile : secundo modo, nihil est reale & positivum, cùm malitia sit tantùm carentia debitæ bonitatis : Tertio, malum studet suæ conservationi, & licet sit malum & disconveniens suo subjecto, est tamen bonum & conveniens alteri.

Solum bonum est appetibile : tam ab appetitu naturali & sensitivo, quàm à rationali seu voluntate humanâ : de duobus prioribus nemo dubitat : quia cùm sint determinati ab objecta sua ab Authore naturæ, si in illis esset aliquid inordinatum, qualis sine dubio esset inclinatio in principium malum, id in Deum authorem naturæ referendum esset. De posteriori etiam patet : quia malum vt malum sibi non est appetibile à voluntate, cùm tale malum sit disconveniens : dixi, *vt malum*, quia malum sub ratione boni appeti posse non est dubium. Rursus, *malum vt malum sibi*, nam certum est malum vt malum alteri, posse appeti : ita tamen vt qui illud appetit tanquam alterius malum apprehendat ipsum tanquam sibi aliquo modo bonum : verùm plura de his videri possunt in Disputatione de Libertate.

CAPVT SECVNDVM.

De Fine vltimo Actionum humanarum.

Finis in genere est *id propter quod res est aut agens operatur*, de quo fusè agitur in Physicis : estque vel *medius*, qui ad vlteriorem finem ordinatur : vel *vltimus*, qui ad vlteriorem non ordinatur : & vltimus vel est talis simpliciter, vel secundùm quid : finis vltimus simpliciter, est id cuius gratiâ omnia sunt aut fiunt, vt summum bonum aut beatitudo : finis verò vltimus secundùm quid, est id per quod fit aliquid, non tamen omnia : ut si quis partem suarum operationum referat ad acquirendas divitias, & aliam partem ad acquirendam scientiam, ita vt illarum actionum nullus sit vlterior finis : Certè divitiæ & doctrina seorsim erunt duo fines vltimi, sed secundùm quid, aut potiùs duo fines partiales : finis vltimus secundùm quid etiam dici potest, qui est vltimus in genere quodam & ordine non tamen in omni : sic actionum medicinalium finis vltimus secundùm quid est sanitas.

Hoc posito dico primò, dari finem vltimum cuiuslibet actionis, à quocunque exerceatur : alioquin daretur progressus in Infinitum, quod repugnat : & prætereà sequeretur nullum dari bonum : nam omne bonum vel propter se vel propter aliud est appetibile, & sublato bono propter

propter se, necessariò tollitur bonum propter aliud, at sublato fine ultimo tollitur bonum propter se, Ergo, &c.

Dico secundò, dari diversos fines ultimos secundum quid diversarium actionum: nam alius est finis ultimus actionum medicinalium, scilicet sanitas, alius militarium, scilicet victoria, alius forensis, scilicet juris æqualitas quæ sunt tantum fines ultimi secundum quid & particulares, qui ad alium finem superioris ordinis referuntur; scilicet ad bonum publicum, aut ad gloriam Dei. Certum est dari plures fines ultimos secundum quid seu partiales, ut patet ex iis quæ suprà.

Dico tertiò dari unicum verum finem ultimum simpliciter omnium rerum, & actionum, scilicèt Deum, juxta illud prouerbiorum, *omnia propter se ipsum operatus est Dominus*: quòd autem Deus sit talis finis simpliciter patet, quia soli Deo utpote enti perfectissimo & infinito conveniunt quatuor conditiones requisitæ ad finem ultimum simpliciter, seu ad summum bonum; primò ut sit bonum per se, non per aliud; secundò, ut ad illud omnes fines, omniaque bona, tam particularia quàm communia, ex naturâ suâ referantur: tertiò, ut omnibus aliis meritò sit præferendum: quartò, ut illud solum appetitum agentis explêre possit.

Cæterùm, licèt sit idem finis ultimus objectivus hominis & aliarum rerum, scilicet Deus, non est tamen idem finis ultimus formalis; quia longe aliter Deus obtinetur ab homine, quàm ab aliis rebus; ab homine enim immediatè possidetur per cognitionem, & amorem; à cæteris verò rebus mediatè, quatenus scilicèt non ad possidendum Deum, sed ad manifestandas ejus perfectiones factæ sunt, nec-non ad juvandum hominem, ut Dei possessionem acquirat.

CAPVT TERTIVM.

De Beatitudine.

Beatitudo est vel *objectiva*, vel *formalis*: objectiua est res ipsa, cujus possessione homo beatus est: formalis verò ipsa rei possessio; utraque autem vel *naturalis*, vel *supernaturalis*.

Beatitudo objectiva, tam naturalis quàm supernaturalis, est Deus: nam quotiescunque aliqua potentia versatur circa genus aliquod Entis in communi, non perficitur aut completur, nisi per id quod est perfectissimum in illo genere; sed potentiæ hominis beatitudinis capaces, scilicèt intellectus & voluntas, versantur circa duplex genus entis, scilicèt circa verum & bonum in communi; ergo non possunt perfici, aut compleri, nisi per Ens in utroque illo genere perfectissimum; quod

est, solus Deus, summè verus, & summè bonus: licèt autem nulla sit proportio inter Deum & hominem in ratione Entis, est tamen aliqua in ratione potentiæ & objecti. Quòd si dicas beatitudinem objectivam non debere explêre appetitum hominis; cùm animæ beatorum Deum possidentes, aliquid aliud possint expetere; purà hominum conversionem, & corporis sui gloriam: Respondemus nos, cùm dicimus beatitudinem objectivam explere appetitum, non ita explicandum esse, quasi beatus nihil omninò desiderare possit, sed quòd nihil desiderare possit cum indigentia & anxietate. Præterea, beatitudo, sive naturalis, sive supernaturalis, non consistit in bonis creatis; Ergo in solo bono increato, scilicèt Deo.

Antecedens probatur inductione bonorum creatorum; quæ sunt, vel *externa*, vel *interna*; & hæc, vel *corporis*, vel *animi*. Bona externa quatuor sunt potissimùm, scilicet Divitiæ, Potestas, Honor, & Gloria; & inter duo posteriora, hæc est differentia, quòd honor sit simplex, testimonium excellentiæ alterius: gloria verò, sit clara notitia & frequens de aliquo fama cum laude. Bona corporis etiam quatuor sunt; scilicet, voluptas sensuum, bona valetudo, pulchritudo & robur. Denique, bona animi, sunt facultates naturalis, habitus, & actus. In his autem omnibus, sive simul, sive separatim sumptis, non esse sitam beatitudinem objectivam, sive naturalem, sive supernaturalem, probatur 1. quia beatitudo convenit tantùm hominibus, & quidem probis; at bona corporis sunt communia hominibus & brutis, imò in plerisque homines à brutis superantur: & bona animi, nec non bona externa, sunt communia probis & improbis, 2. quia beatitudo objectiva debet satiare & explêre appetitum; at bona creata non sunt ejusmodi. 3. quia beatitudo est propter se appetibilis, non autem propter aliud; at bona creata non propter se, sed propter aliud sunt expetibilia, 4. quia possessio beatitudinis saltem naturalis, posita est in hominis potestate; at bona externa & ferè omnia bona corporis, non sunt posita in nostrâ potestate.

Beatitudo formalis supernaturalis consistit realiter in clara Dei visione, amore, & gaudio: nam beatitudo formalis hominis consistit in possessione objectivâ, non quâcunque; sed perfectâ, & quietâ, ut satiatus appetitus nihil ultrà expetat cum indigentia, & anxietate; at qui sola Dei visio est ejusmodi, perfecta & quieta possessio: sed amorem & gaudium conjuncta habere debet; si enim Deus alicui claram sui visionem concessisset, negato concursu ad amorem & gaudium, tantùm abest, ut eâ possessione, voluntas quieta, & contenta esset, ut potiùs, (cùm ea sit vis summi boni clarè cogniti, ut voluntatem necessario rapiat in sui amorem & gaudium) non nisi cum violentiâ utriusque exercitio privaretur; adeò ut nisi novo miraculo non posset non erumpere in vehementissimum desiderium; siquidem suam cum tanto bono conjunctionem, quæ in amore consistit, & ejusmodi frui-

tionem,

tionem, quæ in gaudio formaliter sita est, longè ardentiùs expeteret. Quare censeo, beatitudinem formalem supernaturalem hominis essentialiter componi ex his tribus actibus, scilicèt ex clarâ Dei visione, ejusmodi amore, & gaudio: ex visione quidem, quia est possessio summi boni, ex quâ tanquàm ex radice oriuntur amor illius boni, & gaudium perfectè satians appetitum: Ex amore verò, quia cùm visionem naturaliter sequi debeat, non nisi cum violentiâ & contrà inclinationem voluntatis abesse potest: denique ex gaudio, quia est quasi ultima & perfecta quies voluntatis in summo bono possesso.

Dices illud solùm esse de essentia rei, quod illi primùm convenit, & ex quo tanquàm ex radice cætera omnia oriuntur, & necessariò sequuntur: sed clara Dei visio primùm convenit beatitudini, & ex eâ cæteri actus, putà amor & gaudium, necessariò oriuntur; Ergo sola Dei visio est de essentiâ beatitudinis.

Respondeo, majorem esse veram duntaxat in essentiis metaphysicis, quæ in certo & determinato genere & specie continentur; non autem in essentiis illis physicis, aut moralibus, quæ sunt unum unitate aggregationis multarum rerum diversæ naturæ; alioquin dicendum esset, semen & radicem arboris duntaxat esse de essentiâ arboris, cùm ex illis aliquæ partes oriantur: Beatitudo autem, non est Ens per se certo aliquo genere & differentiâ constitutum; unde Boëtius sic eam definit, *Beatitudo est status, omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Beatitudo formalis naturalis est perfecta Dei fruitio, in quantum naturaliter possideri potest; consistit autem in ejus contemplatione abstractivâ, non autem intuitivâ; scilicèt in contemplatione, quâ cognoscitur Deus, non prout est in se, sed respectu creaturarum, & prout est earum author; sic nimirùm tantùm possideri potest naturaliter; siquidem intuitiva Dei visio, quâ scilicèt cognoscitur prout est in se naturam superat, & dicitur beatitudo formalis supernaturalis, aut saltem pars ejus præcipua.

Cæterùm beatitudini naturali necessaria sunt bona aliquà corporis, animi, & fortunæ: Bona quidem corporis; quia functiones animæ, quandiu existit in corpore, ab eo aliquo modo dependent; ideò nisi corpori aliquatenus bene sit, non possunt rectè fieri: non potest autem corpori bene esse, nisi bonâ utatur valetudine, & integros habeat sensus, præsertim internos. Bona etiam fortunæ necessaria sunt beatitudini; quia homo indiget auxilio rerum externarum: Denique, Bona animi necessaria sunt; quia nisi adsit animus ab omnibus curis, sollicitudinibusque immunis, homo ad contemplationem Dei, vel ad actiones virtutum moralium tali contemplationi necessariæ minùs aptus est: quia satietas animi in contemplatione Dei haberi non potest, nisi ab homine alienò à vitiis, nihilque à passionibus sibi metuente: imò aliquid ampliùs de virtute dici potest scilicet, quòd cùm duplex sit

beatitudo, aut pars beatitudinis, una *contemplativa*, altera *activa*; actus virtutis sint beatitudo formalis hominis activa, cùm suam habeant honestatem propter se appetibilem, nec non suam delectationem honestam; attamen beatitudo contemplativa creditur præstantior activâ; tum quia contemplatio est actus nobilissimæ facultatis, scilicet intellectûs; tum quia est diuturnior, jucundior, tranquillior, & paucioribus contenta quàm actio.

TERTIA PARS ETHICÆ.

De Virtutibus, & Vitiis.

CVm in secundâ parte Ethicæ egerimus de Beatitudine, hâc tertiâ parte agemus de virtutibus & vitiis, quæ sunt media necessaria ad beatitudinem comparandam: dividitur autem in tria capita, 1. agetur de Passionibus animi, in quibus moderandis potissimùm versantur virtutes, 2. de virtute & vitio in communi, 3. de virtutibus in particulari.

CAPVT PRIMVM.

De Passionibus animi.

HOc capite agitur primò, de Passionibus animi in communi: secundò, de Passionibus appetitus concupiscibilis: tertiò de Passionibus appetitus Irascibilis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Passionibus animi in communi.

PAssio sumitur potissimùm quinque modis; primò, pro cujuslibet rei proprietate, & sic proprietates Entis dicuntur passiones seu affectiones Entis: secundò, pro qualitate patibili citò transeunte; qualis est rubor ex verecundia: tertiò, pro receptione alicujus rei, quo pacto

pacto constituit prædicamentum passionis : quartò ; pro dolore & cruciatu : quintò, pro motu appetitûs sensitivi, ut nunc.

Passio definitur, *actiò appetitûs sensitivi, circa bonum aut malum apprehensum ut tale à sensu, cum aliqua commotione corporis.*

Passiones animi secundum sè præcisè sumptæ, quatenus sunt actiones appetitus sensitivi, communes hominibus & brutis, nec sunt bonæ, nec malæ moraliter: quia ut sic, nullum dicunt respectum ad rationem; atque adeò nec sunt illi conformes nec difformes : passiones verò, prout subjiciuntur rationi voluntati, sunt bonæ, vel malæ moraliter; malæ quidem, cùm vel excitantur à voluntate repugnante rationi : vel, cùm ratio eas exurgentes, & rationis limites transeuntes non cohibet, bonæ verò, quando sunt instrumenta virtutis : ut quando quis justè ac moderatè irascitur, adversus perturbatores pacis publicæ.

Passiones vel sunt appetitûs concupiscibilis, vel irascibilis. Appetitus concupiscibilis est ille, qui fertur in bonum, aut fugit malum, simpliciter & sine difficultate propositum : Irascibilis verò est ille, qui bonum prosequitur, & malum aversatur propositum ut arduum, & non nisi cum difficultate obtinendum, aut vitandum : quod non ita intelligendum est, quasi appetitus irascibilis, in ipsam ardui & difficilis rationem feratur, tanquam in formalem & motivam rationem: difficultas enim potiùs avocat appetitum : sed difficultas est tantum conditio ex parte objecti requisita, ut circa illud exerceri possint ejusmodi passiones.

Passiones appetitûs concupiscibilis sunt sex, Amor & Odium, Desiderium & Fuga, Gaudium & Tristitia. Ratio est, quia bonum, quod simpliciter proponitur & sine difficultate acquirendum, vel proponitur ut bonum præcisè, & sit excitatur amor : vel ut bonum absens, & excitatur desiderium; vel ut bonum presens, & excitatur gaudium seu voluptas : similiter malum, vel proponitur ut malum, præcisè & excitatur odium : vel ut malum absens, & excitatur fuga : vel ut malum præsens, & excitatur tristitia.

Passiones appetitûs irascibilis quinque sunt : scilicèt, spes, Desperatio, Audacia, Timor, & Ira : Ratio est : quia bonum arduum vel apprehenditur ut possibile, & excitatur spes : velut impossibile, & oritur desperatio : similiter, malum arduum, vel apprenditur ut absens & vincibile, & excitatur audacia : vel ut absens, sed vix evitabile, unde timor : vel ut absens, qnod potest expelli & de quo vindicta sumi potest, & ita excitatur ira.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Passionibus Appetitus Concupiscibilis.

HOc Articulo, primò agetur de Amore & Odio: Secundò, de Desiderio & Fugâ: tertio, de Gaudio, & Tristitiâ.

DE AMORE ET ODIO.

AMor à Philosophis solet definiri, *motus appetitus concupiscibilis circa bonum sensibile, precisè spectatum vt bonum*: breviùs definitur, passio boni.

Amor duplex ponitur: scilicet *amicitiæ*, & *concupiscentiæ*: amor amicitiæ est ille, quo amatur bonum alteri, quia est bonum eius: amor verò concupiscentiæ, est ille quo amatur proprium bonum, quia est proprium.

Causa generalis amoris est bonitas rei alicuius cognita: quæ nihil aliud est, quàm convenientia rei cum aliquo sensu: vt pulchritudo, oculis grata, concentus auribus iucundus: cibus & potus suauis gustui, &c. hic enim agitur tantùm de amore sensitiuo: amoris enim intellectualis seu rationalis præcipua causa, est bonum honestum, vt virtus: cui ab aliis additur bonum vtile.

Causæ speciales amoris, præcipuæ hæ sunt: prima est similitudo: sicut enim vnumquodque animal seipsum naturaliter amat, ita etiam diligit sibi simile, in quo se quodam modo conspicit: huc referenda est, animorum, complexionúmque sympathia, quâ fit vt occultâ quâdam inter se amicitiâ faciliùs iungantur illi, quibus ex inclinatione naturali iidem sunt mores, eademque vitæ ratio: contingere tamen potest, vt similitudo sit causa per accidens odii: eo quòd, ex duobus in re aliqua similibus, alter alteri est impedimento, ne bonum aliquod consequatur: quilibet enim seipsum magis diligit quàm alterum: & hinc figulus figulo invidet. Secunda causa specialis amoris est amor ipse: vnde illud, si vis amari, ama. Aliæ causæ speciales amoris sunt, temperamentum, beneficia, collata, honores & dignitates, divitiæ, pulchritudo, virtutes, &c. vno verbo omnia bona honesta, vtilia, & delectabilia.

Effectus amoris præcipui, hi sunt: primus est assimilatio: qui enim amat, transformatur quodammodo in rem amatam, & in omnibus ei placere

ei placere studet: secundus est vnio, quæ constringit amantem, cum re amata & facit vt eam semper præsentem habere exoptet, absentémque sibi cogitatione sistat: Ad hanc vnionem refertur inhæsio immobilis seu adhæsio amantis ad rem amatam: ita vt in eâ, magis quàm in se verè dicatur: iuxta illud Platonis, *amantis anima mortua in proprio corpore, superstes est in aliena anima*: nam magis est vbi amat, quam vbi animat. Tertius est exstasis: quum scilicet vi amoris, animus destituitur quasi & ab omni operatione cessat, adeò vt ex ardore excessisse videatur. Quartus est zelus, qui est summus affectus, & cura removendi omnia, quæ amanti adversantur. Deinde: inter effectus amoris, ponendæ sunt multæ sensibiles corporis affectiones, quæ ex amore vehementi, sæpius oriuntur: quales sunt, languor, macies, pallor &c.

Remedia amoris hæc sunt præcipua: primum, auertere mentem & sensum à re amatâ, potissimum per absentiam: longa namque absentia, amorem vehementissimum destruit ordinariè: secundum est defectus rei amatæ, tam in corpore quàm in animo existentes, disquirere, putà deformitatem, paupertatem, & vitia, quibus res amata coinquinatur, &c. Tertium, est considerare damna quæ oriuntur ex immoderato amore: qualia sunt jactura temporis, pecuniarum amissio, cultûs diuini neglectus, &c. Quartum, est amabilia amare, scilicèt res honestas, putà scientias, virtutes &c. ad quod referri potest amor alterius: secundus enim amor ordinariè destruit primum, sicut clauus clauum trudit. Quintum est otium fugere: est enim amor otiosorum negotium:

Otia si tollas, periere cupidinis Arcus.

sextum est supplicia inordinato amori excogitare.

Odij definitio, diuisio, causæ, effectus, & remedia satis patent ex iis, quæ diximus de amore: oppositorum nempe opposita prædicata. Quare odium definitur, *Motus appetitus sensitiui circa malum præcisè consideratum vt malum*: Duplex autem *est odium*, *vnum abominationis*, quo malum nostrum aversamur, tanquam proprium malum: alterum, *inimicitiæ*, quo aliquid adversè alteri cupimus, quod est bonum nobis.

DE DESIDERIO ET FVGA.

Desiderium est *motus appetitus concupiscibilis circa bonum apprehensum vt absens*: non autem vt futurum: quia interdum illud bonum desideratur, quod apprehenditur vt non obtinendum, atque adeò vt non futurum: verbi gratiâ, qui in crucem agitur, desiderat vitam, quam tamen non sperat sibi concedendam: breuiùs

desiderium definitur, *passio boni absentis.*

Desiderium dividitur tot modis, quot amor: specialiter verò in *naturale*, quod est proprium appetitus sensitivi: & *rationale*, quod est proprium voluntatis: naturale versatur circa ea quæ sunt naturæ necessaria: putà circa cibum & potum, &c. rationale verò versatur, circa ea quæ naturæ non sunt necessaria per se, putâ circà pecunias, honores, &c. illud dicitur finitum: hoc verò aliquo modo infinitum.

Causæ desiderii communes sunt cum amore: licèt vehementiores sint corporis commotiones & affectiones ex desideriò, quàm ex simplici amore: unde gemitus & lachrymæ sunt desiderii indices.

Fuga est *motus appetitûs concupiscibilis, quo malum aversatur apprehensum ut absens*, alterque dicitur abominatio: habet autem omnia desiderio contraria.

DE GAVDIO ET TRISTITIA.

GAudium, quod aliter dicitur Delectatio, Lætitia, & Voluptas, definitur, *motus appetitûs concupiscibilis circa bonum apprehensum ut præsens:* vel est *passio boni præsentis, & quies animi in bono præsenti:* tot autem dicuntur esse species gaudii, quot desiderii & amoris.

Causæ gaudii sunt: primò, amor & præsentia boni: secundò, varietas bonorum: tertiò, memoria præteritorum malorum: quæ facit, ut bona præsentia sint jucundiora: quartò, memoria bonorum præteritorum: quæ fiunt aliquo modo præsentia: quintò, spes futurorum bonorum, quia talis spes est anticipata quædam rerum possessio.

Effectus gaudii, præcipui, sunt: primò, cordis dilatatio: unde hæc passio nomen lætitiæ accepit: hæc autem dilatatio duos contrarios effectus producere potest, interdum enim sanitatem generat, quando est mediocris, eo quòd tunc spiritus vitales fiant liberiores & vegetatiores, & vapores crassiores dissipentur: interdum mortem afferunt, quando scilicèt est nimia delectatio: tunc enim spiritus vitales evanescunt: secundò, risus vultûs, hilaritas corporis, exultatio gestu aliquo expressa, unde & *gestire lætitiâ* dicimus: tertiò, perturbatio rationis: quia magnum gaudium distrahit animum, & judicium interdum corrumpit. Denique, perfectio major operationis: quæ opus aliquod cum delectatione aggreditur, & diligentiùs illud exequitur.

Tristitia est *motus appetitûs concupiscibilis circa malum apprehensum ut præsens:* quod, si oriatur ex malo præsente & sensum lædente, corporique nocente, dicitur dolor.

Causæ tristitiæ sunt: primò, boni desiderati absentia: secundò boni anteà possessi amissio: tertiò, boni amissi recordatio: quartò, boni sperati dilatio: quintò, mali præsentia: sextò, abundantia humoris me-

ris melancholici, & ejus commotio ab aëre, cæterisque corporibus nos ambientibus.

Effectus tristitiæ gaudio oppositi, præcipui sunt, cordis constrictio, fletus, amor otii, proclivitas ad somnum, torpor & segnities corporis orta ex constrictione cordis.

Hic quæri solet, quod ex gaudio & tristitia, oriantur lachrymæ: Respondetur, quòd in gaudio sanguinis aut spirituum calore aperiantur pori tunicarum, quæ sunt in oculis, per quos poros fluit humor: in tristitia verò contrà, revocato ad interiora sanguine & calore, constringuntur receptacula humoris, quâ constrictione exprimitur. Porrò, lachrymæ difflentes ex tristitiâ frigidæ, & ex gaudio calidæ videntur: quia in tristitiâ frigidæ sunt ob recessum sanguinis & caloris ad interiores partes: in lætitiâ verò, calidæ, ob contrariam rationem.

Remedia tristitiæ præcipua sunt, cogitationem ad læta transferre, sollicitudinem & otium fugere, amico fideli animum aperire, somno indulgere, gloriam vitæ futuræ meditari.

Quadruplex ponitur species tristitiæ à Philosophis: scilicèt misericordia, quæ est tristitia à malo alieno: Invidia, quæ est tristitia de alieno bono, quod tanquàm proprium malum apprehenditur: anxietas seu angustia, quæ est animi oppressio ex malo impendente, quod apparet inevitabile, & quæ est tanta animi dejectio, ut eam torpor corporis sequatur.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Passionibus appetitûs Irascibilis.

HOc articulò, primò agitur de Spe & Desperatione: secundò de Audacia & Timore: tertiò de Ira.

DE SPE ET DESPERATIONE.

SPes est *motus appetitûs irascibilis, circa bonum absens apprehensum ut possibile*: vel, est passio boni ardui & absentis, sed possibilis.

Causæ spei præcipuæ hæ sunt: primò, experientia ex usu orta: quæ docet rem esse possibilem: secundò, defectus experientiæ: qui facit, ut ignorentur pericula & difficultates, quæ cognitæ ad desperationem deducerent: tertiò, animi fortitudo: vir enim fortis, & magnanimus,

nihil sibi impossibile putat: quartò; puerorum florens ætas: Iuvenes enim, ex Aristotele 2. Rhetor. solent esse bonæ spei: tum defectu experientiæ, & non prævisione impedientium periculorum: tùm etiam caloris abundantiâ, quæ causa est, ut pericula negligantur, & ardua superentur: quintò, spem excitat, quod, rem possibilem facere potest: scilicèt, potentia, authoritas, opes, amicitiæ, &c.

Effectus spei præcipui sunt, alacritas in sperando, magnanimitas in aggrediendo, difficultatum contemptus, laborum tolerantia, & delectatio anticipata de bono obtinendo.

Desperatio est *motus appetitûs irascibilis, circa bonum arduum, apprehensum ut impossibile*: attamen sciendum est, in objecto desperationis reperiri & bonum, & malum: bonum quidem, tanquàm materiale: malum autem tanquàm formale: nam reverà desperatio circa bonum est, de quo obtinendo desperatur: motivum verò desperationis, non est bonum ipsum, sed ejus obtinendi impossibilitas, quæ est aliqua ratio mali.

Causæ & effectus desperationis opponuntur causis & effectibus spei: juxtà illud contrariorum contraria sunt consequentia.

DE AVDACIA ET TIMORE.

AVdacia est *motus appetitûs irascibilis circa malum arduum absens, apprehensum ut superabile*: hoc est, quod arceri & evitari potest: quare objectum ejus materiale est mali difficultas, ejusque victoria: vel sola, si nihil aliud agendum sit, quàm arcêre malum impendens: vel propter aliud aliquod bonum obtinendum, quod non nisi superatis difficultatibus, & evitato impendenti malo, obtineri potest.

Causæ audaciæ, sunt: primò, desiderium, & spes adipiscendi boni ardui, nec non omnes causæ spei: secundò, Dei, aut aliorum auxilium: tertiò, corporis constitutio, putâ cor exiguum, &c.

Effectus præcipuus audaciæ, est quoddam corporis incendium, & abundantia sanguinis, undique confluentis.

Timor est *motus appetitûs irascibilis circa malum arduum absens, apprehensum ut eminens, & vix evitabile*: dixi *eminens*: si enim non est eminens, nihil aut parùm timetur: dixi, *vix evitabile*; aliter non tam propriè timorem, quàm tristitiam generat: habet enim locum mali præsentis.

Causæ timoris contrariæ sunt causis audaciæ.

Effectus timoris præcipui sunt: primò, constrictio cordis, & confluxus spirituum & sanguinis ad ipsum: unde pallor in facie, frigus, & tremor in extremis partibus corporis, præsertim magis mobilibus, putà labio inferiori: secundò, virium defectus: tertiò, cutis & pilorum

rum

rum asperitas: quartò, animi consternatio: quintò, mors interdum ex suffocatione spirituum aut cordis: sextò, canities plerumque ob frigus repentinum, corrumpens humidum excrementitium, quod est materia pilorum: septimus & optimus effectus timoris, est deliberatio & consilium de viis & rationibus, quibus potest vitari malum; unde & timidiores sæpiùs sunt prudentiores.

DE IRA.

IRa est *motus appetitùs irascibilis, circa malum præsens apprehensum prout cum difficultate repellendum: vel compensandum detrimento ejus, à quo illatum est.*

Objectum materiale est malum, formale verò bonum; vt patet hoc exemplo: canis fuste percussus, si apprehendat se posse percussorem mordere, morsum illum tanquàm sibi bonum, & compensationem iniuriæ acceptæ statim appetit; quæ appetitio est actus iræ.

Species iræ tres sunt præcipuæ; prima dicitur fervor; qui est primus impetus, & ira subitò excandescens; Secunda insania, quæ est ira permanens & vix placabilis: tertia dicitur furor, qui est ira nunquam quiescens; nisi sumpta sit vindicta.

Causæ iræ sunt: primò, malum ab alio illatum, præsertim injuria & contemptus: secundò, temperamentum naturale; qui enim v. g. sunt biliosi, ad iram sunt proclives; item ægroti, mulieres, & qui ardenter aliquid amant.

Effectus iræ præcipui sunt: primò, flavæ bilis compulsio, unde amaritudo in ore: secundò, sanguinis effervescentia circa cor, & inde diffusio in reliquas corporis partes: tertiò, gaudium de alieno malo ex vindictâ: quartò, perturbatio rationis.

CAPVT SECVNDVM.

De Virtute & vitio in communi.

HOc capite explicantur definitio, medium, & subjectum virtutis; item, connexio, inæqualitas, & subordinatio virtutum moralium; ac tandem agitur de vitio.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Definitione Virtutis.

DEfinitio virtutis vulgata, & in scholis recepta, est hujusmodi, virtus est *habitus Electivus, in mediocritate quoad nos, à ratione præfinitâ, consistens.* Virtus dicitur *habitus:* quia virtutes non sunt naturales, sed labore comparantur: nam, ut ait Aristoteles in Ethicis, *docti aut probi non nascimur, nec otiosis virtus advenit.* Id autem probatur: primò, quæ nobis insunt à natura non possunt assuetudine mutari; neque enim lapis, cui à natura insitum est deorsum ferri, assuescere unquam poterit ut sursùm feratur, & naturam mutet: at plerique è statu virtutis decidunt, & alii in optimos viros evadunt, cùm priùs improbi essent: secundò, quia eorum, quæ à natura insunt, priùs vim & facultatem habemus, quàm functionem, & usum; priùs enim visum habemus, quàm videamus; at in virtutibus secus accidit: tertiò, quia Legislatores virtutem tanquàm arduum quid commendant; at naturalia non sunt ardua: certum est tantùm à naturâ nonnullis inesse quædam virtutum & vitiorum semina; constat enim, alios ad virtutem, alios ad vitia procliviores esse à naturâ. Virtus dicitur *habitus Electivus*, latè sumptâ Electione, prout ad media & ad finem pertinet: virtus enim non solùm est habitus inclinans ad actum, circa media respicientia finem; sed etiam est habitus inclinans ad actum circa finem contractum ad materiam, in quâ, secundum rectam rationem eligendus est. Virtus etiam dicitur, *in mediocritate* consistens: hoc est, in medio, de quo aliquid dicendum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De medio Virtutum.

SIcut in quantitate reperitur majus, minus, & æquale quod est medium; sic in moralibus excessus, defectus, & mediocritas considerantur: vitia versantur circa excessum aut defectum; virtutes verò in medio consistunt.

Duplex est medium; unum per participationem utriusque extremi; ut tepor: alterum per negationem utriusque; ut motus circularis respectû

respectû motûs sursùm & deorsum: virtus autem est media inter duo vitia, ut patet.

Rursus, medium duplex est; medium rei, quod ab extremis æqualiter distat; ut sex sunt medium inter duo, & decem; aliter dicitur medium arithmeticum: & medium rationis, quod pendet à ratione, judicióque prudentiæ præscribentis quando, & quomodo agendum sit, expensis omnibus circumstantiis loci, temporis, & personarum: quod enim uno patùm, altero tempore nimium forte erit: & hoc medium, dicitur medium Geometricum & ab aliis dicitur medium quoad nos; quia datur ratio virium & complexionis uniuscujusque. Denique virtus potest dici esse in medio, scilicèt *formaliter*, quando est inter duo vitia opposita, unum per excessum, alterum per defectum; ut fortitudo inter audaciam seu temeritatem, & timiditatem: Et *effectivè*, quatenus efficit ut homo in suis actionibus servet medium rationis, seu mediocritatem, quam recta ratio postulat, & præscribit.

Ex his patet omnes virtutes morales consistere in medio rationis, effectivè: quia faciunt ut actiones humanæ, ex præscripto rationis fiant; v. g. temperantia versatur circa moderatam sumptionem cibi, efficitque ut non plùs aut minùs sumatur, quàm recta ratio præscribit. Iustitia autem est constitutiva medii: cùm actus ejus sit justa operatio; quæ media est inter injuriæ irrogationem & perpessionem: nam, qui injuriam patitur, licèt injustus non sit, minùs tamen habet quàm par est; & qui injuriam irrogat, injustus est, & plus sibi vindicat quàm ei debetur: quare inter illa duo *plus habere quàm sit sibi debitum*, & *minus habere quàm sibi debeatur*, medio collocatur justitia, cujus actus est facere æquale, quod medium est inter plus & minus.

Ad id verò quod dicit Aristoteles, injustitiam esse extremorum: Respondemus, eum non intellexisse, justitiam utrinque vallari vitio injustitiæ: sed voluisse injustitiam esse extremorum: quia bonorum plus sibi arrogat, quàm jus ferat; atque adeò extrema, quæ utrinque justitiam videntur cingere, non ad unum vitium pertinent formaliter; licèt materialiter sint utrinque locata.

ARTICVLVS TERTIVS.

De subjecto virtutum.

SVbjectum virtutum moralium remotum est solus homo; proximum verò est voluntas. De justitiâ, & aliis; quæ sunt ad alterum, non

est difficultas; sed tantùm de iis, quæ moderantur passiones; scilicèt de fortitudine, & temperantiâ; quas etiam in ejus voluntate residere patet, ex eo quòd virtus debeat versari circa honestum, & exerceri honesti gratia: at solus homo, & sola voluntas id possunt; cùm solius intellectûs sit bonum honestum repræsentare; atque adeò solius voluntatis ejusmodi bonum honestum amplecti: appetitus autem sensitivus solum bonum delectabile amplectitur, quod à Phantasia ei repræsentatur. Correspondere tamen in appetitu sensitivo habitus quosdam virtutibus moralibus temperantiæ & fortitudinis, quæ ipsum ad eorum objectum materiale inclinent, patet; quia, cùm appetitus sensitivus in homine sit aliquo modo indifferens, & possit acquirere facilitatem obsequendi voluntati imperanti secundùm præscriptum rectæ rationis, admitti debent in eo habitus qui, cùm non possint spectare formaliter objectum virtutis; scilicèt honestatem, hoc muneris habent, ut appetitui inclinationem tribuant ad objectum materiale virtutis moderatè appetendum.

ARTICULUS QUARTUS.

De Connexione Virtutum.

Sciendum est primò, triplicem statum cujuslibet virtutis assignari solêre: primus est status imperfectus, qui dicitur status continentiæ, cùm scilicet passiones appetitûs sensitivi adhuc sunt rebelles: secundus est perfectus, qui dicitur status temperantiæ, cùm scilicèt passiones ita sunt subjectæ rectæ rationi, ut earum domina censeatur voluntas: tertius est status Heroïcus; cùm scilicèt passiones ita oppressæ sunt, ut omninò extirpatæ videantur.

Sciendum est secundò, munus prudentiæ & voluntatis esse ostendere medium rationis, & proponere media ad ipsum consequendum.

Sciendum est tertiò, probabilius esse, prudentiam totalem & integram conflari ex multis habitibus partialibus, totque esse partiales prudentias, quot sunt virtutes morales voluntatis specie diversæ; adeò ut, singulis virtutibus specialis prudentia conveniat.

His positis, dicendum est primò, omnes virtutes secundùm se in quolibet statu, non esse necessariò inter se connexas: quia alioquin is qui unam haberet, omnibus esset præditus; & qui contrà unam peccaret, contrà omnes peccaret; & unâ destructâ omnes destruerentur: adde quòd potest aliquis operationes frequentes exercêre circa objectum virtutis alicujus partialis, & ex illius solius motivo operari: is autem tunc virtutis illius duntaxat habitum acquirit, non autem cæterarum.

Cæterùm,

Cæterùm, dum assero virtutes omnes in quolibet statu, imò & heroico, non esse necessariò inter se connexas, intelligo statum in quo virtus aliqua secundum se perfectissima est; adeò vt eas passiones, quæ sibi sunt propriæ ex objecto suo, superaverit; non autem absolutè, & in omni genere: nam vt aliqua virtus in omni genere perfectissima sit, dicimus eam requirere connexionem cum aliis virtutibus, ita vt sine illis vix tuta esse possit in omni eventu: vix enim fieri potest v. g. vt Iudex, etiamsi iustitiâ, secundùm se perfectissimâ præditus sit, in nullo eventu eam deserat, nisi sit temperatus, adeò vt nullis illecebris ab eâ abducatur; & nisi sit fortis, adeò vt nequidem timore mortis ab eâ deficiat: vno verbo virtutes sunt inter se connexæ non immediatè, ob rationes suprà allatas, sed mediatè, mediante scilicèt prudentiâ totali perfectâ, omnem virtutem exigente: Vel omnes virtutes sunt connexæ, connexione non causali, sed dispositiuâ, & adminiculatâ.

Dico secundò vnamquamquæ virtutem voluntatis in quolibet statu, necessariò connexam esse cum prudentiâ partiali sibi correspondente; quia nullus actus virtutis à voluntate exerceri potest, nisi eius medium rationis ab intellectu propositum sit; sed actus intellectûs medium rationis proponens, est actus prudentiæ; Ergo quilibet actus virtutis voluntatis supponit actum prudentiæ; atque adeò nulla virtus voluntatis potest acquiri, quin simul acquiratur prudentia partialis, illi respondens, illáque dirigens.

Dicendum est tertiò. Moraliter loquendo virtutes omnes voluntatis necessariò connexas esse, cum prudentiâ totali: quia non potest acquiri prudentia totalis, quin exerceantur ejus actus circa objectum ejus totale, quod complectitur objecta omnia, & quin actus omnes virtutum voluntatis sequantur actus prudentiæ; Ergo moraliter loquendo non potest acquiri prudentia totalis, quin acquirantur omnes virtutes voluntatis. Dixi moraliter loquendo; nam absolutè fieri posse videtur, vt voluntas perdita dictamen prudentiæ contemnens, non semper virtutum actus & prudentiæ præscriptum exerceat: sicque prudentia non habet essentialem & necessariam connexionem cum virtutibus moralibus, sed tantùm dispositivam & moralem.

Cæterùm, hîc obiter notandum, quòd, licèt ex prudentiâ pendeant actiones virtutum voluntatis, ipsam tamen prudentiam in multis pendêre ex virtutibus voluntatis: potissimùm in iudiciis ferendis de actionibus partialibus: quia vt ait Aristoteles 3. Rhet. 4. *ita vnusquisque solitus est indicare sibi aliquid esse bonum in particulari*, vt præ cæteris illud eligat, prout affectus est.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Inæqualitate Virtutum.

INæqualitas Virtutum duplex est; gradualis, quæ est inter virtutes ejusdem denominationis & essentiæ, Subjectis tamen diversæ, qualis cernitur inter geminam duorum hominum fortitudinem: & specifica quæ est inter virtutes specie diversas, qualis est inter fortitudinem & justitiam ad invicem comparatas. Inæqualitatem gradualem esse in virtutibus, patet, quia virtus specie vna, potest in variis subjectis esse inæqualiter diversa, vt patet experientiâ: vnus enim est fortior, iustior, & temperantior altero.

Inæqualitatem verò specificam dari inter virtutes morales,probatur; quia prudentia primum locum sibi vindicat, iustitia secundum, fortitudo tertium, & temperantia quartum. Prudentiam reliquis anteponimus; quia præscribit leges reliquis virtutibus; atque adeò est earum regina: secundas partes tenet Iustitia: quia objectum nobilius habet fortitudine & temperantiâ; versatur enim circa operationes ad alterum, quibus homo non in se tantùm, sed erga alios perficitur: Tertias tenet fortitudo, & vltimum locum Temperantia; quanto enim nobilius est obsistere objectis illis terribilibus, quibus fortitudo imperterrita occurrit, quàm blandis voluptatum illecebris, tantò melior censeri debet fortitudo, quàm temperantia. Illud autem confirmatur, quia, inæqualitas virtutum est præsidentia illius suprà alias, ex præcellentia motiui & objecti formalis, in quod tendunt: ita vt ea habeatur eminentior: cujus obiectum formale eminet cæterarum virtutum obiectis: sicut enim constitutio & specificatio virtutis petitur ex motiuo, ita derivanda est inde eius præexcellentia: at experientiâ constat vnam virtutem habêre nobilius obiectum & motivum, quàm aliam.

ARTICVLVS SEXTVS.

De subordinatione Virtutum.

HIc non agitur de subordinatione posteriorum trium virtutum ad prudentiam: ista enim subordinatio est indubitata; sed tantùm de subordinatione virtutum purè moralium inter se: illa autem virtus dicitur subordinari alteri, cujus actus potest dependêre ex præscripto alterius, & ex eâ tanquam ex fine accipere suum esse; sed actus unius virtutis ex aliâ virtute fluere ac dependêre potest, ergò potest ei subordinari.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

De Vitio.

VItium latè sumitur pro quolibet defectu; & sic Augustinus 3. de libero arbitrio 14. hæc habet, *quod naturæ perfectioni deest id vitium est*, At vitium strictè & propriè, est habitus qui malum facit habentem, & opus ejus reddit malum; vel est habitus operativus mali inclinans ad actus moraliter malos, & difformes rectæ rationi; vel est *habitus à mediocritate deflectens:* differt autem à peccato, quòd hoc denotet actionem malam; illud verò habitum inclinantem ad malas actiones. Vitium opponitur contrariæ virtuti, eámque formaliter expellit; ideò subjectum vitii & virtutis idem est; contraria enim versantur circa idem subjectum speciе, imò necessario successiuè: cùm autem oppositorum opposita sint prædicata, & contrariorum contraria consequentia; quæcunque ferè dicta sunt de virtute, per oppositam rationem possunt dici de vitio. Vitia autem non sunt inter se connexa, sicut virtutes; quia, cùm vitia sint extrema, alia aliis sunt oppsita; v. g. cum prodigalitate pugnat avaritia &c. at virtutes inter se nullam oppositionem habent, ideò societatem inire possunt.

CAPVT TERTIVM.

De Viirtutibus in particulari.

QVatuor sunt virtutes in particulari, quæ vulgò dicuntur Cardinales, scilicet Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia; sic dictæ, quia in illis veluti cardinibus vita humana formari debet: in qualibet autem istarum virtutum, triplicis generis partes sunt distinguendæ; scilicèt subjectivæ, integrantes, & potentiales.

Partes subjectivæ dicuntur virtutes, quæ sub aliqua virtute; tanquàm species sub genere; continentur.

Partes integrantes sunt virtutes, quæ concurrunt ad integrum atque perfectam virtutis alicujus actum.

Partes potentiales sunt virtutes, quæ habent cum alia virtute aliquam conjunctionem, & similitudinem; deficiunt tamen ab ejus perfectâ ratione & naturâ: de iis autem omnibus sigillatim agendum.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Prudentia.

PRudentia est *habitus intellectus vera cum ratione activus, circa ea quæ bona vel mala sunt homini*; vel est habitus directivus humanarum actionum in particulari, bonas proponendo ut exerceantur, malas verò ut fugiantur: quod ut præstet, debet proposito fine deliberare de mediis, ac judicare quænam sint magis accommodata ad finem consequendum; deinde per judicium practicum, ea proponere voluntati, ut executioni mandanda. Objectum materiale prudentiæ proximum sunt actiones speciales elicitæ aliarum virtutum; remotum verò objectum prudentiæ non est aliud quàm materia, circa quam prædictæ actiones speciales versantur; objectum formale prudentiæ est vera honestas ex mediocritate resultans: licèt autem prima radix honestatis cernatur, in objecto materiali remoto scilicet in materiâ mediocri; attamen accommodari potest ad objectum materiale proximum, scilicèt ad actionem externam circa talem materiam versantem.

Actus eliciti prudentiæ sunt quatuor: primus est iudicium practicum

cum circa finem; ex quo iudicio oritur intentio; secundus est consultatio de mediis, quibus obtinetur finis: quæ consultatio sequitur intentionem efficacem: tertius est iudicium practicum pronuncians de bonitate medii assumendi, ex quo iudicio oritur electio & consensus: quartus est imperium, ex quo usus oritur.

Circa hos actus oritur quæstio gravissima scilicet an voluntas sequatur necessariò & infallibiliter dictamen & iudicium ultimum intellectûs, vide disput. de Libertate.

Partes subiectivæ prudentiæ sunt, Monastica seu personalis; quæ dirigit actiones cuiuslibet hominis particularis: & gubernatrix, cuius quatuor sunt species: scilicèt œconomica familiæ gubernationem spectans; Politica seu civilis administrationem civitatis & statûs respiciens; Legislatrix, quæ est propria eius qui leges condit; & militaris, qua aliquis rectè militiam administrat.

Partes potentiales prudentiæ tres communiter afferuntur; scilicèt Eubulia, Synesis, & Gnome. Eubulia dicitur virtus, quâ quis bene consultat: Synesis vulgò dicitur, bene iudicativa secundum leges communes: & Gnome est virtus bene iudicativa absque lege.

Partes integrantes prudentiæ vulgò octo numerantur: scilicèt memoria, intelligentia, docilitas, solertia, ratio, providentia, circumspectio, & cautio. Memoria est recordatio rerum præteritarum: quia cognoscit præterita, facile prævidet futura: Cæterùm pas memoriæ est sapientia, quæ ex multis recordationibus perficitur: estque, maximum subsidium quod prudentiæ à memoriâ adveniat.

Intelligentia, quæ est secundum subsidium prudentiæ, est intima negotii præsentis introspectio; seu vis rectè æstimandi bonum, quod in præsentia proponitur.

Docilitas, est quâ quis aliena consilia libenter excipit, nec suâ tantùm prudentiâ inniti, sed aliorum bene monentium ductu dirigi, paratus est.

Solertia ab Aristotele 6. Eth. dicitur bona & prompta conjectatio, & subita cum ingenio celeritas.

Ratio est expedita ratiocinandi & objectum conferendi facultas.

Providentia, à quibusdam dicitur ordinatio mediorum idoneorum ad finem; ab aliis, sagacitas seu prospicientia rerum procul positarum: quo pacto providentia, quam à prævidendo dictam esse volunt, habet vim quamdam odorum; cùm spe longe remoti eventus sagaciter præsentiantur.

Circumspectio est consideratio eorum, quæ rem circumstant.

Cautio distinguitur communiter à providentiâ, quòd hujus sit vitare mala intrinsecè & velut ex materia rei opposita bonis, quæ quæruntur: illius autem sit declinare extrinsecè impedimenta, quæ possunt obstare bonis consiliis, eáque irrita aut noxia reddere. Ab aliis cautio dicitur discretio boni veri, à bono apparente.

Vitia opposita prudentiæ per defectum sunt Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, seu Levitas, & Negligentia: per excessum verò, Astutia seu Calliditas, Dolus, Fraus, & nimia sollicitudo.

Præcipitatio est quâ, nec finis per quam tranquillitas animi constituitur, nec media quæruntur ac perpenduntur.

Inconsideratio, prout à præcipitatione consilii sejuncta, opponitur particulari prudentiæ, quæ rectè de negotio pronunciat, & conformatur ad naturam rationalem ex attentione & omnium adiunctorum diligenti illustratione: quod rei gravitas deposcit.

Inconstantia est cessatio à recto iudicio semel suscepto, quod incontinuatum esse oportebat.

Negligentia est cessatio voluntatis in inquisitione necessaria, ad effodiendum latentem agibilium veritatem; vel est cessatio intellectûs ab eiusmodi inquisitione: talis autem negligentia, vel crassa est, vel affectata.

Astutia seu calliditas communiter & strictè sumitur pro iudicio, seu notitia pravorum mediorum ad fallendum: estque adeò similis prudentiæ, ut in scripturis vocetur prudentia carnis.

Dolus & fraus sunt partes & executio calliditatis pravæ. Dolus est executio astutiæ & prudentiæ carnalis per verba; alii volunt per verba & facta: fraus est eiusmodi executio per facta.

Solicitudo nimia temporalium eatenus opponitur prudentiæ, quatenus rationem absorbet, nimiâ cogitatione de ejusmodi bonis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Iustitia.

IVstitia definitur à Iurisconsultis, *perpetua voluntas ius suum unicuique tribuendi*; seu virtus perpetuò inclinans voluntatem ad dandum unicuique, quod ex Iure suo debetur: adeo ut sine iniuriâ denegari non possit.

Iustitia dividitur in distributivam, & commutativam: distributiva est virtus per se intendens æqualitatem geometricam partibus communitatis debitam: dixi *partibus communitatis*, civibus scilicet: dixi *debitam per se*: quia aliæ quoque virtutes plerumque geometricam æqualitatem intendunt; sed, vel absque debito, vel per accidens tantùm.

Cæterùm, subiectum iustitiæ distributivæ est Princeps distribuens, & cives distributionem prosequentes. Ab aliis iustitia distributiva dicitur virtus distribuens præmia & pœnas pro meritis.

Iustitia

Iustitia commutativa, est *virtus intendens æqualitatem arithmeticam, circa commercia.* Sex communiter numerantur partes potentiales iustitiæ: scilicèt amicitia, cui affines sunt benevolentia, misericordia, & clementia; gratitudo, affabilitas, veracitas, fidelitas, liberalitas:

Amicitia est benevolentia mutua utrinque cognita: Benevolentia seu charitas affinis est amicitiæ: quia in ea includitur: est enim simplex amor sine redamatione. Benevolentiæ opponuntur odium, invidia, & simulatio: de odio actum est suprà.

Odii frutex est invidia: invidia enim manat ex odio tanquàm ex causa; licèt autem physicè odium & invidia differant, moraliter tamen pertinent ad idem vitium: eiusdem enim inhonestatis est, tristari de alieno bono, & gaudêre de alieno malo: Invidia est actus animi pusilli, & nimium suspicientis res illas quas videt in aliis, quibus invidet, eminêre: scilicèt, gloriam, opes, voluptates, &c. Neminem verò oportet esse invidum: nam eo ipso quòd quis alteri invidet, veluti deiicitur ac statuitur infrà eum cui invidet: invidere enim non possumus, nisi iis, quos nobis in aliquo meliores putamus: ut patet exemplis Cain, fratrum Iosephi, Saülis: hinc Socrates invidiam ulcus animæ appellavit.

Misericordia, non secus ac benevolentia & charitas, ægrè alienum malum fert, atque adeò non est virtus à benevolentia & charitate distincta, nisi inadæquatè: quatenus scilicèt misericordia est erga miseros, charitas erga omnes.

Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi, vel lenitas superioris erga inferiorem in instituendis pœnis.

Gratitudo est virtus circa actus, quos persona gratiam benefactori reddens exercèt.

Vitium oppositum est ingratitudo: quæ est vel materialis, absque contemptu benefactoris: vel formalis, cum neglectu & eius contemptu.

Affabilitas seu cómitas versatur circa congressionem & conuentum: præsertim circa colloquia cum aliis: quia homo affabilis ita studet omnia attemperare, ut proximo grata sint, nihilque agere, quod hominem in civili vita degentem non deceat. Affabilitati adversatur per excessum adulatio, per defectum verò morositas.

Simplicitas denotat animi lenitatem, referendæ iniuriæ nesciam, coniunctam cum quadam naturæ bonitate, quâ quis ægrè inducitur ut de alio suspicetur, quod à viro probo alienum putat.

Fidelitas, quæ ab aliis dicitur fides, est *veritas factorum*: cuius fundamentum promissio dicitur. Distinguitur veritas à fidelitate, quòd fidelitas intendat conformitatem factorum cum dictis: veritas autem, conformitatem dictorum cum mente.

Liberalitas est mediocritas, quæ circa pecuniam dandam versatur. Ad liberalitatem refertur Magnificentia: quæ est extraordinaria &

insignis liberalitas : ideò magnificentia, prout est ad aliud, & liberalitas differunt tantùm penes maiores aut minores sumptus. Liberalitati per excessum opponitur prodigalitas, & per defectum avaritia.

Religio propriè & strictè, est virtus circa cultum Dei: latè complectitur eas omnes virtutes quibus alieno debito satisfacimus.

Pietas interdùm sumitur pro religione; interdum pro misericordiâ & benignitate, necnon pro virtute erga pauperes officiosâ.

Observantia est virtus, per quam ætate, sapientiâ, aut aliquâ dignitate antecedentes, reveremur.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Fortitudine.

FOrtitudo est virtus moralis inducens mediocritatem in affectus timoris & audaciæ. Nullæ propriè sunt partes subjectiuæ, integrantes, & potentiales fortitudinis; sed sola diversitas est penès diversas fortitudinis materias.

At partes impropriè dictæ fortitudinis in ordine ad aggressionem, duæ sunt; scilicèt fortitudo militaris, & magnanimitas; in ordine verò ad sustinentiam seu perpessionem, quatuor sunt, æquanimitas, patientia, constantia, & perseverantia.

Fortitudo militaris est ea quæ belli pericula spectat. Magnanimitas hoc loco, est fiducia, & generosa mentis erectio adversus difficultatem in virtutis exercitatione insurgentem etiam extrà rem bellicam.

Æquanimitas est Virtus sustinendi fortunarum iacturam. Patientia latè comprehendit omnes virtutes ad sustinentiam pertinentes; strictè verò sumitur pro virtute sustinendi iniurias & convitia.

Constantia latè sumpta est virtus sustinendi omnia vitæ incommoda; strictè verò est virtus sustinendi omnia vitæ incommoda, exceptis iniuriis & iacturâ bonorum. Perseverantia est firma sive in aggressione, sive in sustinentia; ad finem vsque permansio; vnde vulgò dicitur coronare opus.

Vitia verò fortitudini opposita sunt duo; vnum per defectum, scilicèt timiditas, seu ignavia: alterum per excessum: scilicèt temeritas, seu nimia audacia.

Timiditas est quâ homo in periculis animo cadit, & nimio timore correptus, abnegat actionem, & difficultati propositæ succumbit: non enim omnis timor interdictus est; cùm possint & debeant quædam mala

mala timeri, sed vt hominem decet; & ita vt homo, eo timore non patiatur se avelli à studio boni, paratúsque sit ipsam deserere vitam, si res postularet, potiùs quàm timore mali violet virtutem.

Temeritas est excessus in aggrediendo & confidendo; quo scilicèt homo in periculis nimium confidit, & minùs metuit, quàm par est.

ARTICVLVS QVARTVS.

De Temperantia.

TEmperantia est *virtus moderans delectationes, & tristitias.* Species temperantiæ spectantes bonum hominis internum, potissimùm sunt Philautia moderata, Studiositas, Abstinentia, Castitas, Eutrapelia, & Modestia.

Philautia moderata est virtus qua corpori suo quisque bonum catenus vult, quatenus est idoneum animæ instrumentum ad functiones honestas obeundas.

Studiositatis duo distinguuntur munera; alterum ad scientiæ comparationem; alterum ad formandam ac temperandam scientiæ appetentiam, quæ plerumque est iusto major: hæc virtus commendatur ab Apostolo, quùm homines hortatur, non plus sapere quàm oporteat, sed sapere ad sobrietatem. Studiositati opponitur in excessu curiositas; in defectu, scientiæ negligentia.

Abstinentia est virtus moderandis delectationibus quibusdam intenta, estque bimembris: nam & esculenta respicit, & poculenta: hæc dicitur sobrietas: illa verò abstinentia simpliciter.

Castitas est virtus modum ponens delectationibus tactûs: præsertim circa Venerem: estque vel virginalis, vel vidualis, vel coniugalis, vel pudicitia quæ cohibet oscula, aliáque signa actui Venereo subordinata. Castitati per excessum opponuntur, Sodomia, incestus, adulterium fornicatio simplex, spurcitia in se ipsum, & turpiloquium.

Eutrapelia hîc à nobis sumitur, prout duntaxat continet honestam delectationem, & relaxationem, quâ ratione apertum est, eam extrà verborum iocos etiàm cerni posse: cùm possit homo etiamsi sit solus animum remittere: quod munus est habitus virtutis.

Modestia est virtus circa gestus, motusque corporis rectè compositos occupata: huic per excessum externæ compositionis opponitur hypocrysis: per defectum verò, immodestia.

Mansuetudo hoc loco est virtus aut mediocritas inter iræ excessum

& defectum: cùm scilicet quis, vbi, quando oportet & quibus oportet irascitur, adde & quo modo debet, mansuetus dicitur: quòd si quis, ob quid oportet, quando, & in quos oportet non irascitur, profectò stolidus esse videtur. Mansuetudini per excessum opponitur iracundia, & sævitia effrenata: per defectum verò, lentitudo, seu nimia iræ vacuitas.

Humilitas est virtus moderatrix optionis honoris & gloriæ: huic per excessum opponitur superbia: & per defectum, pusillanimitas circa honorem in virtute fundatum.

FINIS.

Sed quoniam Author in hoc Ethica Compendio Lectorem ad Disputationem suam de Libertate *aliquoties remittit; ideò illam hic addendam esse putavimus.*

DISPVTATIO
DE
LIBERTATE.

1. MVLTI, tum Philoſophi Ethnici, tum Theologi Chriſtiani, de libertate liberè philoſophati ſunt. Quamvis autem ex variis & contrariis eorum ſcriptis, huic doctrinæ enodandæ non parùm luminis affulſiſſe exiſtimem: Plurima tamen poſteris inquirenda, & diligentiùs examinanda eos reliquiſſe non dubito. Quamobrem ego veſtigiis eorum inſiſtens, & aliquando ab iis deflectens; aliquid novi in hac materia tradere, aut jam traditum clariùs explicare propoſui; ut quid de ea ſentiendum ſit tutò ac faciliùs dignoſcatur. Primò, autem agam de actionibus quarum cognitio neceſſaria eſt ad intelligentiam libertatis. Secundò, de libertate in genere. Tertiò, de libertate Dei. Quartò, de libertate creaturæ intelligentis, ac potiſſimùm hominis, in genere. Quintò, de libertate hominis in quolibet ſtatu.

CAPVT PRIMVM.

De Actionibus Quarum Cognitio Neceſſaria eſt ad Intelligentiam Libertatis.

2. ACtiones quarum cognitio neceſſaria eſt ad intelligentiam libertatis ſunt. 1. Naturalis & violenta. 2. Spontanea & coacta. 3. Voluntaria & involuntaria. 4. Libera & neceſſaria. De quibus quanta fieri poterit brevitate & claritate tractabimus, incipientes à naturali.

DE ACTIONE NATVRALI ET VIOLENTA.

3. Actio naturalis opponitur vel supernaturali, vel artificiali, vel liberæ libertate indifferentiæ, vel violentæ. Vnde ut actio sit omnimodè naturalis, necesse est ut neque sit supernaturalis, neque artificialis, neque libera libertate indifferentiæ, neque violenta.

4. Sicut actio supernaturalis sumitur duobus modis: Ita & naturalis. Actio supernaturalis sumitur primò, pro ea quæ superat vires agentis naturalis, scilicet creaturæ; nec potest exerceri nisi ab agente supernaturali, scilicet à Deo; sive quoad rem; sive quoad modum: quoad rem quidem, cùm res seu effectus non potest produci nisi à Deo, ut creatio mundi, illuminatio cæci, suscitatio mortui, &c. Quoad modum verò, cùm effectus potest quidem produci ab alio quam à Deo, non tamen eodem modo, ut curatio febris aut paralysis instantanea: Licet enim febris, & fortè paralysis possit curari ab homine; non potest tamen curari in instanti nisi à Deo. Secundò, actio supernaturalis sumitur pro ea quæ exercetur quidem ab agente naturali, scilicet à creatura; non tamen viribus propriis & naturalibus, sed tantùm virtute aut qualitate supernaturali à Deo producta. Verbi gratiâ, credere in Christum est actio supernaturalis: licet enim exerceatur ab homine, cum ipse homo credat, non Deus in homine: attamen non exercetur viribus naturalibus hominis, sed virtute & lumine supernaturali fidei, à Spiritu sancto in homine producti.

5. Actio naturalis prout opposita supernaturali, sumitur etiam duobus modis. Primò, pro ea quæ exercetur aut potest exerceri ab agente naturali, scilicet à creatura: Et hoc sensu actus fidei justificantis potest dici actio naturalis. Secundò, pro ea quæ exercetur ab agente naturali vi propria & naturali, ut combustio ligni ab igne: Et hoc sensu actus fide iustificantis non est actio naturalis.

6. Rursus, sicut actio artificialis dicitur ea quæ exercetur ab homine per directionem præceptorum, ut constructio domus: Ita actio naturalis prout opposita artificiali dicitur ea quæ exercetur ab homine sine directione præceptorum, ut confectio argumentationis sine directione præceptorum logicorum à rustico aut alio qui nunquam ea didicit.

7. Præterea actio, naturalis prout opposita liberæ libertate indifferentiæ, est ea quæ exercetur ab agente ad unum determinato; atque adeò nihil aliud est quàm actio necessaria; de qua, necnon de libera; fusiùs agetur postea.

8. Denique, sicut actio violenta dicitur ea quæ est à principio extrinseco contra propriam inclinationem, ut si quis patrem tanta vi impellat

impellat in filium, ut pater nequeat obsistere quin cadat, & cadendo filium opprimat, talis oppressio est violenta. Ita etiam actio naturalis prout opposita violentæ, dicitur ea quæ est à principio intrinseco secundùm impropriam inclinationem, ut illumininatio aëris Sole. In hac autem disputatione sumemus actionem naturalem prout oppositam violentæ.

9. Actio naturalis prout opposita violentæ duplex est. Vna quæ exercetur ab agente sine cognitione, ut combustio stupæ ab igne, & attractio ferri à magnete. Altera quæ exercetur cum cognitione; idque dupliciter: vel enim exercetur cum cognitione tantùm, non autem ex cognitione seu per cognitionem, quando scilicet cognitio non est causa actionis; ut concoctio cibi in stomacho medici potest exerceri cum cognitione concoctionis, non tamen per cognitionem illius; cum cognitio non sit causa concoctionis; & licet medicus eam non cognosceret, non tamen fieri desineret: Vel exercetur non tantùm cum cognitione, sed etiam ex cognitione & per cognitionem, quando scilicet cognitio est causa actionis, & sine ea exerceri non potest; ut deambulatio in horto sanitatis gratia; cognitio enim bonitatis seu utilitatis quæ est in deambulatione, est causa deambulationis. Cæterùm actio naturalis quæ est sine cognitione, aut quæ est cum cognitione, sed non ex cognitione, est purè & tantùm naturalis, & retinet nomen generis: At actio naturalis quæ est ex cognitione seu per cognitionem, non tantùm est & dicitur actio naturalis, sed etiam spontanea; de qua jam agendum est.

DE ACTIONE SPONTANEA ET COACTA.

10. Actio spontanea dicitur ea quæ exercetur ab agente per cognitionem, & secundùm propriam inclinationem: sive talis cognitio sit supernaturalis & ab extrinseco; ut cum quis credit in Christum per cognitionem supernaturalem à Deo communicatam; homo enim non credit coactè, sed sponte: sive talis cognitio sit naturalis & ab intrinseco; ut cum quis sitiens, & potum gratum inveniens, cognoscit eum sibi esse salutarem, & bibit sponte.

11. Hinc patet quænam sit differentia inter actionem sponteam, & naturalem. Primò, quòd omnis actio spontanea supponat in agente cognitionem per quam agit, ut dictum est in definitione actionis spontaneæ: At non omnis actio naturalis præsupponit cognitionem, ut videre est in combustione & illuminatione. Secundò, quòd omnis actio naturalis sit à principio intrinseco virtute propriâ & naturali agente: At non omnis actio spontanea est ejusmodi, ut cùm quis credit in Christum, virtute fidei à Deo communicatæ.

12. Cæterùm, licet dentur actiones spontaneæ, quæ neque sunt naturales, neque violentæ, ut actus fidei justificantis & charitatis Christianæ: Et licet dentur actiones naturales, quæ non sunt spontaneæ, ut combustio, concoctio, &c. Certum est tamen multas dari actiones, quæ simul sunt naturales & spontaneæ, ut comedere & bibere in animalibus: sunt enim actiones naturales, quatenus sunt à principio intrinseco secundum inclinationem propriam: sunt verò actiones spontaneæ, quatenus per cognitionem exercentur. Et per consequens actiones naturales & spontaneæ non sunt semper distinctæ & oppositæ.

13. Ex superioribus manifestum est, quòd actio naturalis ad plura se extendat quàm spontanea: siquidem actio naturalis reperitur in omnibus agentibus, quæ naturaliter amant bonum suum: at actio spontanea reperitur tantùm in agentibus ex cognitione: & ideo actio naturalis est in rebus tum animatis tum inanimatis; sed actio spontanea est tantùm in rebus viventibus vita sensitiva aut intellectiva. Attamen actio naturalis rerum cognitione carentium dicitur simpliciter naturalis, & retinet nomen generis, ut dictum est.

14. Actio violenta, quam esse à principio extrinseco contra propriam inclinationem agentis suprà definivimus, duplex statuitur à Philosophis: una, quæ exercetur ab agente cognitione destituto; & hæc est purè & tantùm violenta, ut motus lapidis sursum projecti: Altera, quæ exercetur ab agente cognoscente; & hæc non tantùm est violenta, sed etiam coacta, de qua jam agendum est.

15. Actio coacta dicitur ea quæ ab agente cognoscente exercetur contra propriam inclinationem: Estque duplex. Vna, quæ contra propriam inclinationem exercetur ab agente cum cognitione tantùm, non autem ex cognitione; quando scilicet cognitio non est causa actionis, sed potiùs resistentiæ; ut si quis patrem in filiolum impellat, adeo ut eum protrudat, sternat & opprimat invitus; talis protrusio & oppressio filii est actio coacta cum cognitione non ex cognitione, quia cognitio non est causa oppressionis, cum pater totis viribus resistat impulsui ne filium opprimat. Altera, quæ contra propriam inclinationem exercetur ab agente, non tantùm cum cognitione, sed etiam ex cognitione, quando scilicet cognitio est causa actionis; ut si quia tempestate vexatus, & sibi metuens à naufragio, levandæ navis & vitandi periculi causa, merces suas projiciat in mare; talis projectio erit actio coacta, non tantùm cum cognitione, sed etiam ex cognitione; quia cognitio periculi est causa projectionis, id est judicium quòd periculum vitæ est majus malum quàm projectio mercium, & conservatio vitæ est majus bonum quàm conservatio mercium, causa est ut merces projiciantur.

16. Omnis actio coacta prioris generis, est etiam violenta, cum fit à principio extrinseco contra propriam inclinationem agentis: at omnis

omnis violenta non est coacta, cum coacta supponat cognitionem in agente, ut patet ex definitione ejus; non autem omnis violenta, ut patet in motu lapidis sursum projecti. Rursus actio coacta posterioris generis nunquam est violenta: siquidem in tali actione coacta, cognitio est causa actionis; at in actione violenta, cognitio, si qua sit, non est causa actionis, sed potiùs resistentiæ: Et talis actio coacta, licet remotè sit à principio extrinseco, putà projectio mercium à vi ventorum; proximè tamen est à principio intrinseco, scilicet ab appetitu aut voluntate talem actionem imperante.

17. Actio spontanea duplex est: una quæ exercetur ab agente ex imperfecta cognitione, scilicet ex sensitiva tantùm; & hæc est purè & tantùm spontanea, & retinet nomen generis, ut comedere & bibere in bruto: Altera quæ exercetur ab agente ex perfecta cognitione, scilicet ex intellectiva aut rationali; & hæc est non tantùm spontanea, sed etiam voluntaria, de qua jam agendum est.

DE ACTIONE VOLVNTARIA ET INVOLVNTARIA.

18. Actionum voluntarium, aliæ sunt elicitæ, quæ exercentur ab ipsa voluntate, ut volitio aut amor boni honesti, & nolitio seu odium mali: aliæ verò sunt imperatæ, quæ exercentur quidem ab aliis facultatibus, sed imperantur à voluntate, ut edere & bibere, ambulare & sedere. Ad hoc autem ut actio sit voluntaria, duo necessariò requiruntur: Primò, ut exerceatur aut imperetur à voluntate: Secundò, ut sit ex perfecta cognitione intellectiva. Vt autem sit omnimodè voluntaria requiritur præterea ut sit secundùm inclinationem voluntatis.

19. Actio igitur voluntaria dicitur ea quæ est ab agente ex perfecta cognitione intellectiva; id est quæ exercetur aut imperatur à voluntate per cognitionem perfectam intellectivam. Tunc autem intellectus habet perfectam cognitionem actionis; quando cognoscit ea quæ sunt essentialia & accidentalia actioni; scilicet materiam seu objectum, finem, & circumstantias ejus, saltem principales.

20. Actio voluntaria duplex est: una omnimodè voluntaria, quæ non tantùm est à voluntate ex perfecta cognitione, sed etiam secundùm inclinationem voluntatis, ut amor parentum erga liberos: Altera est simpliciter voluntaria & secundum quid involuntaria, quæ quidem est à voluntate ex perfecta cognitione, sed contra inclinationem voluntatis, ut projectio mercium in mare metu naufragij; & hæc à quibusdam dicitur mixta ex voluntario & involuntario.

21. Omnis actio omnimodè voluntaria est spontanea, cum sit ab agente ex cognitione secundùm propriam inclinationem: At non

omnis actio spontanea est voluntaria; quia omnis actio voluntaria est ex perfecta cognitione; multæ autem sunt actiones spontaneæ quæ sunt tantùm ex imperfecta cognitione, ut actiones brutorum.

22. Omnis actio omnimodè voluntaria, non tantum est spontanea, sed etiam naturalis, si fit à principio intrinseco, ut amor honesti in Adamo integro: at si fit à principio extrinseco, non est propriè naturalis, ut credere in Christum.

23. Denique, nulla actio simpliciter voluntaria & secundum quid involuntaria, debet dici spontanea aut naturalis: quia est contra inclinationem propriam, vt patet in projectione mercium metu naufragij.

24. Ex superioribus patet: 1. Dari actiones voluntarias quæ neque sunt spontaneæ neque naturales, ut projectio mercium metu naufragij, amputatio brachij gangræna corrupti metu mortis. 2. Dari actiones voluntarias quæ sunt spontaneæ & naturales, ut amor honesti in Adamo integro. 3. Dari actiones voluntarias quæ sunt spontaneæ, non tamen naturales, ut credere in Christum. 4. Dari actiones naturales quæ neque sunt spontaneæ neque voluntariæ, ut combustio ligni ab igne, illuminatio aëris à Sole. 5. Dari actiones naturales quæ sunt spontaneæ, non tamen voluntariæ, ut edere & bibere in brutis: Et hæ sunt simpliciter spontaneæ, & retinet nomen generis, ut dictum est.

25. Tria sunt quæ reddunt actionem involuntariam. 1. Vis aut coactio. 2. Ignorantia. 3. Passio corporis aut animi. His addunt alij habitum. De quibus omnibus sigillatim agendum est.

DE VI TOLLENTE VOLVNTARIVM.

26. VIs aut coactio fieri dicitur duobus modis. 1. Cùm vis tanta est, ut non possimus resistere, licet vehementissimè exoptemus; ut si ponatur ensis in manu patris & vi impellatur in pectus filij. 2. Cum vis talis est ut resistere quidem possemus si vellemus, sed majus malum vrgens in causa est ut violentiæ tanquam minori malo cedamus, ut si quis projiciat merces in mare metu naufragij. Vis prioris generis reddit actionem omnimodè involuntariam; cum actio tunc nec exerceatur, nec imperetur à voluntate, & fit contra inclinationem ejus. At vis posterioris generis non impedit quominus actio sit simpliciter voluntaria, cum imperetur à voluntate ex perfecta cognitione; facit tamen ut sit involuntaria secundùm quid, quatenus scilicet est contra inclinationem voluntatis.

27. Ex eo quòd vis prioris generis tollat prorsus voluntarium, infertur nullam actionem sic violentam esse voluntariam; & juxta doctrinam propositionum contrariarum quæ simpliciter convertuntur;

neces-

necessariò sequitur nullam actionem voluntariam esse sic violentam; atque adeò voluntatem in actionibus suis jam existentibus sive elicitis sive imperatis, vim prioris generis pati non posse, ita ut superetur invita: Non quidem in actionibus elicitis, quæ sunt velle bonum & nolle malum; quia in illis voluntas agit ex perfecta cognitione secundum inclinationem propriam; cum voluntas non feratur sponte actu positivo, scilicet volitione & amore, nisi in bonum vel verum vel apparens; & actu negativo, scilicet nolitione & odio, malum apprehensum ut tale sponte aversetur: Non etiam in actionibus imperatis; nam visione aut ambulatione imperata à voluntate, homo non videt aut ambulat coactè, sed sponte & voluntariè.

28. Dixi in actionibus jam existentibus: siquidem in actionibus saltem imperatis nondum existentibus, voluntas vim prioris generis pati potest & negativè & positivè. Nam voluntatem negativè vim pati, nihil aliud est quàm positis omnibus ad agendū necessariis, impediri exercitium actus voluntatis qui alioquin exerceretur: voluntatem verò positivè vim pati, est cogi extrinsecus ad exercitium actus contra inclinationem voluntatis. Sed homo in exercitio actionum imperatarum à voluntate, potest impediri; putà si homo velit currere aut videre, cursus & visio possunt impediri à fortiori: homo etiam potest cogi ad exercitium earum renitente ejus voluntate; putà si cui per vim aperiantur oculi, ut videat quæ non vult videre, ubi tunc visio licet naturalis respectu potentiæ visivæ, erit violenta respectu voluntatis. Ergo voluntas in actionibus saltem imperatis vim pati potest positivè & negativè: Et utrobique tollitur prorsus voluntarium, sive per vim prohibeatur homo facere quæ animo designarat, sive per vim compellatur ad agendum id à quo animus ejus abhorret.

29. Dixi saltem in actionibus imperatis: Nam in actionibus propriis & elicitis, voluntati vis positivè inferri non potest; quia implicat contradictionem eundem actum fieri à principio interno secundùm inclinationem agentis, & ab eodem non fieri. Sed id contingeret si voluntati vis inferretur positivè quoad actus proprios & elicitos: Siquidem violentum dicitur illud quod est à principio extrinseco contra inclinationem propriam agentis, atque adeò contra inclinationem voluntatis in agentibus ex cognitione perfecta: Ergo actus in cujus exercitio voluntas vim pateretur esset à principio externo ipsa voluntate repugnante. Fieret verò à principio interno; quia omnis actus proprius voluntatis est ab ipsa voluntate secundùm ejus inclinationem; cum talis actus sit vel volitio boni, vel nolitio mali, quæ sunt actus conformes inclinationi naturæque voluntatis, ut suprà. Ergo voluntati non potest vis inferri positivè. An verò ei possit vis inferri negativè dubitatur: Et communis sententia est, voluntati vim inferri posse à Deo negativè quoad actus proprios & elicitos; quia positis omnibus ad volendum aut nolendum necessariis, voluntas potest impediri à Deo ne

exerceat actum proprium, putà si Deus deneget ipsi concursum suum sine quo non potest operari. Verùm disputatione de causa peccati hoc accuratiùs tractabitur.

DE IGNORANTIA TOLLENTE VOLVNTARIVM.

30. Ignorantia in genere est carentia scientiæ aut cognitionis in subjecto capaci: si enim sit in subjecto incapaci, ut in lapide, dicitur potiùs nescientia aut pura negatio cognitionis.

31. Ignorantia variis modis dividitur. 1. In ignorantiam negationis aut privationis, & eam quæ est pravæ dispositionis. 2. In ignorantiam vincibilem & invincibilem. 3. In ignorantiam juris & facti. 4. In ignorantiam antecedentem, concomitantem & consequentem.

32. Ignorantia negationis est carentia scientiæ aut cognitionis in subjecto incapaci pro tempore & statu in quo est, sed capaci pro alio, ut ignorantia Philosophiæ in infante; cum infans quandiu est infans sit incapax Philosophiæ, licet ejus sit capax alio tempore & in alio statu, scilicet quando est ætate provectus; sicut catulus mox natus, per aliquos dies, scilicet per undecim, ut communiter fertur, est incapax visionis, quibus elapsis est ejus capax. Alij vocant hanc ignorantiam puræ negationis: Verùm puram negationem in subjecto semper incapaci duntaxat existere censeo.

33. Ignorantia privationis Physicæ est carentia scientiæ aut cognitionis in subjecto capaci etiam pro tempore & statu in quo est: Quòd si subjectum non obligetur ad scientiam aut cognitionem habendam, dicitur ignorantia privationis purè Physicæ; ut ignorantia medicinæ in Christiano: si verò aliqua lege obligetur ad eam habendam, dicitur ignorantia privationis Physicæ & moralis simul, ut ignorantia veri Dei in homine ætate provecto.

34. Ignorantia pravæ dispositionis nihil aliud est quàm error positivus scientiæ contrarius; errare enim est unum pro alio putare: atque adeò talis ignorantia præter carentiam scientiæ aut cognitionis veritatis, dicit indicium positivum perversum de re: Et talis est ignorantia hæretici in Religione.

35. Ignorantia invincibilis physicè, est ea quæ vi naturali superari non potest, ut ignorantia Philosophiæ in puero: Ignorantia verò invincibilis moraliter, est ea quæ adhibita omni diligentia morali superari non potest, ut qui in sylva amicum interficit in dumo delitescentem quem prudenter putat esse feram. Ignorantia vincibilis physicè, est quæ potest vi naturali superari, ut ignorantia Phosophiæ in viro: Ignorantia verò vincibilis moraliter, est ea quæ adhibita diligentia morali superari potest, ut si quis in vico interficiat hominem quem non videbat.

36. Ignorantia iuris eſt ignorantia legis aliquid iubentis aut prohibentis, ut ſi quis neſciat exhibendum eſſe honorem magiſtratui: Ignorantia verò facti eſt qua ignoratur factum aliquod eſſe contra legem, ut ſi quis ſciens exhibendum eſſe honorem magiſtratui, ei tamen præſenti non exhibet, eo quòd neſciat eum eſſe magiſtratum.

37. Ignorantia antecedens eſt ea quæ præcedit omnem attentionem intellectus & conſenſum voluntatis adeò ut dici poſſit cauſa actionis quæ ab ignorante exercetur: non quidem poſitiva, ſed privativa; quatenus ſcilicet privat cognitione, quæ ſi adeſſet actionem impediret; ut qui in ſylva exiſtimans ſe nactum eſſe feram, amicum interficit; cum tamen omni diligentia morali adhibita prudenter feram eſſe diceret; eſtque ita affectus, ut ſi amicum fuiſſe noviſſet, non interfeciſſet; unde & facti pœnitentia & dolore tangitur.

38. Ignorantia concomitans eſt ea quæ præcedit quidem attentionem intellectus, non tamen eſt cauſa actionis quæ ab ignorante exercetur, ut ſi quis loco feræ inimicum interficeret, quem ſi talem fuiſſe noviſſet etiam interfeciſſet; unde facti pœnitentia aut dolore non tangitur, ſed lætitia afficitur. Actio quæ eſt ab ignorantia antecedente, dicitur actio ex ignorantia; quia ignorantia eſt cauſa actionis: Actio verò quæ eſt ab ignorantia concomitante, dicitur actio cum ignorantia aut ignoranter facta; quia ignorantia non eſt cauſa actionis.

39. Ignorantia conſequens eſt ea quam agens voluit habere, aut ſaltem cenſetur habere voluiſſe; vnde dicitur ſequi actum voluntatis, & ob id dicitur conſequens: Ignorantia conſequens etiam rectè dicitur ea quam potuimus moraliter & debuimus removere, non tamen fecimus. Talis autem ignorantia vel eſt directè ſeu expreſſè volita, ut cum quis vult ignorare præceptum aliquod ut liberiùs peccet, dicitúrque in ſcholis ignorantia affectata: vel eſt indirectè & implicitè volita, ut cùm quis non omnem adhibet diligentiam quam adhibere poteſt ut præcepti cognitionem habeat; qua in re ſi ſit valde negligens, dicitur ignorantia craſſa.

40. Ad hoc ut ignorantia ſit voluntaria & culpabilis duo requiruntur. 1. Vt ſit aut fuerit in poteſtate ejus qui ignorat eam abjicere, id eſt ut poſſit aut potuerit habere cognitionem rei quam ignorat. 2. Vt is qui ignorat obligetur vi præcepti ad eam abjiciendam, illiúſque præcepti obligationem quodammodo cognoſcat aut cognoſcere poſſit, nulla enim culpa eſſe videtur, ubi contra nullam, aut contra prorſus ignotam obligationem agitur.

41. His ignorantiis ſic explicatis; jam videndum eſt, quænam ex illis faciat voluntarium aut involuntarium; & quænam reddat hominem culpabilem aut inculpabilem: quod ut fiat accuratius.

42. Notandum eſt primò, ad rationem voluntarij duo requiri. 1. Vt exerceatur aut imperetur à voluntate. 2. Vt ſit ex perfecta

cognitione. 3. Vt autem sit omnimodè voluntarium, requiritur præterea ut sit secundum inclinationem voluntatis. Sed ad rationem involuntarij simpliciter, vnum ex illis sufficit; scilicet, vel ut neque exerceatur, neque imperetur à voluntate; vel ut non sit ex perfecta cognitione: Vt autem sit positivè & omnimodè involuntarium, requiritur præterea ut sit contra inclinationem voluntatis.

43. Notandum est secundò, actionem esse voluntariam aut involuntariam, vel realiter, cùm revera talis est; vel moraliter tantùm, cùm judicatur esse talis secundùm regulas prudentiæ, licet revera talis, non sit. Et quod dicitur de actione, dicendum est etiam de cessatione aut omissione actionis; scilicet quòd sit voluntaria, vel involuntaria; realiter, vel moraliter.

44. Denique notandum est actionem procedentem ab ignorantia dupliciter spectari posse, scilicet vel secundum circunstantiam cognitam, vel secundum circunstantiam ignoratam: Verbi gratiâ, emissio sagittæ qua loco feræ interficitur amicus; spectari potest, vel ut emissio sagittæ præcisè cognita, vel ut homicidij causa incognita.

45. His prænotatis dico primò, Ignorantiam quamlibet reddere actionem aut omissionem actionis physicè & realiter involuntariam: quia actio aut omissio actionis quæ est physicè seu realiter voluntaria procedit ex perfecta cognitione, quæ cum ignorantia consistere non potest.

46. Dico secundò, Ignorantiam negationis reddere cessationem seu omissionem actionis simpliciter involuntariam aut non voluntariam, tum realiter, tum moraliter: quia omissio voluntaria est ex perfecta cognitione, quæ non potest consistere cum ignorantia negationis; siquidem talis ignorantia est semper in subjecto tunc incapaci illius cognitionis: Et hæc incapacitas in causa est ut omissio sit simpliciter involuntaria aut non voluntaria, non tantùm physicè & realiter, sed etiam moraliter: nemo enim iudicabit secundùm regulas prudentiæ aliquem omittere voluntariè quod non potest cognoscere, putà nemo prudens iudicabit puerum omittere cultum Dei quem cognoscere non potest. Cæterùm licet talis omissio ex ignorantia negationis sit simpliciter involuntaria aut non voluntaria; non tamen est positivè involuntaria aut voluntaria; cum neque sit contra inclinationem voluntatis, neque secundum illam. Dixi ignorantiam negationis reddere omissionem involuntariam, non autem actionem: quia talis ignorantia nunquam est cum actione sive voluntaria sive involuntaria, cum subjectum sit incapax illius.

47. Dico tertiò, Ignorantiam antecedentem, secundum circunstantiam ignoratam, facere actionem simpliciter involuntariam & realiter & moraliter: cum de re illa nulla potuerit moraliter haberi cognitio, imò actio fiat contra inclinationem voluntatis; non formaliter, sed virtualiter, & interpretativè; ut patet in eo qui amicum, quem prudenter

prudenter putabat esse feram, in sylva interficit. Dixi secundum circumstantiam ignoratam: nam secundum circunstantiam cognitam, pu à provt actio est emissio sagittæ aut globi; ignorantia homicidij antecedens non impedit quominus actio scilicet emissio sagittæ aut globi tormentarij sit simpliciter voluntaria; cum talis emissio sit simpliciter volita: facit tamen ut actio, scilicet emissio, sit involuntaria secundum quid, quatenus est contra inclinationem virtualem voluntatis, à qua non imperaretur si cognosceretur effectus eam consequuturus, scilicet cædes amici.

48. Dico quartò, Ignorantiam concomitantem secundum circunstantiam ignoratam, nec facere actionem voluntariam, nec involuntariam positivè, sed non voluntariam seu involuntariam negativè. Non quidem esse voluntariam patet; quia de re nulla potuit moraliter haberi cognitio: Nec esse involuntariam positivè; quia non est contra inclinationem voluntatis, sed secundùm illam, saltem virtualiter. Ergo debet esse non voluntaria. Id patet exemplo ejus qui inimicum quem putabat esse feram in sylva interficit. Dixi secundùm circunstantiam ignoratam: nam secundùm circunstantiam cognitam facit actionem simpliciter voluntariam, eo modo quo suprà diximus de ignorantia antecedente.

49. Dico quintò, Ignorantiam consequentem, vincibilem, & privationis physicæ aut moralis, facere actionem simpliciter voluntariam: quia talis ignorantia est volita vel explicitè, vel implicitè. Et ideo reddit hominem reum & culpabilem; non autem ignorantia antecedens, & fortè concomitans.

50. Dico sextò, Ignorantiam alicujus circunstantiæ, non facere actionem simpliciter involuntariam, sed tantùm secundum quid, scilicet secundum ejusmodi circunstantiam ignoratam. Ratio est, quia circunstantiæ actionis aliquando sunt innumeræ, difficiles & incertæ: Ideo licet aliqua ex illis ignoretur, actio non definit esse voluntaria; alioquin nullum esset voluntarium. Quare ad actionem voluntariam simpliciter, sufficit ut præcipuæ actionis circunstantiæ cognoscantur.

51. Dico octavò, Ignorantiam seu errorem Iuris naturalis aut gentium neminem vsum rationis habentem excusare, atque adeò non reddere actiones moraliter involuntarias. Cum enim Ius naturale sit id quod natura omnia animalia docuit; & Ius gentium sit id quod naturalis ratio inter omnes homines constituit; manifestum est neminem ejusmodi iuris ignorantiam prætexere posse. Inde illud Menandri, *lex naturæ neminem latet*: Et l. si adulterium ff. ad l. Iul. de adult. *nemo nescit jus naturale*: Et l. 2. C. de in jus vocando *nemo ignorat jus gentium*.

51. Dico nonò, Ignorantiam seu errorem iuris civilis non prodesse in lucro captando, non obesse in damno vitando, & ideo non prodesse

F

vſucapere volentibus, lucra nuptialia aut donationes actis non inſinuatas perſequentibus, & aliis ſimilibus: non obeſſe in dote petenda, in legitima exigenda, &c. Attamen minoribus viginti quinque annis, nec obeſſe in damnis, & prodeſſe in lucris. Si quæ aliæ ſint exceptiones pro fœminis, ruſticis & militibus; ex Iuriſconſultis petendæ.

53. Dico decimò, Ignorantiam ſeu errorem facti, & prodeſſe in lucris, & non obeſſe in damnis; modò ignorantia non ſit craſſa & ſupina & magnâ negligentiâ quæſita; idque ante litem conteſtatam. Tunc autem eſt craſſa ignorantia, quando factum eſt ſæpe diſcuſſum, vel notorium, vel notabile ſeu grave, vel proprium & recens; de quibus omnibus conſulendi Iuriſconſulti.

DE PASSIONE TOLLENTE VOLVNTARIVM.

54. PAſſio tollens aut minuens voluntarium, vel animi, vel corporis. Paſſio animi eſt motus appetitus circa bonum aut malum ut tale apprehenſum: quod ſi ſit arduum & cum difficultate acquirendum aut repellendum, exurget paſſio appetitus iraſcibilis; ſin minus, erit tantùm paſſio appetitus concupiſcibilis.

55. Sex ſunt paſſiones appetitus concupiſcibilis; ſcilicet amor, qui verſatur circa bonum ſimpliciter; deſiderium circa bonum abſens; gaudium circa bonum præſens; odium circa malum ſimpliciter; fuga circa malum abſens; & triſtitia circa malum præſens potiſſimùm proprium; nam triſtitia de alieno malo, dicitur miſericordia; ſicut triſtitia de alieno bono, dicitur invidia.

56. Quinque ſunt paſſiones appetitus iraſcibilis; ſcilicet ſpes, quæ verſatur circa bonum abſens arduum quod apprehenditur poſſe obtineri; deſperatio circa idem bonum quod apprehenditur non poſſe obtineri; audacia circa malum abſens arduum apprehenſum ut ſuperabile, id eſt quod arceri & vitari poteſt; timor ſeu metus circa idem malum apprehenſum vt imminens & vix evitabile; & ira circa malum præſens apprehenſum ut cum difficultate repellendum, vel ad compenſandum detrimentum illatum.

57. Paſſio corporis, vel ita afficit corpus, aut organum ejus, vt aboleat, minuat, aut depravet aliquam facultatem ſentiendi, illæſa tamen facultate cognoſcendi; qualia ſunt vitia ferè omnia corporis, aut organorum ejus, excepto cerebro, vt lepra, ſurditas, cæcitas, lippitudo, claudicatio, &c. Vel ita afficit corpus, aut organum ejus, ſcilicet cerebrum, vt aboleat, minuat aut depravet facultatem cognoſcendi, ſive quoad eſſentiam & functiones, ſive quoad functiones tantùm, vt ſtultitia naturalis, fatuitas, amentia, phrenitis, delirium ex febre, & alia ſimilia; ad quæ refertur à quibuſdam ebrietas, quæ

ita

ita afficit corpus, vt tandem animum ipsum labefaciat saltem quoad functiones; vini enim exhalationibus ad superiora elevatis, cerebrum ita incalescit vt turbatâ phantasiâ mens ipsa non fungatur officio suo; vnde præcipites iræ, nefandæ libidines, & multa alia mala sæpius sequuntur.

58. Passiones animi ordinariè efficiunt vt aliter judicemus de rebus quam si à nobis abessent. Nam vbi verbi gratiâ efferbuit ira, aut libido intumuit, aut metus gravis sese rationi nostræ obtulit, facilè in consilium adhibentur à nobis; quibus si careremus, aliud fortè quàm quod suggerunt consilium caperemus.

59. Passiones animi quæ eripiunt vsum rationis, quales sunt interdum iræ vehementissimæ, amores ardentissimi, & metus gravissimi; reddunt actiones realiter involuntarias: quia actiones ex ejusmodi passionibus ortæ, non fiunt cum perfecta cognitione, quæ tamen requiritur ad rationem voluntarij. Quod autem dicimus aut dicemus de actionibus, dicendum est de omissionibus earum.

60. Passiones animi non eripientes vsum rationis, nec realiter nec moraliter reddunt actiones involuntarias; eo quòd exerceantur aut imperentur à voluntate cum perfecta cognitione: non enim nobis eripiunt cogitandi & existimandi vim; nec impediunt quominus cognoscamus finem & media ad eum ducentia, atque adeò essentiam & circumstantias actionis percipiamus; quod solum requiritur ad rationem perfectæ cognitionis & actionis voluntariæ.

61. Passiones animi, sive eripientes, sive non eripientes vsum rationis; non reddunt actiones moraliter involuntarias: quia tales passiones debent esse in nostra potestate; & nostrum est vel passiones non adhibere in consilium, vel si eas adhibendas esse arbitramur, debemus ita moderari earum commotiones vt nihil in consultatione aut ratiocinatione turbent. Quare si voluntarium à passionibus realiter minuatur aut aboleatur, non tamen moraliter; eo quòd culpa penes nos sit, qui plus tribuimus passionibus quàm oportet.

62. Passiones corporis quæ eripiunt vsum rationis, & in eas non incidere non fuit in nostra potestate, quales sunt stultitia naturalis, phrenitis, delirium ex febre, & alia similia; reddunt actiones realiter & moraliter involuntarias. Nam voluntas est appetitus rationalis, atque adeò voluntarium non potest esse sine ratione: sublata igitur ratione, aut rationis vsu per ejusmodi passiones corporis, tollitur prorsus voluntarium: Resistere autem phrenitidi, delirio, aut stultitiæ, non est in nostra potestate, vt omnes fatentur.

63. Passiones corporis quæ eripiunt vsum rationis, sed in eas non incidere fuit in nostra potestate, vt ebrietas; reddunt quidē actiones realiter involunvarias; eo quòd non fiant cum perfecta cognitione: non tamen reddunt actiones moraliter involuntarias; eo quòd ipsa ebrietas, vel formaliter vel virtualiter fuerit volita; & in ebrietatem non inci-

dere fuit in nostra potestate, bibere enim aut non bibere potuimus, nemine saltem ad bibendum cogente: Et nostrum erat cogitare, quid turpe esse, quid honestum, vt concupiscentiam moderaremur, nec plus biberemus quàm quantum homini sobrio conveniebat; quod quia non fecimus, æstimatur actio non ex ea constitutione in qua eramus cum actio edita est, sed ex eo statu in quo providere poteramus ne in ebrietatem incideremus. Quare sicut ignorantia explicitè vel implicitè volita non excusat, nec reddit actionem moraliter involuntariam, vt suprà probatum est: sic nec ebrietas explicitè vel implicitè volita.

64. Passiones corporis quæ abolent facultatem aliquam sentiendi illæsa facultate cognoscendi, vt cæcitas, surditas, &c. reddunt omissiones actionum illius fucultatis abolitæ realiter & moraliter involuntarias. Impossibile enim tollit prorsus voluntarium; cæcus enim non deliberat apud se num aspicere debeat; & surdus excusatur si non audiat verbum Dei externum, &c. Attamen non reddunt actiones aliarum facultatum involuntarias; cum exerceantur aut imperentur à voluntate cum perfecta cognitione. Cæcitas enim aut surditas verbi gratiâ, non impedit quominus voluntariè comedamus aut bibamus.

DE HABITV TOLLENTE VOLVNTARIVM.

65. HAbitus communiter dicitur qualitas afficiens subjectum quoad operationem: bene quidem, si bonus; malè verò, si sit malus habitus: idque vel physicè quoad actiones naturales; vel ethicè quoad morales: vbi per actiones morales intelligntur eæ quæ fiunt secundùm regulas prudentiæ, & sunt conformes rectæ rationi; per naturales verò reliquæ à moralibus distinctæ. Dicitur autem habitus, quia per eum bene aut malè se habet subjectum: Ab aliis verò dicitur dispositio, quia bene vel malè disponit subjectum ad operandum. Attamen habitus & dispositio creduntur differre, quòd habitus sit difficilè mobilis à subjecto; dispositio verò sit facilè mobilis ab ipso.

66. Habitus vel corporis, vel animi: vel bonus, vel malus: vel physicus vel ethicus. Sic sanitas dicitur bonus & physicus habitus corporis humani, quia actiones naturales hominis perficit; morbus verò è contrà dicitur malus & physicus habitus ejusdem, quia actiones naturales hominis manifestè lædit. Sic Physica & Mathematica dicuntur boni & physici habitus animi, quia bene afficiunt & perficiunt intellectum hominis quoad actiones naturales prout à moralibus distinctas, quòd si illæ aut aliæ scientiæ artes & disciplinæ perficiant etiam intellectum quoad actiones morales, dicentur habitus moraliter boni. Habitus verò erroneus aut hæreticus dicitur malus habitus

animi,

animi, sive physicè, sive moraliter, propter contrariam rationem.

67. Habitus moraliter malus duplex est, vnus insitus ab ortu, alter consuetudine comparatus. Habitus moraliter malus ab ortu insitus, appellatur in scholis peccatum originale habituale; quod contrahunt omnes qui trahunt suam originem corruptam ab Adamo, & cujus ea vis est, vt nisi homines à gratia Dei præveniantur, nihil quicquam boni facere, velle, aut cogitare possint; & per ipsum necessariò inclinentur ad omnia vitia. Habitus moraliter malus consuetudine comparatus est ille qui actibus vitiosis producitur, & ad actus similes vitiosas inclinat, sub quo comprehenduntur omnia vitia. Habitus moraliter bonus etiam duplex est, vnus insitus ab ortu, qualis fuit in Adamo justitia originalis; alter per gratiam supernaturalem infusus qualis in regenitis.

68. Habitus quilibet, sive bonus, sive malus moraliter, sive ab ortu insitus, sive per gratiam infusus non reddit actionem involuntariam: quia homines tali habitu affecti aut imbuti, nulla vi ad actiones morales adiguntur, sed sponte & consultò eas exercent cum perfecta cognitione. Quæ omnia fusiùs demonstrabuntur infrà dum de libertate hominis in quolibet statu.

DE ACTIONE NECESSARIA ET LIBERA
Secundùm Scholasticos.

69. Actio necessaria dicitur ea quæ positis omnibus ad agendum requisitis, & sublatis impedimentis, non potest non exerceri; vt combustio stupæ ab igne. Posito enim igne, & positâ stupâ exsiccata & igni approximata, ponitur combustio stupæ. Vnde fit vt agens necessarium sit naturale & ad vnum determinatum, putà ignis ad calefaciendum, Sol ad illuminandum, &c. quod intelligendum est de necessitate naturali aut interna non autem de necessitate violenta, coactiva, aut externa, quæ non distinguitur à violentia aut coactione de quâ suprà.

70. Actio libera, vel est libera à coactione, vel à necessitate. Actio libera à coactione non differt à spontanea aut voluntaria, de qua suprà. Actio verò libera à necessitate dicitur ea quæ positis omnibus requisitis ad agendum, & sublatis impedimentis, potest exerceri & non exerceri, vt creatio hujus mundi, prædestinatio Iacobi, reprobatio Esavi, &c. Vnde fit vt talè agens liberum non sit determinatum ad vnum, sed indifferens ad vtrumque; atque adeo dicatur habere libertatem indifferentiæ. Verùm quia varij variè de libero & libertate philosophantur, paulò altiùs res repetenda est, & agendum de libertate in genere, tradendo ejus distinctionem, subjectum, definitionem, & divisionem.

CAPUT SECUNDUM.

De Libertate in genere, ac primò de distinctione ejus.

1. QUadruplex libertas communiter statuitur; scilicet libertas à peccato, à miseria, à coactione, & à necessitate. Prima convenit iustis: Secunda beatis: Tertia agentibus spontaneis & voluntariis: Quarta indifferentibus & indeterminatis.

2. Libertas à peccato in fidelibus aliter dicitur libertas gratiæ: quia per gratiam fideles liberantur à peccato saltem dele&nte & regnante seu dominante: de qua libertate loquitur Paulus Apostolus Rom. 6. his verbis; *Liberi à peccato facti, estis servi justitiæ.*

3. Libertas à miseria in beatis hominibus aliter dicitur libertas gloriæ: quia per gloriam homines liberantur ab omni miseria & corruptione: de qua libertate loquitur idem Apostolus Rom. 8. his verbis: *Tunc & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

4. Libertas à coactione aliter dicitur libertas spontaneitatis, quâ scilicet agens sponte, libenter & secundùm propriam inclinationem agit, sive agat necessariò, sive non. Sic Deus sponte & libenter, non invitè creavit hunc mundum; nec tamen necessariò, cum alium loco istius creare potuisset: beati verò amant Deum sponte, libenter & voluntariè; non autem invitè aut coactè; licet ipsum ament necessariò & infallibiliter: & cervus sitiens potú aque gratum inveniens, sponte & libenter bibit, non coactè, licet necessariò bibat.

5. Libertas à coactione seu libertas spontaneitatis, duplex est: vna est in agente ex imperfecta cognitione, scilicet ex sensitiva tantùm, quæ etiam convenit brutis; & ideo est tantùm diminuta & fortè impropriè libertas: Altera est in agente ex perfecta cognitione, scilicet ex intellectuali aut rationali; quæ convenit Deo, angelis & hominibus duntaxat; & ideo est propria & perfecta libertas.

6. Rursus, sicut coactio duplex est: vna cum violentia, vt cum Pater vi ab alio impulsus invitè filium suum opprimit: Altera sine violentia, vt cum mercator sine violentia & voluntariè, invitè tamen, projicit merces in mare metu naufragij: Ita etiam duplex est libertas à coactione, duplici coactioni opposita. De quibus omnibus fusè actum est thesibus 15. 16. & 17. & ideo in iis explicandis diutiùs non immorabor.

7. Necessitas triplex statuitur. Prima dicitur necessitas coactionis, quâ quid fit contra propriam inclinationem, sive cum violentia, sive non,

non, ut suprà: de qua necessitate loquitur Apostolus, 2. Cor. 9. *Non dans ex tristitia aut ex necessitate*, id est coactè; *Deus enim diligit qui libenter dat.* Secunda est necessitas præcepti, quâ quis obligatur ex lege superioris ad aliquid faciendum; sive id fiat voluntariè, sive non: & de hac necessitate loquitur Apostolus, 1. Cor. 7. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens voluntatis suæ.* Tertia est necessitas infallibilitatis seu inevitabilitatis, quâ positis omnibus requisitis & sublatis impedimentis aliquid ita fit ut non possit non fieri, sed infallibiliter & inevitabiliter fit, ut cum ignis approximatus stupæ exsiccatæ ipsam necessariò comburit.

8. Huic triplici necessitati triplex opponitur libertas; scilicet libertas à necessitate coactionis, à necessitate præcepti, & à necessitate infallibilitatis. Prima dicitur, libertas spontaneitatis, de qua suprà. Secunda dicitur libertas juris aut libertas moralis; quæ enim jure, id est legibus non prohibentur, dicuntur esse libera; & circa ea moralem libertatem habemus: Quæ verò prohibentur, dicuntur esse necessaria, id est necessariò observanda, & circa ea libertatem moralem non habemus, licet physicam libertatem habeamus, id est vires sufficientes ad ea peragenda. Tertia dicitur libertas indifferentiæ aut indeterminationis, de qua nunc potissimùm quæstio est.

9. Natura quæ habet aut creditur habere libertatem indifferentiæ, duobus modis considerari potest. Primò absolutè & secundùm se, nulla habita ratione objecti singularis quod extrinsecè moveat ad agendum aut ab actione cessandum; nulla etiam habita ratione dispositionis subjecti, putà passionis, habitus aut temperamenti intrinsecè moventis ad agendum aut ab actione cessandum; ac denique nulla habita ratione loci, temporis aut aliarum circumstantiarum. Sic homo absolutè & secundum se consideratus, dicitur habere libertatem indifferentiæ ad locutionem & silentium, ad amorem & odium, &c. quia homo ex natura sua non est determinatus ad locutionem, alioquin non posset nisi loqui, & nunquam posset tacere; nec est determinatus ex natura sua ad silentium, alioquin non posset nisi tacere, & nunquam posset loqui, &c. sicut ignis qui ex natura sua est determinatus ad calefaciendum non potest nisi calefacere, & nunquam potest frigefacere, & Sol qui est determinatus ad illuminandum, non potest nisi illuminare, & nunquam potest tenebras inducere. Et in hoc distinguuntur agentia cognoscitiva ab agentibus naturalibus; quòd cognoscitiva sint ex natura sua indeterminata & indifferentia ad actus oppositos circa idem aut varia objecta; naturalia verò sint ex naturâ suâ determinata ad unum actum.

10. Secundò, natura quæ habet aut creditur habere libertatem indifferentiæ, considerari potest prout exercet actionem singularem, habitâ ratione objecti, dispositionis subjecti, & circumstantiarum. Sic Deus quibuslibet consideratis habuit ab æterno libertatem indifferen-

tiæ respectu decreti creandi hunc mundum quia ita decrevit ab æterno creare hunc mundum, vt potuisset ab æterno decernere creationem alterius: At homo qui absolutè & secundum se consideratus habet libertatem indifferentiæ ad actus oppositos, putà ad amorem & odium ejusdem aut diversorum objectorum, ut dictum est thesi præcedenti; interdum amittit libertatem indifferentiæ & indeterminationis, aut saltem vsum illius habitâ ratione objecti; verbi gratiâ Deus clarè visus, facit vt homo necessariò & infallibiliter amet ipsum: interdum habita ratione dispositionis subiecti; verbi gratiâ homo irregenitus necessariò amat bona terrestria, & cœlestia spernit. Quæ omnia fusè demonstrabuntur postea, dum de libertate Dei & creaturæ intelligentis.

11. Ego triplicem distinguo libertatem: Vnam oppositam servituti: Alteram oppositam coactioni: Tertiam oppositam necessitati. Servitus est status aut conditio ejus qui alterius dominio subjicitur. Et ideo libertas à servitute est status aut conditio ejus qui sui juris est; ille autem sui juris esse dicitur, qui alterius imperio aut dominio non subjacet. Sicut autem variæ sunt servitutes, scilicet sub lege dura, putà cæremoniali, sub peccato, sub miseria, sub passionibus, sub Regibus & Dominis, &c. Ita sunt variæ libertates, scilicet à lege, à peccato, à miseria, à passionibus, à regibus & dominis, &c. Coactio & necessitas, necnon libertates oppositæ suprà explicatæ sunt. Notandum est duntaxat, servitutem, coactionem & necessitatem interdum coincidere, vt cum servus invitè & coactè paret domino suo; talis enim obedientia est servilis, coacta & necessaria: Sæpius tamen distingui aut dividi. Nam necessitas aliquando est sine servitute & coactione: sic Deus necessariò amat seipsum & Filium suum, cum tamen talis amor nec sit servilis nec coactus: Et servitus aliquando est sine coactione, vt cum servus sponte & libenter exequitur mandata domini sui: talis enim executio est servilis, non tamen coacta.

12. Denique libertas tribus modis potest considerari. Primò, respectu actionum externarum, quæ imperantur à voluntate & diriguntur ab intellectu, quales sunt in homine loqui aut ambulare, comedere aut bibere, &c. Secundò, respectu actionum internarum voluntatis, quæ scilicet exercentur ab ipsa voluntate, quales sunt amare & odisse. Tertiò, respectu actionum internarum intellectus, quæ scilicet exercentur ab ipso intellectu, quales sunt in homine consultatio, iudicium, &c. Rursus considerari potest libertas, vel respectu objectorum naturalium in quæ fertur homo quatenus animal vitæ naturalis particeps; vel respectu objectorum moralium circa quæ versatur homo quatenus est ratione præditus: vel respectu objectorum spiritualium quæ homo amplectitur quatenus est vitæ illius spiritualis & supernaturalis particeps quam spiritus adoptionis ei impertitur. Ac tandem naturalia & moralia bona, vel spectari possunt intra vitæ civilis terminos, vel

quatenus

quatenus ad spiritualia bona veluti subalterna revocari debuerunt, & ad vitæ spiritualis & cœlestis officia collimare : quæ ferè omnia spectant potiùs ad libertatem hominis, quàm ad libertatem in genere.

13. Cæterùm Doctores Reformati nomine libertatis ferè semper intelligunt libertatem à coactione aut servitute : At Doctores Romani nomine libertatis ferè semper intelligunt libertatem à necessitate seu libertatem indifferentiæ, quâ agens positis omnibus prærequisitis, & sublatis impedimentis, potest agere & non agere, vel hoc aut illud agere. Atque hæc dicta sint de distinctione libertatum.

DE SVBIECTO LIBERTATIS.

14. NOnnulli volunt libertatem habere pro subjecto solum intellectum, vel esse solum intellectum : Alij solam voluntatem : Alij vtrumque : Alij neutrum, sed aliud quid ab ipsis omnino diversum. Quoniam autem non est vnum subiectum libertatis cuiuslibet, sed varia sunt eius subiecta pro diversitate agentium liberorum, & aliud est subiectum libertatis divinæ, angelicæ & humanæ : Ideo tractationem de subiecto libertatis, remittimus ad ea quæ dicentur infrà de libertate Dei & creaturæ intelligentis. Hoc tantùm dico, libertatem in genere esse in agente intellectuali tanquam in subiecto : Et libertatem à coactione formaliter sitam esse in positione omnium necessariò prærequisitorum ad agendum in agente intellectuali, & in remotione omnium impedimentorum agendi ab ipso; eo quòd sine his facultas non possit esse expedita & libera : Libertatem verò à necessitate seu libertatem indifferentiæ sitam esse formaliter in entitate agentis intellectualis, cum omnibus positivè & negativè prærequisitis ad actum exercendum, absque vlla determinatione ad illum ex parte principij, vt patebit ex infrà dicendis.

DE DEFINITIONE LIBERTATIS.

15. LIbertas communiter definitur facultas faciendi quod velis : A Cicerone in paradoxis, potestas vivendi vt velis : A Stoïcis, ἐξουσία τῆς αὐτοπραγίας id est potestas agendi ex se : A Iurisconsultis, naturalis facultas eius quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut iure prohibeatur. In quibus definitionibus facultas, potestas & ἐξουσία coincidunt, & tenent locum generis : facere verò, agere & vivere promiscuè sumuntur pro actionibus externis à voluntate imperatis : Et hæc verba, agendi ex se, faciendi quod velis, vivendi vt

velis, quæ posita sunt in definitione libertatis, constituunt eius differentiam essentialem; vt patet ex contraria servitute aut coactione; siquidem servi & coacti non vivunt vt ipsi volunt, sed vt Domini, aut alij; nec faciunt quod volunt, sed quod Domini, aut alij; nec habent potentiam agendi ex se, sed agunt ex alieno imperio. Ergo liberi illi dicendi sunt, qui vivunt vt volunt, qui faciunt quod volunt, & qui agunt ex se non ex alieno imperio. Et inde factum ut populi illi liberi dicantur qui sunt αὐτόνομοι, id est qui non vivunt ex legibus aliunde impositis, sed ipsi sibi suas leges figunt ac refigunt pro arbitrio: E contrà populi illi minimè liberi esse censeantur qui reguntur alieno imperio, & vivendi normam accipiunt à Regibus aut Principibus penes quos est summa imperandi potestas.

16. Facultas, quæ est verum genus libertatis, duplex est: vna moralis quæ consistit in iure quo aliquid nobis est licitum, & ob id dicitur ab aliis libertas iuris: Altera physica quæ consistit in viribus quibus efficimus id quod volumus. Vnde si ius aliquid prohibeat, aut vis externa actionem impediat, libertas tolli creditur à Iurisconsultis, qui ideo in definitione libertatis posuerunt hæc verba, *Nisi si quid vi aut iure prohibeatur.*

17. Facultas seu libertas moralis respicit ius divinum vel humanum, id est leges divinas vel humanas. Quæ igitur nullis legibus prohibentur dicuntur esse libera, id est circa ea libertatem moralem habemus. Quæ verò prohibentur non sunt libera, atque adeò circa ea libertatem moralem non habemus: idemque dicendum de iis quæ iubentur aut non iubentur.

18. Facultas seu libertas physica vel externa, vel interna. Externa est qua fruitur is qui vel nullo impedimento physico externo distinetur quominus agat, vel nulla re externa cogitur ad agendum: libertas enim tollitur, sive quis per vim prohibeat quominus id faciamus quod volumus, sive quis nos vi compellat ad agendum quod nolumus. Interna facultas seu libertas consistit in naturali constitutione potentiæ locomotivæ & partium illi subservientium. Sic liberi dicuntur qui sani sunt atque valentes; non liberi verò qui claudi sunt, paralytici, aut alio vitio corporeo ita affecti, vt membris suis vti pro arbitrio non possint.

19. In definitionibus libertatis suprà allatis hæc consideranda vel redarguenda esse existimo. Primò, Potentia agendi ex se, non est definitio libertatis legitima; eò quod non sit adæquata; cùm non conveniat solis agentibus intellectualibus, quæ sola habent propriè dictam libertatem: convenit enim rebus inanimatis, siquidem ignis habet potentiam calefaciendi ex se, Sol habet potentiam illuminandi ex se, magnes habet potentiam attrahendi ferrum ex se, &c. Quare sic potiùs erat definienda: Libertas est potentia agendi ex se in agente intellectuali. Quòd si quis respondeat res inanimatas non habere poten-

tentiam

tiam agendi ex se, quia determinantur ad agendum ab alio: Contra dico, res inanimatas esse ad vnum determinatas ex natura sua, non autem ab alio: Imò agentia intellectualia potiùs determinantur ab alio, & non videntur habere potentiam agendi ex se; siquidem eorum potentiæ externæ agunt tantùm ex imperio voluntatis, voluntas ex dictamine intellectus, & intellectus iuxta propositionem obiecti & dispositionem subiecti, vt fusè probabitur postea dum de libertate hominis.

20. Secundò, Definitiones libertatis suprà allatæ non conveniunt libertati indifferentiæ: quia libertas indifferentiæ non tantùm est potentia agendi aut faciendi, sed etiam non agendi aut non faciendi: adeò vt agens liberum eo instanti quo agit potuerit non agere, & eo instanti quo non agit potuerit agere. Quare si tradenda erat definitio libertatis indifferentiæ, sic potiùs tradenda erat: Libertas est potestas agendi & non agendi quod velis, vel agendi hoc aut illud pro arbitrio.

21. Tertiò, Definitiones libertatis suprà allatæ, non conveniunt omni libertati à coactione, respectu omnium actionum liberarum; sed tantùm respectu actionum externarum à voluntate imperatarum; non autem respectu actionum internarum quæ ab ipsa voluntate aut intellectu exercentur.

22. Non quidem respectu actionum internarum quæ ab ipsa voluntate eliciuntur aut exercentur: quia actus voluntatis vel est volitio boni, vel nolitio mali; atque adeò facere aut agere in voluntate nihil aliud est quàm velle aut nolle; & per consequens facultas agendi aut vivendi vt velis, aut facultas faciendi quod velis, respectu voluntatis nihil aliud est quàm facultas volendi vt velis aut quod velis, vel facultas nolendi quod velis aut vt velis; quod esse falsum sic probatur.

23. Vel hæc verba, *volendi vt velis*, vnam & eandem volitionem exprimunt, vel duas diversas volitiones significant. Si primum, sequetur superfluam prorsus & ineptam repetitionem fieri, & satis fuisse dicere libertatem voluntatis esse facultatem volendi aut nolendi, non addendo quod velis aut ut velis. Adde quòd hæc verba, *vt velis*, posita in definitione libertatis respectu actionum externarum à voluntate imperatarum, exprimunt principium morale ejusmodi actionum externarum; & distinguunt actum primum & imperantem, scilicet volitionem, ab actu secundo & imperato, scilicet à motione corporis, putà ab ambulatione, locutione, &c. Ergo etiam in definitione libertatis, hæc verba (*vt velis*) debent denotare actum imperantem, & verbum (*volendi*) debet denotare actum imperatum; atque adeò hæc verba (*volendi vt velis*) non debent denotare vnam & eandem volitionem. Denique hæc verba (*nolendi vt velis*) non significant vnam & eandem actionem, cum nolitio & volitio realiter differant.

quæſitis ad operandum, & ſublatis impedimentis, poteſt operari & non operari, vel hoc & illud operari. In quo cauſa libera clare diſtinguitur à cauſa neceſſaria, quæ poſitis omnibus requiſitis & ſublatis impedimentis, ita operatur ut non poſſit cohibere operationem.

29. Hæc definitio ſic eſt explicanda. Primò dicitur, *poſitis omnibus requiſitis ad operandum*, id eſt prærequiſitis ſeu ante operationem requiſitis: nam ipſa operatio non eſt ex requiſitis, ſed eſt ipſum operari, & ea poſita agens non poteſt non operari: debent igitur requiſita antecedere actionem, ita vt iis poſitis actio poſſit eſſe & non eſſe. Requiſita autem ante operationem ſunt potiſſimùm ſufficiens ſeu integra potentia activa agentis, & debita ſeu conveniens diſpoſitio ſubjecti, ſi actio requirat ſubjectum. Quoniam autem omnis actio libera libertate indifferentiæ eſt etiam voluntaria, quæcunque requiruntur ad voluntarium, requiruntur etiam ad liberum: Et ideo ad rationem liberi requiritur vt abſit vis aut coactio violenta, & adſit cognitio intellectualis: vnde vis, ignorantia invincibilis, & paſſio corporis vel animi eripiens vſum rationis, tollunt liberum & voluntarium.

30. Secundò dicitur, *ſublatis impedimentis*, quæ ſunt coactio violenta, ignorantia invincibilis, paſſio corporis vel animi eripiens vſum rationis, & quicquid neceſſariò determinat agens ad actum exercendum, qualis eſt Deus clarè viſus qui neceſſariò determinat beatum ad amorem exercendum.

31. Tertiò dicitur, *poteſt operari & non operari*, vbi potentia operandi ſimul eſt cum potentia non operandi, ſicut idem homo ſimul habet potentiam deſcendendi & aſcendendi ſcalam. At exercitium harum potentiarum non poteſt eſſe ſimul, ſicut non poſſunt ſimul exiſtere deſcenſus & aſcenſus ſcalarum. Simultas igitur cadit ſupra potentiam, & non ſupra actus: atque adeò idem eſt poſſe operari & non operari, ac ita poſſe operari vt tunc etiam poſſit non operari ſeu operationem cohibere & ipſam omittere.

32. Quidam ponunt in definitione, *poteſt operari vel non operari*; ſed malè: Illud enim convenit etiam cauſæ neceſſariæ, quæ neceſſariò poteſt vel non poteſt, juxta illud *quodlibet eſt vel non eſt*, & quando non poteſt non operari, verum eſt poſſe operari vel non operari, ſi enim poteſt neceſſariò operari, verum eſt poſſe operari vel non operari; quia qui poteſt vnum, verè poteſt illud vel aliud.

33. Quartò dicitur, *vel hoc & illud operari*, vt in definitione comprehendatur etiam libertas quoad ſpecificationem & quoad obiecta, de qua agetur poſtea. Denique libertas hæc poſita eſt in agente intellectuali & voluntario, vt excludantur bruta quæ determinantur neceſſariò ad vnum, atque adeò nullam habent libertatem indifferentiæ. Vtrum autem libertas indifferentiæ Angelis & hominibus deneganda, & ſoli Deo concedanda; dicetur poſtea.

34. Secunda definitio libertatis à neceſſitate ſeu libertatis indiffe-

rentiæ talis est. Libertas est facultas causæ operantis cum indifferentia. Triplex autem ponitur indifferentia, scilicet objectiva, passiva & activa. Indifferentia objectiva est in objecto, cùm scilicet intellectus iudicat vnum objectum esse æqualiter bonum & malum, vel iudicat plura objecta esse æqualiter bona aut æqualiter mala. Secundùm alios verò, cùm intellectus iudicat obiectum non esse summum bonum, nec cum eo necessariam connexionem habere: adeò vt possit appeti propter aliquam boni participationem, & possit non appeti vel etiam repudiari propter malum bono illi diminuto aut non summo commixtum & conjunctum. Indifferentia passiva est in patiente diversarum formarum capaci, atque adeò ad eas indifferenter se habente: Sic materia prima nondum disposita & præparata, est indifferens ad varias formas recipiendas. Indifferentia verò activa est in agente, quod positis omnibus prærequisitis, & sublatis impedimentis, potest agere & non agere, vel hoc & illud agere: Et de hac indifferentia activa definitio allata est intelligenda; siquidem indifferentia obiectiva est tantùm radix aut causa libertatis formaliter voluntati insidentis.

35. Tertia definitio libertatis à necessitate seu libertatis indifferentiæ, sic se habet. Libertas est facultas agentis seipsum determinantis in vtramlibet partem: si enim determinetur ab alio in vnam partem, ruit eius libertas indifferentiæ, quæ coincidit cum libertate indeterminationis.

36. Quarta definitio ejusdem libertatis à necessitate est eiusmodi. Libertas est facultas actus sui domina: Dominium autem istud consistit in hoc quòd potentia pro libito possit actum elicere & non elicere, aut vnum & alium actum elicere. Cum enim dominium sit facultas seu jus vtendi re, & de ea disponendi pro libito; non videtur malè expressum jus quod quis habet in actum suum per dominium; siquidem præter vim exercendi actum adiunctam habet prærogativam omittendi illum pro libito.

DE DIVISIONE LIBERTATIS.

Libertas à necessitate seu libertas indifferentiæ, solet dividi à Philosophis & Theologis in libertatem quoad exercitium. & libertatem quoad speciem seu specificationem. Libertas exercitij est facultas qua agens positis omnibus prærequisitis & sublatis impedimentis potest operari & non operari, putà velle & non velle: Et quia posse operari & non operari, est posse exercere actum & ab eo cessare, ideo dicitur libertas exercitij: Et quia operari, & non operari sunt contradictoria, dicitur etiam libertas contradictionis: Ac denique, quia operari est actus, & non operari est cessatio ab actu, dicitur etiam libertas ad actum.

38. Liber-

38. Libertas specificationis est facultas qua agens positis omnibus prærequisitis & sublatis impedimentis potest hoc & illud agere, putà velle furari & stipem erogare: Et quia hoc & illud circa quod versatur agens liberum, sæpius sunt specie diversa, ideo dicitur libertas specificationis: Et quia plerunque sunt contraria opposita aut disparata, dicitur etiam libertas contrarietatis aut disparationis: Ac tandem, quia proponuntur plura objecta, ideo dicitur libertas ad objectum aut circa objecta.

39. Libertas specificationis seu contrarietatis rectè etiam dicitur facultas quâ agens positis omnibus prærequisitis & sublatis impedimentis, potest exercere actus specie diversos & contrarios circa vnum aut plura objecta, putà amare & odisse divitias, amare virtutem & odisse voluptates.

40. Libertas specificationis includit libertatem exercitij; si enim quis potest furari & stipem erogare quod pertinet ad libertatem specificationis; potest etiam furari & non furari, quod pertinet ad libertatem exercitij. At libertas exercitij non includit libertatem specificationis, quia potest quis non exercere actum amoris circa bonum, nec tamen potest ipsum odisse.

41. Libertas dividitur ab aliis in Ethicam seu moralem & physicam seu naturalem. Libertas moralis est qua quis potest operari & non operari, vel hoc & illud operari ex rationis præscripto: Libertas verò naturalis est quâ quis potest operari & non operari, vel hoc & illud operari sine præscripto rationis.

CAPVT TERTIVM.

De Libertate Dei.

1. Libertas à peccato, à miseria, à coactione, aut necessitate coactionis, à lege dura aut à servitute, sunt essentiales Deo, & inseparabiles ab ipso. Cùm enim Deus sit essentialiter iustus, non potest peccare: cum sit essentialiter beatus, non potest esse miser: cùm sit essentialiter omnipotens, non potest necessitari aut cogi ab alio ad agendum: & cùm non possit esse nisi Dominus rerum omnium, ab omni lege dura & servitute necessariò est immunis. Hinc fit vt istæ libertates sint in ipsa essentia divina tanquam in subjecto, & identificentur realiter intrinsecè cum ipsa: Cùm enim Deus sit simplicissimus, quicquid est in Deo est Deus ipse. Quoad libertatem à necessitate infallibilitatis seu libertatem indifferentiæ, dicendum est Deum eam

habere respectu quarundam actionum, non autem respectu aliarum: quod iam fusiùs explicandum.

2. Duplex genus actionum tribuitur Deo aut personis divinis à Theologis, vnum ad intra, alterum ad extra. Actiones ad intra sunt ab vna persona divina & terminantur in alia, vt generatio æterna Filij quæ est à Patre & terminatur in Filio, & spiratio Spiritus sancti quæ est à Patre & Filio & terminatur in Spiritu sancto: dicuntur autem actiones ad intra; quia termini earum, scilicet Filius & Spiritus sanctus sunt intra Trinitatem. Actiones ad extra sunt à tribus personis divinis simul, & terminantur in creaturis, vt creatio, conservatio & gubernatio mundi, redemptio, sanctificatio & glorificatio fidelium: dicuntur autem actiones ad extra, quia termini earum, scilicet mundus & fideles, non sunt de Trinitate, sed extra ipsam.

3. Omnes actiones ad extra, quæ scilicet exercentur à Patre, Filio & Spiritu sancto, vno & eodem Deo, quales sunt creatio & gubernatio mundi, electio & redemptio quorundam hominum, & aliæ similes; sunt quidem naturales, cum sint à principio intrinseco secundùm eorum inclinationem; sed præterea sunt spontaneæ & voluntariæ, cum libenter & ex perfecta cognitione ab iis exerceantur; & per consequens sunt liberæ libertate spontaneitatis coactioni opposita: cùm enim Deus sit omnipotens, non potest cogi ad exercitium earum.

4. Eædem actiones ad extra respectu cujusque individui determinati, non tantùm sunt liberæ libertate spontaneitatis opposita coactioni, sed etiam sunt liberæ libertate indifferentiæ opposita necessitati & infallibilitati: quoniam Deus qui creavit in tempore, aut decrevit ab æterno creare mundum istum, poterat absolutè loquendo creare alium, aut decernere creationem alterius: Et Deus qui elegit Iacobum, & reprobavit Esavum, poterat absolutè loquendo eligere Esavum & reprobare Iacobum. Quòd si fuerit aliqua ratio, cur Deus creaverit istum mundum potiùs quàm alium, & elegerit Iacobum potiùs quàm Esavum, tunc dicendum est Deum respectu creationis istius mundi, & electionis Iacobi, non habuisse libertatem indifferentiæ, sed necessariò & infallibiliter creasse hunc mundum & elegisse Iacobum; eo quòd Deus nihil possit facere contra iustitiam, atque adeò nec contra rationis præscriptum. Fortè etiam Deus habuit libertatem indifferentiæ respectu quarundam specierum, id est fortè potuit absolutè loquendo creare alias species quas non produxit, & potuit fortè non creare aliquas species quas produxit.

5 Quamvis Deus habeat libertatem indifferentiæ respectu bonorum æqualium, adeò vt possit vnum creare & conservare non creato aut conservato altero: Attamen vbi bonum & melius esse potest, existimo Deum non habere libertatem indifferentiæ respectu boni & melioris.

lioris, sed necessariò & infallibiliter ex possibilibus semper facere quod est melius. Cum enim Deus sit summè bonus & summè sapiens, necessariò & infallibiliter facit quod summæ suæ bonitati & sapientiæ est magis consentaneum: At magis est consentaneum summæ bonitati & sapientiæ Dei est possibilibus facere quod est melius. Idémque dicendum est de duobus, quorum vnum est bonum, alterum verò nec est bonum nec malum: scilicet Deum necessariò & infallibiliter facere quod est bonum; eo quòd id magis sit consentaneum bonitati & sapientiæ Dei.

6. Et quoniam bonum ex natura sua est sui diffusivum & communicativum, multò meliùs est vt summa Dei bonitas communicetur quàm non communicetur, & magis est consentaneum sapientiæ Dei vt manifestetur quàm si non manifestetur; potissimùm cum communicatio bonitatis, & manifestatio gloriæ & sapientiæ Dei sit quid bonum, non autem non communicatio & non manifestatio illius. Quoniam autem gloria Dei manifestatur per demonstrationem suorum attributorum, scilicet bonitatis, potentiæ, sapientiæ, iustitiæ & misericordiæ, &c. magis est consentaneum gloriæ Dei, atque adeò melius est, vt Deus demonstret suam potentiam, sapientiam, bonitatem, iustitiam & misericordiam, quàm si eas non demonstraret.

7. Potentia Dei elucet summopere in creatione & conservatione mundi, sapientia in dispositione & regimine omnium creaturarum, bonitas in communicatione perfectionum quibus eas exornavit, iustitia & misericordia in quorundam punitione & aliorum miseratione. Melius igitur fuit, ut Deus crearet mundum omnipotentia, & regeret creaturas providentia; quàm si otiosus in æternum remansisset: melius fuit vt essent aliquæ creaturæ quæ perfectiones mirabiles creatoris sui cognoscerent, & eum in æternum adorarent & glorificarent: Imò probabilius est melius fuisse vt inter creaturas cognitionis Dei capaces, quædam essent moraliter malæ per seipsas, & aliæ moraliter bonæ per gratiam Dei; vt in illis iustitiam, in istis misericordiam suam demonstraret: si enim, vt ait Augustinus, non fuisset bonum, imò si melius non fuisset, malum esse quàm non esse, Deus nunquam lapsum hominis permisisset.

8 Hinc sequitur Deum non habuisse libertatem indifferentiæ respectu creationis, conservationis & gubernationis mundi, necnon respectu productionis hominum & Angelorum, sed necessariò & infallibiliter creasse mundum omnipotentia, creaturas regere providentia, & homines atque angelos produxisse vt ipsum cognoscerent & glorificarent: Imò probabilius est Deum non habuisse libertatem indifferentiæ respectu permissionis peccati, sed necessariò & infallibiliter illud permisisse seu non impedivisse; quia melius fuit hæc omnia existere, quàm non existere.

9. At dicet aliquis, si melius fuit mundum esse quàm non esse,

debuit Deus citiùs creare mundum quàm creavit; boni enim aut melioris productio non debet differri à sapiente. Verùm ego contra assero, Deum non habuisse libertatem indifferentiæ respectu temporis quo creavit mundum, sed necessariò & infallibiliter eum creasse eo tempore quo creavit, adeò vt nec citiùs nec tardiùs eum creare potuerit. Nam licet mundus potuerit absolutè loquendo creari à Deo intra minus temporis spatium; siquidem qui creatus fuit sex diebus, poterat absolutè loquendo & abstrahendo à decreto Dei, vnico die, imò & vnico momento creari: certum est tamen mundum habita ratione primarum creaturarum vt talium, non potuisse citiùs aut tardiùs creari quàm creatus est: cujus rei ratio talis est.

10. Ante tempus quo creatus est mundus nullum fuit tempus, cum tempus & mundus simul extiterint, & fortè non differant; nihil autem potest esse ante seipsum aut prius seipso. Et rursus ante tempus primæ creationis quæ fuit creatio mundi, nulla alia fuit aut esse potuit duratio præter æternitatem: Sed mundus non potuit habere durationem æternitatis, cum nec mundus nec tempus potuerit esse ab æterno, vt demonstrationibus evidentissimis probavimus libro Gallico de Lumine rationis: Ergo mundus non potuit priùs creari quàm creatus est. Et revera, hæc vocabula, *priùs & posteriùs, citiùs & tardiùs*, non possunt convenire nisi tempori, cujus partes sibi invicem succedunt, & aliæ citiùs & priùs, aliæ tardiùs & posteriùs existunt: At æternitas, cum sit indivisibilis & careat partibus, eo quòd sit attributum Dei incommunicabile creaturæ & ab ipsa Divinitate non distinctum, nec habet prius nec posterius, nec citius nec tardius; & per consequens licet æternitas fuerit ante mundum & ante tempus; attamen in ea nec fuit prius nec posterius: atque adeò dici non potest mundum prius, & adhuc prius, & semper prius creari potuisse in infinitum; cum ante mundum & tempus, nullum fuerit aut esse potuerit prius præter æternitatem, in qua nec prius nec posterius esse potest; tempus autem æternum aut ab æterno, fuisse impossibile libro citato evidentissimè demonstravimus. Vno verbo tempus non potuit priùs esse aut produci quàm fuit, quia nullum fuit prius quod convenire ei potuerit: Et fieri non potuit vt hodie mundus duraverit per decem millia annorum, cum siquidem sex mille duraverit, & antea esse nequiverit ob rationem allatam.

11. At dicet aliquis, Cœlum & Terra, quæ fuerunt primæ creaturæ, potuerunt tardiùs creari quam creatæ sunt: Ergo & citiùs creari potuerunt. Verùm respondetur, cœlum & terram spectari posse, vel tanquam creaturas, vel tanquam primas creaturas quatenus primas. Si considerentur quatenus creaturæ, poterant tardiùs creari. Deus enim qui tales creaturas primo die produxit, poterat eas producere secundo, alias producendo primo: Si verò considerentur quatenus primæ, vt revera considerantur à nobis, non poterant tardiùs creari:

quoniam

quoniam non poterant tardiùs creari, nisi eas creando post alias; at si creatæ fuissent post alias, non fuissent primæ, quod est contra suppositionem. Adde quòd licet tardiùs creari potuissent, non sequeretur tamen priùs & citiùs potuisse creari; eo quòd potuerit esse aliquid tardius & posterius: at non potuit esse aliquid citius & prius tempore & mundo præter æternitatem, quam tempori & mundo repugnare citato libro demonstravimus.

CAPVT QVARTVM.

DE LIBERTATE CREATVRÆ INTELLECTVALIS, ac potissimum hominis, in genere.

1. ACturi de libertate creaturæ intellectualis, scilicet Angeli & hominis: Primò, ostendam in quo consistat ratio formalis intellectus & voluntatis in homine, & probabo intellectum & voluntatem non distingui realiter intrinsecè; eo quòd hæc doctrina plurimùm inserviat ad evertendam libertatem indifferentiæ, quæ affingitur creaturæ intelligenti, vt videbitur postea. Secundò, explicabo subjectum libertatis angelicæ & humanæ; & in quo vtraque formaliter consistat indicabo. Tertiò, tradam quomodo libertas à coactione conveniat angelis & hominibus. Quartò, demonstrabo nullam creaturam posse habere libertatem indifferentiæ respectu cujuscunque actionis. Quintò, refutabo responsiones Adversariorum ad vltimum argumentum, & objectiones eorum dissolvam.

DE RATIONE FORMALI INTELLECTVS & voluntatis in homine.

2. MVlti existimant intellectum & voluntatem esse facultates solius animæ rationalis, ab ipsa & inter se realiter distinctas per quas homo intelligit & vult; adeò vt anima rationalis sit principium totale radicale operationum intelligendi & volendi; Intellectus verò & voluntas sint principia totalia formalia earundem; at homo sit tantùm principium denominationis ipsarum. Alij arbitrantur animam rationalem, intellectum & voluntatem, esse vnam & eandem entitatem, quæ secundum varia connotata extrinseca variis nominibus insignitur: Nam prout est forma hominis aut corporis humani, dicitur anima; prout est principium totale intellectionis, dicitur intel-

lectus; & prout est principium totale volitionis, dicitur voluntas.

3. Ego statuo primò, animam rationalem non esse principium totale operationum intelligendi & volendi: quia cum principium operationis & natura non differant; eo quòd ex Aristotele 2. phys. & ex communi Philosophorum sententia, natura physica sit principium motus ejus in quo est; atque adeò natura in genere sit principium operationis, manifestum est principium partiale operationis esse naturam partialem, & principium totale operationis esse naturam totalem: Si igitur anima rationalis sit principium totale operationum intelligendi & volendi, sequetur necessariò eam esse naturam totalem, non partialem; atque adeò cum corpore humano non facere vnam naturam totalem humanam, sed tantùm vnam personam humanam, quod est absurdum. Id confirmatur à pari, hoc pacto: Quemadmodum in Christo Divinitas & humanitas sunt duæ naturæ totales, atque adeò non faciunt vnam naturam totalem, sed tantùm vnam personam; eo quòd Divinitas Christi sit principium totale operationum divinarum, putà illuminationis cæcorum, suscitationis mortuorum, &c. & humanitas Christi sit principium totale operationum humanarum, purà ambulationis, manducationis, &c. Diviniras enim nec ambulabat, nec manducabat; & humanitas nec illuminabat cæcos, nec suscitabat mortuos: Ita etiam anima rationalis non faciet seu non constituet cum corpore vnam naturam totalem humanam, sed tantùm vnam personam; si anima rationalis sit principium totale operationum intelligendi & volendi. Cum igitur anima rationalis ex communi omnium sententia sit tantùm natura partialis, & cum corpore constituat vnam naturam totalem humanam; dicendum est animam rationalem non esse principium totale operationum intelligendi & volendi. Quare sicut anima sensitiva sola absque corpore non videt; nec corpus aut organum corporeum solum absque anima non exercet visionem; atque adeò seorsim sunt tantùm principia partialia visionis, & simul constituunt principium totale illius; & per consequens seorsim sunt naturæ partiales, simul verò constituunt vnam naturam totalem animalis. Ita etiam anima rationalis sola & separata à corpore, non intelligit aut ratiocinatur eo modo aut specie intellectionis aut ratiocinationis quo dum erat in corpore; & corpus solum absque anima non intelligit aut ratiocinatur; sed anima rationalis simul cum corpore aut organo corporeo, scilicet cerebro specie intelligibili ornato, intelligit aut ratiocinatur certa specie aut certo modo intellectionis aut ratiocinationis quem non habet anima separata; & per consequens anima rationalis cum corpore aut cerebro specie intelligibili imbuto, seorsim sunt tantùm naturæ partiales & principia partialia ejusmodi intellectionis aut ratiocinationis; simul verò constituunt principium totale illius, atque adeò naturam totalem humanam.

4. Statuo secundò, Principium intelligendi aut ratiocinandi in homine,

mine, vel esse principale, vel instrumentale seu organicum. Principium principale intelligendi est anima rationalis: Instrumentale verò est corpus, aut potiùs organum corporeum, scilicet cerebrum specie intelligibili præditum. Vnde si intellectus sumatur pro principio intelligendi principali, erit tantùm anima rationalis, aut facultas ejus: Si verò sumatur pro principio intelligendi adæquatè sumpto, tria comprehendet, scilicet animam rationalem, corpus aut organum corporeum, scilicet cerebrum, & speciem impressam seu imaginem objecti tenentem vices ipsius objecti; vno enim ex his tribus deficiente, non potest exerceri intellectio aut ratiocinatio. Sic autem manet explicatum paradoxum alias à nobis propositum; scilicet intellectum, nec esse animam rationalem, nec facultatem illius; sed esse compositum ex anima rationali, cerebro & specie impressa: tunc enim sumpsimus intellectum pro principio totali & adæquato intellectionis. Quæ autem dicta sunt de intellectu, eadem dicenda sunt de voluntate: quia intellectus & voluntas in homine non distinguuntur realiter intrinsecè inter se; nec etiam distinguuntur ab anima rationali, si sumantur pro principiis principalibus intelligendi & volendi, quod jam demonstrandum est.

DE IDENTITATE INTELLECTVS ET Voluntatis inter se, & cum anima rationali.

5. IDentitatem realem intellectus & voluntatis inter se & cum anima rationali, probamus his argumentis. Primum argumentum sic procedit. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate: Deus enim & Natura nihil faciunt frustra. At nulla est necessitas multiplicandi aut distinguendi intellectum & voluntatem inter se, aut ab anima rationali; sed vna & eadem entitas quatenus est forma hominis aut corporis humani, dicitur anima humana; quatenus cognoscit, intelligit & judicat de bonitate rerum, dicitur intellectus; quatenus verò res cognitas vt bonas amat, dicitur voluntas.

6. Secundum argumentum sic procedit: Facultas cognoscendi seu intelligendi est Intellectus: Sed voluntas est facultas cognoscendi seu intelligendi: siquidem non potest amari bonum nisi prius cognoscatur; cum priùs objectum sit cognoscendum quàm amandum, & nihil volitum quin præcognitum: At voluntas amat & vult bonum: Oportet igitur vt ipsum cognoscat. Sicut enim stultum esset monstrare colores cæco; quia cum sit privatus visu eos cernere non potest: Ita quoque ridiculum esset monstrare bonum voluntati, si voluntas sit potentia cæca, & non sit capax boni cognoscendi, vt volunt Adversarij.

7. Nec dici potest sufficere cognitionem intellectus, vt voluntas.

ab eo diſtincta ſe determinet ad amandum: Nam principium ſe determinans ad amorem, indiget prævia cognitione exiſtente in ipſo principio, vt cognoſcat objectum circa quod debet ſe determinare; ſine qua cognitione remanet cæcum, & in objectum movere ſe non poteſt. Et ſicut res non eſt alba per albedinem alterius, ſed per propriam & ſibi inhærentem; Et homo non poteſt videre per viſionem alterius, ſed per propriam & ſibi inhærentem: Ita voluntas non poteſt cognoſcere per cognitionem alterius, putà intellectus diſtincti, ſed tantùm per propriam & ſibi inhærentem; quandoquidem principium non poteſt cæcitatem amittere niſi per viſium ſibi proprium, nec poteſt videre mihi per viſionem ſibi propriam. Sicut enim non prodeſt mihi Petrum videre objectum, vt ego illud non videns poſſim in illud tendere motu progreſſivo, & ipſum manu apprehendere: Ita non prodeſt voluntati viſio ſeu cognitio exiſtens in alio ſubjecto, ſcilicet in intellectu à voluntate diſtincto.

8. Tertium argumentum eſt ejuſmodi: Vel cognitio boni eſt in anima, aut non. Si prius, ſequitur animam per talem cognitionem ſibi inhærentem cognoſcere bonum, nec alio à ſe diſtincto indigere vt ipſum cognoſcat: Et cum nulla alia res cognoſcat bonum præter intellectum; evidens eſt intellectum nihil aliud eſſe quàm animam conſideratam vt cognoſcentem; ſiquidem ſuperfluum & ridiculum eſſet ponere duas cognitiones vnam ſcilicet in anima, & alteram in intellectu. Si poſterius, id eſt ſi cognitio non ſit in anima, nec inhæreat ipſi; ſequitur animam non cognoſcere; cum vna res non cognoſcat per cognitionem alterius, ſed per ſibi propriam & inhærentem, vt dictum eſt ſuprà.

9. Similiter, vel amor boni eſt in anima, aut non. Si prius, ſequitur animam per talem amorem ſibi inhærentem amare bonum, nec alio à ſe diſtincto indigere vt ipſum amet. Et cum nulla alia res amet bonum præter voluntatem; manifeſtum eſt voluntatem; nihil aliud eſſe quàm animam conſideratam vt amantem: ſiquidem ſuperfluum eſſet ponere duos amores, vnum in anima, & alterum in voluntate. Si poſterius, id eſt ſi amor non ſit in anima, nec inhæreat ipſi; ſequitur animam non amare, cum vna res non amet per amorem alterius, ſed per ſibi proprium & inhærentem. Ex quibus patet intellectum & voluntatem non eſſe duas facultates aut entitates realiter intrinſecè diſtinctas, ſed eſſe vnam & eandem entitatem, ſcilicet animam ipſam, juxta axioma indubitatum, *quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe.*

10. Quartum argumentum tale eſt: Res omnes realiter diſtinctæ poſſunt realiter ſeparari, & in ſeparatis locis exiſtere, ſaltem divinitus, vt volunt Adverſarij; qui ideo ſtatuunt accidentia panis & vini poſt conſecrationem exiſtere ſine eorum ſubſtantia; quia ſunt res diſtinctæ ab ipſa: quòd ſi quædam accidentia non poſſint exiſtere ſine ſubjecto, non

non sunt (vt aiunt) res, sed modi rerum, vt figura, actio, &c. Sed anima, intellectus & voluntas, neque possunt separari, neque in locis separatis existere, putà anima in media Asia, intellectus in media Europa, & voluntas in media Africa: quoniam eo casu anima non posset ratiocinari, nec cognoscere res, nec de earum bonitate judicare, nec amare bonum, nec odisse malum, nec vllam ejusmodi actionem exercere; siquidem esset destituta & magno intervallo separata à suis potentiis seu facultatibus: Intellectus verò posset ratiocinari & judicare de bonitate & malitia rerum: Et voluntas posset amare bonum & odisse malum; cum intellectus & voluntas sint ipsæmet potentiæ judicandi & amandi: Et sicut secundùm Adversarios accidentia panis & vini consecrati sine subjecto existentia, possunt agere, & realiter agunt, vt patet experientiâ; Ita intellectus & voluntas sine anima existentia possent operari sine illa.

11. Inde autem sequentur hæc absurda. 1. Intellectus & voluntas, quæ secundum Adversarios sunt tantùm accidentia, erunt nobiliora & perfectiora quàm anima quæ est vera substantia, siquidem activa sunt nobiliora & perfectiora non activis. 2. Cum anima in eo statu non possit ratiocinari, desinet esse rationalis & desinet esse anima humana; siquidem ratio est differentia essentialis animæ humanæ. 3. Si intellectus semper judicet Deum esse amandum, & voluntas propter distantiam ab intellectu ignorans quid intellectus judicaverit, & retinens suam libertatem indifferentiæ, vt volunt Adversarij, seipsam determinet ad non amandum Deum, sequetur intellectum semper bene operantem fore in paradiso voluntatem semper malè operantem fore in inferis; & animam neque bene neque malè operantem, neque fore in paradiso, neque in inferis; quæ omnia sunt absurda.

12. Quintum argumentum sic se habet: Anima hominis agit immediatè & per seipsam seu per propriam entitatem, non autem per aliud ab ipsa distinctum: Sed anima hominis agit per intellectum & voluntatem: Ergo intellectus & voluntas nihil aliud sunt quàm ipsa entitas animæ; atque adeò non sunt facultates realiter distinctæ ab ipsa nec inter se. Major probatur, scilicet animam agere immediatè: quia si anima esset tantùm causa mediata suarum operationum, non esset vera causa earum, sed tantùm per accidens; quod sic demonstratur.

13. Vera causa definitur ab ipsis Adversariis, principium per se influens esse in aliud: Et causa per se dicitur ea à qua vt tali procedit effectus, adeò vt sine ea effectus non produceretur; sic Architectus est causa per se domus; quia domus pendet ab Architecto vt architecto; adeò vt sine eo non construeretur: Causa verò per accidens dicitur ea à qua vt tali non procedit effectus, adeò vt ea absente effectus non minùs produceretur; sic Musicus est causa per accidens domus; quia domus non pendet à musico vt musico, sed vt architecto; adeò vt licet construens domum non esset musicus, non minùs domum construeret.

Sed causa remota & mediata non communicat per se esse effectui cum sæpius non existat quando effectus producitur, vt avus respectu nepotis; non entis autem nullæ affectiones aut effectiones. Rursus, effectus non pendet à causa mediata vt tali, & ea absente effectus non minùs produceretur. Verbi gratiâ paries emittens speciem sui in oculum, excitat & movet visum non per se & quatenus paries, sed per accidens quatenus coloratus & illuminatus; adeò vt destructo pariete, sed eodem colore remanente (quod non est impossibile secundum Adversarios) idem effectus non minùs produceretur: Et aqua fervens calefacit & vrit non per se & quatenus aqua, sed per accidens quatenus calida; adeò vt destructa aqua, sed eodem calore remanente (quod fieri posse divinitus volunt Adversarij) idem effectus non minùs produceretur. Ergo si anima hominis sit tantùm causa mediata suarum operationum, scilicet cognitionis & amoris, nec cognoscet nec amabit per se & quatenus anima humana, sed per accidens quatenus intellectu & voluntate ornata; adeò vt annihilata anima humana, sed remanentibus intellectu & voluntate (quod fieri posse volunt Adversarij) eædem actiones cognoscendi & amandi non minus exercerentur. At anima humana nec ratiocinatur, nec iudicat, nec amat per accidens, sed per se & ex natura sua, vt omnes fatentur. Ergo non potest esse causa mediata actionum ratiocinandi intelligendi aut amandi, sed eas exercet immediatè per se & per propriam entitatem: cum autem eas exerceat per intellectum & voluntatem, evidens est intellectum & voluntatem esse ipsam animam aut entitatem animæ.

14. His adde ex doctrina Adversariorum, quòd sicut materiæ est pati, sic formæ est agere; adeò vt eo modo quo passio seu receptio convenit materiæ, eodem modo actio convenit formæ: Sed secundum Adversarios materia recipit immediatè, non autem per aliquam potentiam realiter ab ipsa distinctam, vt fusè probant Conimbricenses lib. 1. phys. cap. 9. quæst. 3. Hurtadus de Mendosa disp. 2. phys. sect. 4. Rodericus de Arriaga disp. 2. phys. sect. 3. Thomas in 1. sent. disp. 3. quæst. 4. art. 1. &c. Ergo forma agit immediatè & per seipsam, non autem per potentias ab ipsa realiter distinctas. At anima humana est vera forma hominis: Ergo agit immediatè & per seipsam; & cùm agat per intellectum & voluntatem, sequitur intellectum & voluntatem esse ipsam animam. Dixi secundum Adversarios: nam quomodo de istis philosophandum sit, demonstro disputatione contra existentiam formæ substantialis materialis.

15. Respondent Adversarij primò, quòd sicut Architectus est causa per se non per accidens domus; cum tamen non agat immediatè; eo quòd vtatur malleo, trulla & aliis instrumentis ad ædificationem domus; Et sicut ignis est causa per se non per accidens calefactionis, & aqua humectationis; cum tamen non agant immediatè; eo quòd ignis vtatur calore, & aqua humiditate tanquam instrumentis naturalibus ad cale-

ad calefaciendum & humectandum: Ita etiam anima humana est causa per se non per accidens actionum ratiocinandi & amandi; cum tamen eas non exerceat immediatè; eo quòd vtatur intellectu & voluntate tanquam instrumentis naturalibus ad eas exercendas.

16. Verum contra dico primò, eodem quidem modo philosophandum esse de intellectu & voluntate respectu animæ humanæ, ac de calore & humiditate respectu ignis & aquæ; atque adeò sicut calor & humiditas sunt proprietates & potentiæ naturales ignis & aquæ; ita intellectus & voluntas sunt proprietates, potentiæ & facultates naturales animæ humanæ. Verum sicut calor ignis non differt realiter ab ipso, & humiditas aquæ non distinguitur realiter ab ipsa, vt fusè demonstravimus disputatione contra existentiam formæ substantialis materialis: Ita intellectus & voluntas non differunt realiter ab anima humana.

17. Dico secundò, magnam esse differentiam inter malleum, trullam & alia similia instrumenta Architecti ex vna parte; & calorem ignis, humiditatem aquæ, intellectum & voluntatem hominis ex altera: Nam malleus, trulla, & alia similia, nihil agunt ex seipsis, sed tantùm mota ab Architecto; adeò vt sublato Architecto manerent prorsus otiosa: At intellectus & voluntas, calor & humiditas, vt volunt Adversarij, etiam sublatis subjectis possunt existere & operari. Quare alterutrum dicendum est, aut animam humanam nec intelligere nec amare nisi per accidens, ignem non calefacere, & aquam non humectare nisi per accidens; aut intellectum & voluntatem ab anima, calorem ab igne, humiditatem ab aqua realiter non distingui: cum autem prius sit absurdum, posterius verum esse necesse est.

18. Dico tertiò, quòd licet eodem modo philosophandum esset de anima respectu intellectus & voluntatis, sicut de architecto respectu mallei & trullæ; non tamen sequeretur animam humanam non esse immediatè operativam: quia licèt Architectus construeret domum mediatè, scilicet mediante malleo, trulla & aliis instrumentis; attamen ageret immediatè in instrumenta, & ea moveret ad operationem per se & per propriam entitatem: Similiter licet anima cognosceret & amaret mediatè, scilicet mediante intellectu & voluntate; attamen anima ageret immediatè in ipsum intellectum & voluntatem, & vtramque facultatem moveret ad operationem per se & per propriam entitatem; alioquin daretur progressus in infinitum.

19 Respondent & objiciunt Adversarij secundò, Deum solum agere immediatè per se & per propriam entitatem; eo quòd sit simplicissimus, & omnis compositionis expers: At nullæ creaturæ agunt immediatè & per se, sed tantùm mediatè & per facultates aut potentias realiter distinctas & à Deo communicatas ad operandum: eo quòd creaturæ omnes sint compositæ, vel ex essentia & existentia, vel ex genere & differentia, vel ex natura & supposito, vel ex mate-

ria & forma, vel ex partibus integrantibus, vel ex subjecto & accidentibus.

20. Verùm contra dico primò, compositiones ex essentia & existentia, ex genere & differentia, non esse reales intrinsecè, sed tantùm per intellectum eandem rem variis modis & secundum diversa connotata extrinseca cognoscentem; nam compositiones reales supponunt membra realiter distincta: At essentia & existentia, genus & differentia in eodem non distinguuntur realiter intrinsecè, vt demonstravi disputatione de vniversali in communi. Adde quòd Deus habet essentiam & existentiam quæ sunt idem realiter, vt omnes fatentur: habet etiam genus & differentiam; cum possit definiri ens à se à quo omnia, vel substantia rerum omnium creatrix, vel spiritus infinitus.

21. Dico secundò, compositionem ex natura & supposito, secundum communem Theologorum sententiam reperiri in Deo: cum in Trinitate sit vna numero natura divina & tres personæ realiter distinctæ. Licet igitur talis compositio reperiretur in creaturis, non impediret immediatam ejus operationem. Adde quòd Anonymus quidam disputatione de supposito evidentissimè demonstravit, in creaturis naturam & suppositum non differre per aliquam differentiam realem & positivam, & suppositum superaddere tantùm naturæ substantiali singulari creatæ negationem compositionis & adjunctionis.

22. Dico tertiò, quòd licet multæ creaturæ sint compositæ ex materia & forma, necnon ex partibus integrantibus, quæ compositiones in Deo non reperiuntur: Attamen multæ etiam sunt creaturæ quæ carent ejusmodi compositionibus, vt angeli & animæ humanæ; necnon atomi elementares, quæ cum sint indivisibiles non habent partes, & cum sint materia prima, vt probavi disputatione de quantitate, non possunt componi ex materia & forma.

23. Dico quartò, compositionem ex substantia & accidentibus realiter ab ipsa distinctis, non reperiri quidem in Deo, & reperiri in quibusdam creaturis: At compositio ex substantia & facultatibus seu potentiis naturalibus ab ipsa realiter distinctis, nec in Deo, nec in creatura reperitur. Nam sicut Deus creavit omnia per potentiam & virtutem suam, disposuit verò & gubernat ipsas per sapientiam, adeò vt potentia & sapientia non sint realiter distinctæ à Divinitate; sed varios de iis formamus conceptus in ordine ad diversas operationes: Ita etiam Angeli & animæ humanæ cognoscunt iudicant aut ratiocinantur per intellectum, amant & odio habent per voluntatem, ignis comburit per calorem, aqua humectat per humiditatem; adeò vt intellectus & voluntas, calor & humiditas non sint potentiæ realiter distinctæ à suis subjectis, sed varios de iis formamus conceptus in ordine ad diversas operationes, aut alia connotata extrinseca realiter distincta.

24. Cæterùm, quæ diximus de identitate reali intellectus & voluntatis

tatis

tatis hominis inter se & cum anima humana; eadem dicenda sunt de identitate reali intellectus & voluntatis Angeli inter se & cum natura angelica: Et sicut intellectus & voluntas hominis prout sunt principia principalia intelligendi & volendi identificãtur inter se & cũm anima humana: Ita etiam intellectus & voluntas prout sunt principia adæquata intellectionis & volitionis identificantur cum anima rationali cerebro & specie intelligibili, propter easdem rationes. Si aliæ responsiones ab Adversariis traduntur, à nobis, Deo juvante, refutabuntur.

DE SVBIECTO ET RATIONE FORMALI Libertatis Angelicæ & Humanæ.

25. QVandoquidem omnes ferè actiones liberæ sunt immanentes, non transeuntes, certè idem est agens & patiens, seu idem est principium activum & passivum seu receptivum earum; atque adeò idem agens quod exercet actiones liberas, recipit ipsas, & est subjectum earum: Cum autem natura angelica & humana, aut facultates vtriusque (modo libertatis capace) putà intellectus, voluntas & potentia motrix, sint principia activa actionum liberarum, erunt etiam principia passiva seu subjecta earum. Et quoniam vbi est actio libera prout est actio, ibi est etiam libertas, idem est subjectum libertatis & actionis liberæ: atque adeò ipsæ naturæ angelicæ & humanæ, aut facultates earum, sunt subjecta libertatis angelicæ & humanæ.

26. Libertas angelica vel humana, non consistit formaliter in natura angeli vel hominis, aut facultate illius, saltem proximè & adæquatè; quia tota natura, & omnes facultates illius possunt ramanere sine libertate; cum Deus posset cogere Angelos & homines ad motum aut quietem; & possit removere omnem speciem intelligibilem & omne objectum ab angelo & homine; quo casu neuter posset agere, tantùm abest vt posset liberè agere.

27. Libertas igitur angelica vel humana generatim consistit formaliter in natura aut facultate expedita, seu potiùs (vt barbarè loquar) in expeditione fuculcatis. Vt autem facultas sit expedita, debent poni in ipsa omnia necessaria ad agendum, & removeri omnia impedimenta actionis: & talis positio necessariorum, remotioque impedimentorum coustituit formaliter libertatem à coactione: libertas autem indifferentiæ, si qua esset, præter ista requireret indeterminationem in agente.

28. Tria sunt genera actionum liberarum in homine & angelo, scilicet actiones intellectus, voluntatis & potentiæ motricis: propter quas ponuntur tres facultates in illis, scilicet intellectus, voluntas & potentia motrix: quæ non distinguuntur realiter intrinsecè inter se, aut à

natura cujus sunt facultates, vt suprà probatum est: sed tantùm realiter extrinsecè, quatenus considerantur prout quasi vestitæ ejusmodi actionibus realiter intrinsecè distinctis inter se & à natura. Et propter tres illas facultates triplex distinguitur libertas, scilicet intellectus, voluntatis & potentiæ motricis.

29. Tunc libertas est in intellectu Angelico, seu tunc intellectus angelicus liber est; quando habet speciem intelligibilem objecti, si cognoscat per species; vel quando habet objectum præsens, si cognoscat per seipsum; de quo jam non disputo, ne videar excurrere. Alij addunt, ad libertatem intellectus angelici requiri præterea decretum Dei de concurrendo cum intellectu angelico ad intellectionem: verùm an talis concursus sit necessarius, videbitur disputatione de causa peccati.

30. Libertas intellectus humani præter speciem intelligibilem, & fortè decretum Dei de concursu seu virtutem Dei paratam ad concurrendum; requirit necessariò rectam dispositionem organi, scilicet cerebri; si enim cerebrum sit læsum, aut malè affectum & temperatum, vt in delirio, phrenitide, stultitia, &c. intellectus non dicitur liber, saltem ad judicandum & ratiocinandum.

31. Libertas voluntatis angelicæ vel humanæ, præterea quæ requiruntur ad libertatem intellectus, requirit judicium intellectus de bonitate aut malitia rei; quod judicium necessariò & infallibiliter sequitur, vt probabitur posteà. An verò, & quomodo possit cogi voluntas humana in actionibus suis elicitis & imperatis, explicatum est thesi 27.

32. Libertas potentiæ motricis angelicæ consistit formaliter in negatione coactionis violentæ; quæ coactio fortè à solo Deo esse potest. Ideo tunc Angelus habet potentiam motricem liberam, cum non cogitur à Deo ad motum aut quietem. Libertas verò potentiæ motricis humanæ, præter negationem coactionis violentæ, exigit necessariò rectam dispositionem membri externi motum exercentis, & imperium voluntatis.

DE LIBERTATE A COACTIONE Hominum & Angelorum.

Omnes creaturæ intellectuales, scilicet homines & angeli, habent libertatem à coactione, respectu actionum elicitarum ab ipsa voluntate, quales sunt velle aut amare bonum, & nolle aut odisse malum: quia homines & angeli exercent actus amoris & odij per seipsos & secundùm propriam inclinationem, nullumque est agens externum quod possit eos cogere ad exercitium eorum contra propriam inclinationem:

rationem: siquidem amor, vel est ipsa inclinatio in bonum, vel est actio procedens à tali inclinatione; & odium, vel est ipsa aversio à malo, vel est actio procedens à tali aversione: quæ omnia suprà probata sunt thesi 27.

34. Omnes creaturæ intellectuales, scilicet homines & angeli, non semper habent libertatem à coactione respectu actionum aut omissionum earum, quæ exercentur aut omittuntur à potentia motrice: quia homines & angeli possunt cogi extrinsecus ad exercitium aut omissionem earum contra propriam inclinationem; putà angeli possunt cogi à Deo ad motum aut quietem, & homini per vim claudi aut aperiri possunt oculi. Dixi, *non semper*; nam interdum, in ò & sæpissime homines & angeli exercent aut omittunt ejusmodi actiones sponte libenter & secundum propriam inclinationem: quæ omnia probata sunt thesi 28.

35. Omnes creaturæ intellectuales, scilicet homines & angeli habent libertatem à coactione respectu actionum quæ exercentur ab ipso intellectu, qualia sunt judicia & ratiocinationes. Quia coactio duplex est; vna violenta, cùm ita vi externa impellimur, vt licet animo & corpore resistamus quantùm possumus, cogimur tamen agere quod nolumus; sic Pater vi ab alio impulsus invitè & coactè filiolum suum opprimit: Altera non violenta, cum agimus quidem intellectu & voluntate, id est judicamus aliquid esse faciendum, & volumus simpliciter illud facere; at ita tamen vt sit aliquod imperium externum ad quod nobis necessariò respiciendum est, & cui judicium nostrum, nostrá que voluntas est conformanda; adeò vt quamvis, si res penderet prorsus ex arbitrio nostro, secus agendum esse videretur quàm agimus, attamen necessariò agimus prout alius imperat: sic mercator sine violentia & voluntariè, invitè tamen, projicit merces in mare metu naufragij quasi imperantis talem projectionem. At neutra coactione intellectus cogitur ad dijudicationem objectorum; quod sic probatur.

36. Quod ad coactionem violentam attinet, nullum est tale principium quod intellectum cogat ad sic vel sic intelligendum aut judicandum; sed intellectus intelligit res, & de iis judicat, vel prout sunt, vel prout ipsi apparent: unde in speculativis nemo potest cogere ipsum ad judicandum ignem esse frigidum, nivem esse nigram, &c. & in practicis non potest cogi ad judicandum parricidium esse honestum, deformitatem esse bonum delectabile. Quoad coactionem etiam non violentam, certum est hominem in iis actionibus quæ pendent ex aliis facultatibus, respicere quidem posse alienum imperium: at in operationibus intellectus ipsius, putà in intellectione & dijudicatione objectorum, nemo ad alienum arbitrium intelligit aut judicat de objectis, licet extrinsecùs id interdum profiteatur.

37. Cum igitur intellectus dicitur cogi vi demonstrationum, id dicitur impropriè: Nam in propria coactione non tantùm requiritur

necessitas & inevitabilitas futuri eventus; sed præterea requiritur vt id quod cogitur resistat quantum potest, & superetur invitum, vnde nascitur dolor aut tristitia in iis quæ sunt ejus capacia. At in coactione intellectus per demonstrationes, reperitur quidem prius, id est necessariò & infallibiliter judicat; sed posterius non reperitur: aut enim non resistit; aut si resistit, superatur tamen libenter, & non invitus, & sine tristitia. Quòd si in practicis nonnunquam vera ea esse deprehendimus quæ nollemus esse vera, & inde tristitia aliqua oriatur: tunc tristitia illa non est propriè in intellectu, sed in appetitu: at de cognitione veritatis quâ veritas est, intellectus non concipit tristitiam.

38. Cæterùm, quæ diximus de libertate à coactione respectu actionum humanarum, scilicet intellectus, voluntatis & potentiæ motricis: debent intelligi positis omnibus necessariis, & sublatis impedimentis, & in ipso exercitio actuum: nam si organa non sint rectè disposita, aut aliquod necessarium absit, aut impedimentum externum adsit, libertas minuetur aut prorsus tolletur.

39. Ex quibus patet, nullam libertatem, sive à peccato, sive à miseria, sive à dura lege, sive à servitute, sive à coactione, esse essentialem angelis aut hominibus, sed tantùm accidentalem: cum possint esse & peccatores, & miseri, & servi, & lege constricti, & ad operationes non expediti; possunt etiam cogi ad motum aut quietem: possunt privari omni specie intelligibili, sine qua nequeunt operari, multò minùs liberè operari: speciatim verò cerebrum hominis potest lædi morbo gravissimo, putà delirio, phrenitide, aut alio vitio: & sine cerebri recta dispositione homo non potest voluntariè operari: quod autem tollit voluntarium tollit liberum. Quomodo autem philosophandum sit de libertate à necessitate seu libertate indifferentiæ, de qua potissimùm controvertitur inter Theologos, paucis jam docendum est.

DE LIBERTATE A NECESSITATE
Hominum & Angelorum.

40. Omnes creaturæ intellectuales, scilicet homines & angeli, absolutè & secundum se considerati, nulla habita ratione objecti & dispositionis subjecti, habent aliquam libertatem indeterminationis & indifferentiæ ad varios actus, vel ad actum & omissionem ejus; cum habeant facultatem naturalem sese movendi, modo ad vnum bonum, modo ad aliud, & amandi aut odio habendi eandem rem diversis temporibus propter diversas rationes, petitas potissimùm ex diversa propositione objecti, & diversa dispositione subjecti: Verbi gratiâ homo

homo ex natura sua non est determinatus ad locutionem aut silentium, ad amorem aut odium: quæ omnia supra explicata sunt thesi 79.

41. Nullus vnquam, sive homo, sive angelus, fuit, est, erit, aut esse poterit, qui habuerit, habere potuerit, aut habere possit libertatem à necessitate seu libertatem indifferentiæ, si consideretur prout exercens actionem singularem, habita ratione objecti, dispositionis subjecti & circunstantiarum: Sed omnes homines & angeli, exercuerunt, exercent, & exercebunt necessariò & infallibiliter omnes suas actiones, sive naturales, sive supernaturales, sive morales, sive civiles aut politicas: adeò ut angeli mali & protoparentes nostri in primo suo lapsu nececessariò & infallibiliter peccaverint, licet sponte & maximè voluntariè: & quilibet homines & angeli in exercitio suorum actuum & omissione eorum sunt determinati, vel ab objecto certo modo proposito, vel à certa dispositione subjecti, vel ab aliis circunstantiis, ut suprà insinuatum est thesi 80. Quoniam autem hæc doctrina à multis est explosa, validis argumentis firmandam censemus.

42. Primum argumentum sic procedit. Si Deus habeat cognitionem certam determinatam & infallibilem omnium eventuum & effectuum futurorum; sequitur necessariò omnes eventus & effectus esse in se certò, determinatè & infallibiliter futuros: nam impossibile est habere cognitionem certam & infallibilem rei incertæ & quæ aliter se habere potest; nec potest sciri certò aliquid futurum quod certò futurum non est: Deus in primis non potest cognoscere certò aliquid esse futurum, nisi revera sit in se certò & infallibiliter futurum, cum Deus cognoscat res prout sunt in se. At Deus habet cognitionem certam determinatam & infallibilem omnium eventuum & effectuum futurorum, & certissimè scit quicquid futurum est, ut patet ex innumeris locis S. Scripturæ. Ergo omnes eventus & effectus futuri sunt in se certi & determinati, & omnia quæ futura sunt certò & infallibiliter futura sunt. Ex hoc evidentissimo argumento aliud indissolubile sic formatur.

43. Omnis effectus præsupponit causam suam; & omnis effectus certus & determinatus præsupponit causam certam & determinatam ad ejus productionem, non enim potest esse certa futuritio rei, nisi causas sui certas habeat; & si eas habeat, sequitur esse necessariam: Sicut enim quando res existit, quia jam est extra suas causas, necessariò & infallibiliter existit; Ita cum res futura est, quia causas habitura est determinatas, oportet eam necessariò fore. Sed omnes effectus futuri sunt certi infallibiles & determinati in se, ut probatum est thesi præcedenti. Ergo omnes causæ productrices ejusmodi effectuum futurorum, sive sint angeli sive homines, sunt certæ, infallibiles & determinatæ ad productionem eorum; atque adeò non sunt inde-

terminatæ & indifferentes, & per consequens non habent libertatem à necessitate seu libertatem indifferentiæ.

44. Cæterùm cognitio certa & infallibilis quam Deus habet ab æterno rerum omnium futurarum, procedit ex eo quòd res omnes necessariò producendæ sint à Deo vel à creatura. At extra controversiam est Deum certissimè scire res omnes quas producturus est, cum enim sit omnipotens, quicquid vult facit in cœlo & in terra: Et indubitatum est Deum certò & infallibiliter cognoscere naturam, ordinem, dispositionem & connexionem causarum secundarum, à quibus omnes omnium creaturarum effectus necessariò & infallibiliter procedunt. Deus autem cognoscit in se & in decreto suo quæcunque ipse est facturus, & certissimè cognoscit in causis effectus ab iis producendos; cum certò & infallibiliter cognoscat causas secundas certo quodam modo dispositas & conjunctas aut connexas necessariò & infallibiliter producere suos effectus. Et revera, si Astrologi certò sciunt horam & minutum quo fiunt eclipses Solis & Lunæ multò antequam contingant: Cum enim motum ordinarium Solis & Lunæ exactissimè cognoscant, etiam certissimè sciunt horam & minutum quo Luna interponitur inter Solem & aspectum nostrum, per quam interpositionem fit Eclipsis Solis; necnon horam & minutum quo terra interponitur inter Solem & Lunam, ex qua interpositione oritur Eclipsis Lunæ: Potiori ratione Deus optimus maximus, Creator universi, qui solus produxit omnes substantias, & omnes earum motus, dispositiones, & conjunctiones scit & dirigit; omnes etiam effectus ab iis infallibiliter producendos perfectissimè cognoscet.

45. Ex eo quòd Deus non aliter cognoscat res futuras quàm in decreto suo, aut in causis eas aliquando producturis; sequitur necessariò Deum non cognoscere res futuras tanquam præsentes aut actualiter existentes: quia Deus cognoscit res prout sunt in se, & non potest eas aliter cognoscere; & per consequens cognoscit res præteritas ut præteritas, præsentes ut præsentes, & futuras ut futuras: Et cum res præsentes in se sint actu existentes, certè si Deus cognosceret res futuras ut præsentes in seipsis, eas cognosceret ut actu existentes; atque adeò aliter quàm sunt, quod est absurdum. Vno verbo cum effectus ante eorum existentiam sint tantùm in causis, manifestum est Deum tunc eos non cognoscere nisi in causis; & per consequens Deum non cognoscere certò eos fore extra causas & aliquando futuros, nisi quia certissimè scit causas vel dispositionem & conjunctionem earum infallibiliter eos producturas. Notandum est tamen quòd licet res futuræ non possint cognosci à Deo tanquam præsentes aut actu existentes; nihilominus certissimum est res omnes futuras esse præsentes cognitioni divinæ. Sicut enim quod tangitur à manu, dicitur præsens manui; & quod videtur ab oculo, dicitur esse præsens oculo; Ita etiam quod cognoscitur ab intellectu, dicitur esse præsens intellectui,

aut cognitioni ejus : Cum igitur res omnes futuræ perfectissimè cognoscantur à Deo ; manifestum est res omnes futuras esse præsentes Deo seu ejus cognitioni.

46. Secundum argumentum tollens libertatem indifferentiæ ab omni creatura, petitur ab ejus mutabilitate hoc pacto. Cum solus Deus sit immutabilis ; & omnis creatura naturâ suâ sit mutationi obnoxia ; & Deus creaverit angelos & primos homines in statu naturali, bonos tamen & integros sine vllo peccato & corruptione, vt scirent omnes quid essent per naturam, & quidam ex illis agnoscerent quid futuri essent per gratiam : Certè necessarium fuit vt angeli & primi homines natura sua mutabiles certis quibusdam objectis propositis tandem mutarentur, & ex bonis & iustis fierent peccatores & injusti, præter eos angelos quos Deus voluit conservare, qui cum essent ejusdem naturæ, mutationem eandem subiissent nisi Deus gratiâ suâ eos conservasset : nam si homines & angeli nunquam mutationem subiissent, eorum mutabilitas non fuisset cognita, & potiùs immutabiles quàm mutabiles crediti essent. Vnde sequitur primum peccatum hominum & angelorum contigisse ex necessitate, sponte tamen & voluntariè.

47. Hæc doctrina non parùm favet superlapsariis, & removere videtur injustitiam omnem à Deo creaturas aliquas odio habente, & punitionem ipsis decernente ante omnem lapsum actualem, quod solum rude videbatur in eorum sententia. Nam si lupi recens nati, quia necessariò futuri sunt ovibus infesti, à pastoribus sine injustitia odio habentur & interficiuntur, licet proportio sit inter vtrosque, quia vtrique finiti : Cur creaturarum omnium opifex Deus, qui imperium in eas absolutum habet, & propter excellentiam infinitam cum iis finitis nullam proportionem habet, injustitiæ arguetur ; si eas contra eum necessariò peccaturas, odio dignas censeat, & iis decernat supplicium post peccatum actuale subeundum ? Ex eo autem quòd sint creaturæ intellectuales simpliciter sunt necessariò mutabiles & peccaturæ, si certa quædam iis proponantur objecta.

48 Tertium argumentum tollens libertatem indifferentiæ ab omni creatura, his ferè verbis traditur à Doctissimo viro. Inter omnem facultatem rectè comparatam, & objectum quod ei naturaliter destinatum est, talis convenientia intercedit, vt si alterum ad alterum accommodatè applicetur, operatio facultatis consentanea cum natura objecti fit inevitabilis, vt patet his exemplis.

49 Si ignis ad materiam combustibilem admoveatur, necessariò calefacit aut comburit : quia vis calefaciendi aut comburendi quæ est in igne, ita accommodata est ad talem materiam, putà ad stupam exsiccatam, vt non possit non se exercere, sed eam necessariò calefacit aut comburit si ad eam admoveatur : Et licet id non faciat sponte aut liberè, quia caret cognitione & ratione ; id tamen non facit violen-

ter aut coactè, sed necessariò, naturaliter seu accommodatè ad suam naturam.

50. Si pabulum offeratur bruto fame laboranti, & cognoscetur & appetetur necessariò ab eo: quia cognoscendi & appetendi vis quæ est in animali, ita conformata est ad qualitates quæ sunt in pabulo, vt non possit se non exercere pariter, cum illi objiciuntur: Et licet id non faciat liberè propriè loquendo, quia caret ratione; id tamen non facit violenter, aut coactè; sed sponte, & aliquo modo naturaliter, id est accommodatè ad suam naturam; idque necessariò & infallibiliter.

51. Eodem modo philosophandum de sensibus aut organis sensuum: oculus enim non potest non videre colores illuminatos, auris non potest non audire sonos, & lingua non potest non gustare sapida, reliqui sensus non possunt non percipere propria sua objecta, cùm ad eos convenienter appelluntur, sed necessariò operantur: cujus rei ratio petenda est ex convenientia quæ intercedit inter facultates & objecta.

52. In intellectu speculativo id etiam est manifestum: Si enim res intelligibilis atque vera intellectui offeratur accommodatè, eum necessariò movebit & trahet in assensum: adeò vt intellectus naturæ convenienter constitutus, verum clarè propositum necessariò pervideat, nec omnino possit non pervidere, si sit accommodatè oblatum: nemo enim qui sit mentis compos, à se impetrare potest quin credat verbi gratiâ istam propositionem esse veram, *si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanebunt erunt æqualia.* Ratio autem hujus rei est, quia sic Deus facultatem intelligendi ad objectum verum attemperavit, vt si bene sese habeat & naturæ suæ congruenter, fieri nequeat quin ex vtriusque conjunctione operatio nascatur vtrique consentanea; atque adeò licet id non fiat vi aut coactè, sed sponte; attamen fit necessariò & infallibiliter.

53. In intellectu practico, qui de bonitate objectorum iudicat, idipsum cernitur: Nam practicus intellectus necessariò iudicat bonum esse amandum, virtutem esse bonum honestum, divitias esse bonum vtile, & pulchritudinem esse bonum delectabile, non minùs quàm intellectus speculativus necessariò iudicat ignem esse calidum, aquam esse humidam, &c. quod fit propter convenientiam quæ intercedit inter intellectum & ejusmodi objecta.

54. Cum igitur inter voluntatem aut appetitum, & bonum honestum vtile aut delectabile eadem sit convenientia; nec verum quatenus verum magis consentiat cum intellectu quatenus intellectus est, quàm objectum bonum consentit cum voluntate aut appetitu qua talis est; clarum est necessitatem volitionis aut appetitionis non esse minùs inevitabilem quàm necessitatem apprehensionis veri. Ex quibus sequitur nullam esse prorsus libertatem indif-

ferentiæ

ferentiæ seu à necessitate in creaturis.

55. Quartum argumentum tollens liberum arbitrium seu libertatem indifferentiæ ab omni creatura intellectuali, petitur ex eo quòd omnes homines & angeli omni tempore sunt determinati ab aliquo intrinseco aut extrinseco ad omnes suas actiones necessariò & infallibiliter exercendas, sive sint purè naturales aut animales, vt in omnibus hominibus: sive sint voluntariæ aut intellectuales, vt in omnibus hominibus & angelis: quæ omnia sigillatim sunt demonstranda.

56. In actionibus purè naturalibus, quales sunt concoctio cibi in stomacho, motus arteriarum, & aliæ similes: homo ab intrinseco, scilicet à natura sua & à proprio temperamento est determinatus ad eas necessariò & infallibiliter exercendas: adeò vt intellectus & voluntas nihil directè conferant ad exercitium earum: & cibus concoquitur in stomacho, aut arteriæ moventur, etiam nemine cogitante, & sine vlla operatione intellectus aut voluntatis.

57. In actionibus sensuum externorum, quales sunt videre, audire, olfacere, gustare & tangere: facultas motrix aut organa sensuum, sunt determinata à voluntate ad eas necessariò & infallibiliter exercendas: ita vt si homo velit aperientur aut claudentur oculi vt videat aut non videat, pedes movebuntur ad ambulandum, manus ad tangendum, &c. idque necessariò & infallibiliter, saltem positis omnibus requisitis & sublatis impedimentis. Eodemque modo philosophandum de actionibus sensus interni aut phantasiæ, quæ necessariò determinatur à voluntate & sensatione externa.

58. In actionibus intellectus tam speculativis quàm practicis, Angeli & homines nullam habent libertatem indifferentiæ; sed in cognitionibus, judiciis, aut ratiocinationibus necessariò & infallibiliter determinantur, vel ab objectis, vel (si sint homines) etiam à temperamento, dispositione & constitutione eorum. Dico ab objectis: nam intellectus semper judicat virtutem esse bonum honestum, divitias esse bonum vtile, & pulchritudinem esse bonum delectabile; adeò vt inter duas puellas æquè honestas & divites, judicaturus sit pulchram deformi esse præferendam; & inter æquè formosas ac divites, honestam turpi esse præponendam. Dico etiam à temperamento: nam melancholici aliter judicant quàm sanguinei, & biliosi aliter quàm phlegmatici; melancholicus judicabit solitudinem esse bonam, sanguineus malam; biliosus judicabit festinandum esse, phlegmaticus è contra. Dico denique à dispositione: nam prout quis est bene vel malè affectus erga alium, diversè iudicabit de ipso; si bene affectus, ignaviam eius, prudentiam dicet, temeritatem eius, vocabit fortitudinem, prodigalitatem nuncupabit liberalitatem; si malè affectus è contrâ. Quoniam autem his tribus proximè præcedentibus thesibus contenta à nemine ferè negantur; iis diutiùs non immorabimur: Et quia tota

quæstio & controversia est de actionibus voluntatis, paulò fusiùs de iis agimus.

59. In actionibus propriis voluntatis hominum & angelorum quales sunt amare bonum & odisse malum, voluntas determinatur ab intellectu ad eas necessariò & infallibiliter exercendas. Nam voluntas non potest amare bonum aut odisse malum, nisi priùs intellectus iudicaverit esse bonum aut malum; siquidem nihil volitum quin præcognitum, & priùs obiectum cognoscendum quàm amandum aut odio habendum: quando autem intellectus hominis aut angeli iudicabit aliquid esse sibi bonum & conveniens, aut sibi malum & disconveniens; certum est voluntatem, positis omnibus requisitis, & sublatis impedimentis, necessariò & infallibiliter amare quod iudicatum est bonum & conveniens, & necessariò seu infallibiliter odio habere quod iudicatum est malum & disconveniens: alioquin si intellectu dictante aliquid esse bonum, voluntas ipsum refugiat; & dictante aliquid esse malum, ipsum appetat; sequetur voluntatem refugere bonum sub ratione boni, & appetere malum sub ratione mali; eo quòd rationes boni & mali solus intellectus perpendat: At voluntas non refugit bonum sub ratione boni, id est bonum quod iudicatum est bonum, cùm omnia bonum appetant; nec appetit malum sub ratione mali, id est malum quod iudicatum est malum, cum nemo intendens in malum operetur. Ergo intellectu dictante aliquid esse bonum, voluntas necessariò ipsum appetit & amplectitur, & intellectu dictante aliquid esse malum, voluntas necessariò ipsum refugit & aversatur; atque adeò voluntas sequitur necessariò & infallibiliter omni tempore dictamen intellectus; & per consequens voluntas necessariò determinatur ab intellectu ad exercitium suarum actionum: vnde necessariò sequitur voluntatem nunquam habere libertatem à necessitate seu libertatem indifferentiæ in suis actionibus.

60. Respondent Adversarij primò, Bonum quodlibet ab intellectu monstratum non esse bonum purum, saltem in hac vita; sed esse semper coniunctum cum aliquo malo; atque adeò esse bonum mancum & mutilum: Verbi gratia si puella sit dives, erit deformis: si pulchra, erit inops aut alio vitio inquinata. Pariter malum monstratum ab intellectu non est malum purum, sed habet aliquam rationem boni admixtam, sive honesti, sive vtilis, sive delectabilis: Quando autem intellectus monstrat bonum, detegit etiam malum cum eo coniunctum; & quando monstrat malum, ostendit etiam bonum ipsi coniunctum; atque adeò intellectus relinquit semper voluntatem liberam, indeterminatam & indifferentem ad obiectum amandum ratione bonitatis, aut idipsum odio habendum ratione malitiæ admixtæ. Intellectu igitur dictante aliquid esse bonum, cum monstret etiam esse malum: voluntas non refugit ipsum quatenus est bonum, sed quatenus est malum: & intellectu dictante aliquid esse malum, cum monstret etiam

esse

esse bonum, voluntas non appetit ipsum quatenus est malum, sed quatenus est bonum.

61. Contra hanc primam responsionem sic arguo. Quando bonum & malum in aliquo objecto reperiuntur; vel intellectus fortiùs & efficaciùs proponit bonitatem obiecti, & iudicat rem esse magis amandam ratione suæ bonitatis, quàm odio habendam ratione malitiæ; & sic movetur potentiùs voluntas ad amorem obiecti quàm ad odium ejus: Vel intellectus fortiùs & efficaciùs proponit malitiam obiecti,& judicat rem esse magis odio habendam ratione suæ malitiæ, quàm amandam ratione suæ bonitatis; & sic movetur potentiùs voluntas ad odium objecti quàm ad amorem eius: vel vtrumque, scilicet bonum & malum, proponit æqualiter, & judicat vtrumque esse indifferens, sive ametur, sive odio habeatur. Si primum, voluntas necessariò & infallibiliter amabit rem, quæ ratione suæ bonitatis potentiùs movet ipsam voluntatem ad amorem, quàm ratione suæ malitiæ ad odium: Si secundum, voluntas necessariò & infallibiliter odio habebit rem,quæ ratione suæ malitiæ potentiùs movet ad odium, quàm ratione suæ bonitatis ab amorem: vnde sequitur intellectum judicantem rem esse magis amandam quàm odio habendam, aut è contra, non relinquere voluntatem liberam libertate indifferentiæ ad amorem & odium illius rei, sed eam necessariò & infallibiliter determinare ad alterutrum. De tertio, scilicet quando intellectus proponit vtrumque esse indifferens, agetur postea.

61. Veritas hujus doctrinæ extra dubium proponitur, si intellectus & voluntas non differant realiter. Si enim eadem res quæ judicavit de bono aut malo, ipsum amplectatur aut refugiat; manifestum est quòd si ens aliquod iudicaverit rem esse magis amandam ratione suæ bonitatis quàm odio habendam ratione suæ malitiæ, necessariò & infallibiliter illam amabit; si verò iudicaverit rem esse magis odio habendam ratione suæ malitiæ quàm amandam ratione suæ bonitatis, necessariò & infallibiliter eam odio habebit. Intellectum autem & voluntatem esse vnam & eandem entitatem realiter, nec esse duas facultates realiter distinctas inter se, fusè demonstratum est suprà.

63. His adde quòd interdum intellectus non monstrat nisi bonum, aut non proponit nisi malum quod est in re: quo casu voluntas non potest esse libera libertate indifferentiæ ad amorem & odium; alioquin posset amare malum quatenus malum, & odisse bonum quatenus bonum est, vt patet attendenti; quod tamen est contra naturam voluntatis, & repugnat experientiæ.

64. Respondent Adversarii secundò, quod si intellectus monstret tantùm rationem boni, voluntas non potest illud bonum odio habere; & si monstret tantùm rationem mali, non potest illud malum eligere; alioquin refugeret bonum sub ratione boni, & appeteret malum sub ratione mali, vt dicitur in argumento: nec tamen sequitur volunta-

tem non esse liberam: licèt enim in tali casu non sit libera libertate contrarietatis & quoad specificationem; eo quòd non possit contrarios & specie differentes actus exercere, scilicet amare & odisse: attamen manet libera libertate contradictionis & quoad exercitium; eo quòd possit amare bonum aut non amare seu suspendere actum amoris, quamvis non possit ipsum odio habere; & possit malum odio habere aut non odio habere seu suspendere actum odii, quamvis non possit ipsum amare.

65. Contra hanc secundam responsionem sic arguo. Solo bono proposito, vel intellectus nihil iudicat; vel iudicat bonum illud esse amandum: vel iudicat non esse amandum, sed actum amoris esse suspendendum. Si nihil judicat, sequetur voluntatem non esse appetitum rationalem, quod est absurdum; cum voluntas ab omnibus Philosophis definiatur appetitus rationalis. Quòd autem sequetur voluntatem non esse appetitum rationalem, patet ex eo quòd appetitus non dicitur rationalis aut intellectualis, nisi quia sequitur rationem aut intellectum tanquam ducem in omnibus suis actionibus: Si igitur intellectus nihil judicet, & tamen voluntas feratur in objectum; evidens est voluntatem ferri in incognitum; cum tamen vulgatum sit axioma, *nihil volitum quin præcognitum*, & priùs cognoscendum objectum quàm amandum. Adde quòd, sequetur intellectum non proposuisse aut monstrasse bonum, quod est contra suppositionem: nam intellectus non monstrat bonum, nisi quia vt tale est cognitum & judicatum ab ipso.

66. Rursus, si intellectus iudicet bonum illud esse amplectendum, voluntas necessariò & infallibiliter amabit ipsum, saltem sublatis omnibus impedimentis; atque adeò non erit libera libertate indifferentiæ ad amandum & non amandum seu suspendendum actum amoris: alioquin desinet esse appetitus rationalis, & per consequens desinet esset voluntas, quia non sequetur quod intellectus iudicavit & dictavit esse sequendum; & suspendet actum amoris sine ratione, eo quòd ratio seu intellectus dictaverit exercendum non autem suspendendum actum amoris. Adde quòd obiectum voluntatis sit tantùm bonum vt tale iudicatum ab intellectu: adeò vt voluntas nec amet, nec odio habeat, nec suspendat actum amoris aut odij, nisi quia vnum ex illis tribus ei apparuit aut apparet esse bonum: At si intellectus iudicet bonum vt tale cognitum esse amandum, non apparebit voluntati suspensionem actus amoris esse bonam; cùm proprium sit intellectus proponere, monstrare, & manifestare bonum: quod tamen non fecit respectu suspensionis: quandoquidem suppositum est intellectum iudicasse exercendum non suspendendum actum amoris: Ergo intellectus iudicans amandum esse bonum vt tale cognitum, voluntas non suspendebit actum amoris, sed necessariò & infallibiliter amabit ipsum bonum: & per consequens non erit libera libertate indifferentiæ ad amandum & non

non amandum. Dixi suprà, *saltem sublatis impedimentis*; cum enim cognitio præcedat amorem, fortè fieri posset vt immediatè post cognitionem boni, homo syncopem pateretur, vel Deus ei denegaret concursum ad actum amoris exercendum. Attamen in tali casu certum est voluntatem non esse liberam libertate indifferentiæ ad exercendum & non exercendum actum amoris; esset enim necessariò determinata à syncope aut denegatione concursus divini ad non exercendum actum amoris.

67. Denique, si intellectus proposito bono iudicet suspendendum esse actum amoris, voluntas necessariò & infallibiliter suspendet ipsum; & sic non erit libera libertate indifferentiæ ad amandum & non amandum; alioquin non sequeretur dictamen intellectus, & amabit sine ratione; cum ratio dictaverit suspendendum non autem exercendum actum amoris; atque adeò non erit appetitus rationalis. Adde quòd, intellectus non fertur in objectum nisi prout apparet ipsi bonum; non apparet autem tale, nisi quia id monstravit intellectus; At intellectus non monstravit aut dictavit amandum esse bonum: cum iuxta suppositionem iudicaverit suspendendum non autem exercendum actum amoris: Ergo si intellectus monstrato bono iudicaverit suspendendum esse actum amoris, voluntas ipsum necessariò & infallibiliter suspendebit & per consequés non erit libera libertate indifferentiæ ad amandum & non amandum. Præterea, intellectus monstrans bonum, iudicat esse bonum & cum bonum sit amabile, imò esse bonum & esse amabile sint idem realiter, sequitur intellectum iudicantem aliquid esse bonum, iudicare etiam esse amabile & amandum, non autem suspendendum actum amoris circa ipsum. Et revera sicut intellectus speculativus cognita veritate propositionis, non suspendit actum assentiendi, sed necessariò & infallibilitet ei assensum præbet: Ita etiam intellectus practicus agnita bonitate rei alicujus, non relinquit voluntatem suspensam, nec iudicat suspendendum actum amoris, sed necessariò & infallibiliter iudicat eam esse amandam.

68. Cæterùm, quæ suprà dicta sunt de bono proposito, eadem dici possunt de malo proposito; scilicet quod intellectus monstrans tantùm malum quod est in re, vel nihil iudicat, vel iudicat malum vt tale cognitum esse odio habendum, vel iudicat suspendendum esse actum odij; Et quicquid respondebunt Adversarij eodem ferè modo refutari poterunt quo suprà dum agebatur de bono. Et ideo his non diutiùs immorabor, & ad refutationem aliarum responsionum progrediar.

69. Respondent alij tertio, Deum diversos bonitatis gradus rebus omnibus communicasse; & ideo intellectum posse monstrare voluntati duo bona inæqualia, scilicet bonum minus & bonum majus; tunc autem voluntatem esse liberam libertate indifferentiæ ad amandum quodlibet eorum; & quovis electo voluntatem manere intra

ſphæram ſuæ activitatis & objecti; cùm objectum voluntatis ſit quodlibet bonum, ſive majus, ſive minus.

70. Contra hanc tertiam reſponſionem: dico, quòd quemadmodum lux meridiana Solis ita movet viſum vt non percipiat minorem lucem ſtellarum; & ſonus vehemens tormenti bellici ita movet auditum vt minores ſonos eodem illo tempore editos non percipiat: Sic etiam majus bonum ita movet voluntatem vt minora bona negligat. Et ſicut avarus vt avarus, habens pro objecto divitias poſſidendas, infallibiliter centum nummos potiùs quàm decem accipiet: Et ambitioſus vt ambitioſus, habens pro objecto honores & dignitates, optabit infallibiliter, dignitatem Principis potiùs quàm cauſidici: Ita etiam voluntas vt voluntas, habens pro objecto bonum, eligit infallibiliter majus bonum potiùs quàm minus.

71. Et revera, minus bonum quamvis ſecundum ſe & abſolutè ſit bonum; attamen comparatum cum majori bono eſt formaliter malum quoddam; quia importat defectum majoris illius bonitatis quæ alteri bono inſidet, & per conſultationem deprehenſa eſt: Cum ergo conſultatio conſtituatur comparando media bona, & iudicium conſultationem claudens, ita in alteram partem feratur vt tamen comparativum ſit, & redolens anteriorem mediorum bonorum comparationem ex qua ortum habuit; profectò ſi eligeretur medium minus bonum fatendum eſſet tale medium eligi formaliter vt malum; quandoquidem non proponeretur eligendum niſi quatenus eſt minus bonum, ſub qua ratione eſt aliquatenus malum. Idipſum confirmatur authoritate Ariſtotelis lib 3 de anima tex. 57. & lib. 3. Eth. cap. 3. ſaltem apud Peripateticos; quod addo, quia Chriſtianus ſola authoritate divina, & ratione niti debet.

72. Dicet fortè aliquis, quòd licet voluntas ordinariè eligat majus bonum potiùs quàm minus, non tamen ipſum eligit neceſſariò & infallibiliter: poſſet enim fieri vt homo pervicax ingenij, volens oſtendere pleniſſimam ſuam libertatem & indifferentiam, eligeret minus bonum; adeò vt voluntas, ſic loquens poſſet introduci: Intellectus proponit quidem mihi duo bona quorum vnum eſt maius altero, & dictat maius eſſe potiùs amplectendum quàm minus; attamen vt appareat me non eſſe ſubditam & obnoxiam intellectui, ſed dominam meorum actuum; volo impræſentiarum eligere minus bonum contra dictamen intellectus.

73 Verùm contra dico, vanitatem libertatis imaginariæ demonſtrandæ minori bono additam, apparere homini maius bonum, quàm id quod antea iudicatum fuerat maius bonum in ſe & abſolutè: Ejuſmodi autem vanitas & pervicacia iuncta minori bono, non poteſt apparere maius bonum, niſi intellectus idipſum monſtraverit, & dictaverit ſatius eſſe, atque adeò maius bonum eſſe, eligere quod antea minus bonum in ſe & abſolutè iudicatum fuerat, ad libertatem

imaginariam

imaginariam demonstrandam : nam secundùm Adversarios voluntas est potentia cæca, quæ non potest ferri nisi in id quod intellectus monstraverit ; ita vt intellectus monstrata bonitate apparente libertatis imaginariæ, & bono in se & absolutè minori coniuncta, iudicaverit duo hæc bona simul iuncta esse maius bonum, quàm illud quod prius iudicatum fuerat esse maius bonum in se & absolutè, & quod iam minus apparet hoc posteriori iudicio : Et sic voluntas semper amplectitur necessariò & infallibiliter maius bonum neglecto minori iuxta dictamen intellectus. Adde quòd si intellectu aut ratione dictante aliquid esse maius bonum, & iudicante ipsum esse amplectendum, voluntas neglecto maiori bono minus eligeret; tunc non sequeretur rationem, & sic desineret esse appetitus rationalis, & per consequens desineret esse voluntas, quæ definitur appetitus rationalis.

74. Alij respondent quartò, intellectum posse monstrare voluntati duo bona prorsus æqualia, putà duos cyathos eodem vino repletos, pulchritudine & magnitudine æquales, & ab homine siti magna laborante æqualiter remotos : quo casu evidens est intellectum iudicaturum esse indifferens alterutrum accipere ; & per consequens relinquere voluntatem liberam & indifferentem ad eligendum vnum præ alio.

75. Contra hanc quartam responsionem : Dico, quòd licet intellectus monstret duo bona prorsus æqualia, & iudicet indifferens esse alterutrum accipere ; nihilominus voluntas est tunc determinata necessariò & infallibiliter, partim ab intellectu, partim à sensu externo. Determinatur quidem necessariò ab intellectu, sed quoad exercitium actus ; quia intellectus non tantùm iudicat indifferens esse alterutrum accipere, sed præterea iudicat alterutrum esse sumendum ; adeò vt voluntas non possit suspendere actum, sed necessarium est vt sumat alterutrum ; alioquin non sequeretur dictamen intellectus, & non esset appetitus rationalis, quod suprà refutatum est : nam vt in neutrum feratur dici non potest cum fundamento : Quis enim non rideat eum qui vrgente fame, propositisque in eadem distantia duobus panibus ejusdem candoris & magnitudinis, & æqualis bonitatis, conqueratur se famis stimulis vrgeri, nec posse eam sedare, eo quòd panes propositi sint prorsus æquales ? Quis etiam fatuum & stultum non credat eum qui nisi fugâ sibi consulat opprimendus sit ab hoste vrgenti, tantùm quia duæ viæ suppetunt ambæ æqualiter idoneæ ad declinandum hostis irruentis impetum ? Determinatur etiam necessariò à sensu externo, sed quoad vnum objectum singulare præ alio eligendum: quia objectum illud in quod vltimò fertur visus, eligitur præ alio in quod tunc temporis non fertur : vno verbo homo tunc eligit vnum præ alio, duce sensu, non ratione, eodem ferè modo quo canis æqualiter proximus duobus frustis carnis prorsus æqualibus, vnum sumit relicto altero.

76. Denique alij respondent, iudicium rationis quatenus practi-

cum esse in potestate voluntatis, quia voluntas finit se movere ab hoc potiùs quàm ab illo objecto; ipsique rationi imperat, ne monstrare & ingerere pergat, v rbi gratiâ, id quod salubre quidem est simpliciter, sed sensui asperum & ingratum. Cum igitur voluntas hinc ad peccandum pellicitur à voluptate per sensum, atque etiam per corruptam & corruptricem rationem; inde à peccato revocatur per legem Dei, quam recta proponit ratio; penes ipsam voluntatem est vel huic vel illi motioni sequacem se præbere.

77. Contra hanc vltimam responsionem sic arguo: Quando voluntas imperat intellectui ne monstrare pergat id quod salubre est, sed sensui asperum; vel facit nullo prævio iudicio, vel prævio aliquo: Si primum, voluntas non erit appetitus rationalis; Si secundum voluntas necessariò sequetur illud iudicium, ob rationes suprà allatas. Item, quando voluntas hinc ad peccandum pellicitur per sensum & rationem corruptam, inde à peccato revocatur per legem Dei; vel intellectus iudicat hic & nunc peccandum, aut peccatum fugiendum, vel nihil iudicat: Si primum, voluntas necessariò sequetur iudicium illud ob rationes suprà allatas: Si secundum, voluntas agens non erit appetitus rationalis, sed belluinus impetus. Vno verbo voluntas non imperat rationi, nisi ipsa voluntas priori rationi fuerit obsecuta: sicque ratio interventu voluntatis imperat rationi, & voluntas à mente prius determinata rationi imperat. Quòd si voluntas imperans rationi non fuerit priùs à mente determinata, certè voluntas non erit appetitus intellectivus & rationalis; atque adeò nec voluntas. Denique quando voluntas finit se moveri ab intellectu, vel se habet merè passivè, vel non: Si se habeat merè passivè, id est si ita finat se moveri ut non possit non finere se moveri, tunc voluntas sequetur necessariò motionem seu dictamen intellectus: Si verò se non habeat merè passivè, sed ita finat se moveri ut possit non finere se moveri, & possit resistere motioni intellectus; tunc resistit sine ratione, vel cum ratione: si sine ratione, non erit appetitus rationalis, & desinet esse voluntas: si verò cum ratione, sequetur necessariò illam, quia intellectus potiorem iudicavit, vt suprà probatum est. Vnde patet iudicium rationis practicum non esse in potestate voluntatis.

78. Objiciunt Adversarii primò, dictum illud Medeæ, video meliora proboque, deteriora sequor. Verùm respondetur, homines improbos sæpe videre meliora & ea probare tanquam bona honesta; sed quæ probarunt tanquam honesta, iudicant esse damnosa aut molesta; & ideo bonum honestum non sequuntur, quia iudicant licet corruptè hic & nunc bonum vtile aut delectabile esse amplectendum & honesto præferendum: Dicuntur autem sequi deteriora, id est inhonesta, sed quæ iudicarunt esse vtilia aut delectabilia, & quæ tunc potentiùs movent voluntatem. Aliter dicunt homines improbos probare meliora speculativè non practicè; quod autem intellectus bonum iudicavit

cavit practicè, illud necessariò sequitur: necessitate rationis.

79. Objiciunt secundò, quòd si intellectus illuminatio ita afficiat voluntatem vt non possit reluctari, voluntas destruetur; quia vel movebitur vt brutorum appetitus, vel vt lapides qui ferri deorsum impetu naturæ creduntur. Verùm respondetur negando consequentiam: quia voluntas in beatis non potest reniti, & voluntas Christi in terris non potuit reniti intellectui illuminato; cum tamen motus voluntatis in Christo & beatis, non sit belluinus aut inanimatus. Adde quòd concedi possit voluntatem improborum, inhonesta, sed vtilia aut delectabilia sectantium, necessariò trahi à pravo judicio intellectus; & vtrumque, scilicet intellectum & voluntatem, trahi necessariò à sensu & appetitu sensitivo; atque adeò ferè moveri tanquam bruta.

80. Objiciunt tertiò, quòd si voluntas necessariò determinetur ab intellectu per Spiritum sanctum illuminato, vi cogetur ab ipso: Nam vis cogens ea dicitur quæ oritur à principio externo, & cui internum principium repugnat: At illuminatio intellectus à Spiritu sancto est principium externum; & humana voluntas spiritui resistit, vt patet in iis qui peccant adversus Spiritum sanctum.

81. Verùm respondetur, quòd si voluntas determinetur, non resistit: tunc enim determinatur cum vult: at cum vult non resistit: Si autem resistat spiritui Dei, aut judicio intellectus à Spiritu sancto extrinsecus aut leviter illuminati; tunc eadem est pugna intellectus adversus intellectum, quæ voluntatis; nempe putat intellectus hoc esse faciendum, sed idem tamen intellectus putat illud potiùs esse faciendum: voluntas igitur repugnare dicitur intellectui aut spiritui, quatenus non obsequitur intellectui inefficaciùs moventi, pro quo habet tantùm velleitatem seu volitionem inefficacem: obsequitur tamen intellectui potentiùs & vehementiùs moventi & jubenti, pro quo habet volitionem efficacem. Quare qui peccant in Spiritum sanctum & ei resistunt, potentiùs moventur à bono vtili aut delectabili proposito tanquam majori bono ab eorum intellectu corrupto, quàm à bono honesto proposito tanquam minori bono ab eorum intellectu per Spiritum sanctum leviter aut extrinsecè tantùm illuminato. Dixi leviter aut extrinsecè? quia intrinsecè & potenter illuminati à Spiritu sancto nunquam resistunt, eorumque voluntas necessariò & infallibiliter, licet sponte & libenter, flectitur ad obsequium Dei.

CAPVT QVINTVM.

DE LIBERTATE HOMINIS in quolibet ejus statu.

1. HOmo potest considerari in quadruplici statu, scilicet integritatis, corruptionis, regenerationis, & glorificationis; de quibus jam breviter agemus, fusiùs tractaturi disputatione de causa peccati.

2. Integritas quæ tantùm fuit in Adamo & Eva antequam peccarent, complectebatur sapientiam animæ rationalis, quæ est pars superior hominis; & rectum temperamentum corporis humani sensitivi, quod est pars inferior ejusdem hominis. Alij addunt rectam dispositionem partium animæ, cujus beneficio homo naturaliter inclinabatur ad bonum. Verùm cum animæ compositio ex partibus, ejus spiritualitati & immortalitati, atque adeò S. Scripturæ repugnare videatur; sapientiam animæ & rectum temperamentum corporis, ad integritatem hominis sufficere existimamus.

3. Sapientia consistebat in clara cognitione veri & boni, in anima rationali à Deo posita; quâ exornatus homo, non tantùm Deum & opera ejus cognoscebat, sed etiam verum à falso, justum ab injusto discernebat, & de omnibus tam bene judicabat, vt bonum amplecteretur, & malum aversaretur. Et in hac primævæ sapientiæ luce posita est potissimùm imago Dei, & ratio legis naturalis cordi hominis integri inscriptæ, cuius quædam remanserunt post lapsum veluti rudera, quæ syntereses & communes notiones dicuntur.

4. Rectum temperamentum consistebat in certa quadam proportione & dispositione omnium partium corporis humani sensitivi, per quam omnes actus phantasiæ, & omnes motus appetitus sensitivi rectæ rationi sine repugnantia subjiciebantur; atque adeò pars inferior parti superiori absque vlla rebellione morigeram se præbebat. Et à tali temperamento corporis promanasset ejus immortalitas ex pacto, si homo in integritate sua perseverasset.

5. Cùm habitus concedantur hominibus, vt promptiùs & faciliùs operentur, atque adeò habitus consistat in facilitate accidentali operandi: clarum est sapientiam esse habitum animæ rationalis, rectum verò temperamentum esse habitum corporis. Sapientia enim seu clara cognitio veri & boni, facilitabat hominem ad cognitionem rerum, & rectum judicium de illis ferendum; ipsumque etiam flectebat & facilitabat ad amorem boni seu justi, & odium mali seu injusti: adeò vt eadem

eadem entitas quatenus facilitabat ad cognitionem & judicium, dicenda sit habitus intellectus, & habitus sapientiæ; quatenus verò flectebat & facilitabat ad amorem justi & odium injusti, dicenda sit habitus voluntatis, & habitus justitiæ. Vnde fit vt sapientia & justitia originalis non differant realiter intrinsecè quoad habitum, sed tantùm extrinsecè & connotativè quoad actus: eo quòd actus sapientiæ sit cognitio & judicium rectum de rebus; actus verò justitiæ ut amor justi, & odium injusti. Rectum quoque temperamentum corporis humani sensitivi facilitabat hominem ad omnes motus appetitus sui rectæ & sapienti rationi subjiciendos.

6. Cæterùm donum sapientiæ protoparentibus nostris collatum, non est naturale, id est essentiale, aut à natura seu essentia humana necessariò promanans; cum homo possit existere sine tali sapientia: sed est naturale, non autem supernaturale quoad rem; quatenus non est supra capacitatem, aut vires naturæ humanæ saltem non corruptæ; sed est perfectio debita, non personæ aut individuo alicui humano peculiariter, sed naturæ seu speciei humanæ integræ, vt actus facultatum ipsius rectè & conformiter legi Dei exerceantur. Potest tamen dici supernaturale quoad modum; quatenus est à Deo infusum aut communicatum in instanti, non autem ab homine acquisitum.

7. Homo in statu integritatis antequam tentaretur à Diabolo, habebat libertatem à coactione, seu à necessitate coactiva: quia consultò, sponte, libenter, voluntariè, & non coactè, perfectam obedientiam Deo præstabat: Et in hoc omnes Christiani consentiunt. Attamen non habebat libertatem indifferentiæ, seu libertatem à necessitate internæ dispositionis: quia species clara veri & boni, & rectum temperamentum corporis, determinabant ipsum ad bonum necessariò & infallibiliter amandum, & malum necessariò & infallibiliter odio prosequendum. Cuius rei rationes petendæ, vel ex convenientia naturali quæ inter intellectum & verum, necnon inter voluntatem & bonum agnitum intercedit: vel ex cognitione certa & infallibili quam Deus habet omnium eventuum: vel ex actu voluntatis necessariò sequentis dictamen intellectus, aut actu intellectus à propositione obiecti & dispositione subiecti necessariò determinato: quæ rationes, cum fusè sint explicatæ capite præcedenti, frustra à nobis hîc repeterentur.

8. Hinc patet eos decipi, qui existimant hominem in statu integritatis habuisse libertatem indifferentiæ ad bonum & malum: ex eo quòd mutabilis esset, & revera mutatus sit: poteratque peccare, & poterat non peccare: cum initio non peccaverit, & postea peccaverit. Nam licet homo præcise & secundum se consideratus, dici possit indeterminatus ex natura sua ad bene agendum, alioquin non potuisset nisi bene agere: & dici possit ex natura sua indeterminatus ad malè agendum, alioqui non potuisset nisi malè agere. Attamen si spectetur homo prout in statu integritatis (sicuti revera fieri debet:) certum

reâle im actu & realiter ad vnum fuisse determinatum, & per speciem claram veri & boni amasse bonum necessariò necessitate internæ dispositionis à tali specie promanantis.

9 Corruptio hominis complectitur ignorantiam rerum spiritualium & cœlestium, quales sunt resipiscere à peccato, credere in Christum, & alij actus sanctificationis: necnon vitiosum temperamentum corporis humani sensitivi à quo processit ejus mortalitas. Ex tali autem ignorantia & vitioso temperamento in infantibus, conflatur illud quod in scholis vocatur peccatum originale habituale; per quod omnes homines in hac vita habuerunt, habent & habebunt propensionem, inclinationem & facilitatem ad omne malum exercendum: excepto Christo, qui virtute Spiritus sancti ab eo fuit immunis. Dixi habituale, quia aliud creditur peccatum originale actuale, consistens in imputatione primi peccati actualis protoparentum omnibus hominibus qui ab iis per generationem naturalem descenderunt. Dixi in infantibus: nam fuerunt præterea in protoparentibus, & sunt in nobis adultis species seu imagines falsi & mali seu inhonesti, sub ratione boni vtilis & delectabilis propositi, per quas illi flectebantur, & nos flectimur & facilitamur ad quoslibet actus vitiosos exercendos: adeò vt ejusmodi species falsi & mali sint peccatum habituale acquisitum: actus verò vitiosus sit peccatum actuale proximè procedens à peccato habituali acquisito, & remotè à peccato originali habituali.

10. Alij qui ponunt animam ex traduce, id est propagari per generationem naturalem, existimant corruptionem hominis, præter ignorantiam rerum spiritualium & vitiosum temperamentum corporis, complecti etiam malam quandam dispositionem partium animæ rationalis; adeò vt sicut per vitiosum temperamentum corporis, ita per malam dispositionem partium animæ rationalis, homo inclinetur ad malum. Verùm quoniam compositio ex partibus, corporibus corruptibilibus duntaxat convenire videtur; eo quòd compositum ex partibus sit resolubile in ipsas: certè compositio ex partibus, saltem ab agente creato dissolubilibus, non potest tribui animæ rationali; præsertim cum S. Scriptura disertè pronuntiet eam esse spiritualem & immortalem. Spiritualem quidem, quia Hebr. 12. Deus vocatur pater spirituum nostrorum, sicut progenitores vocantur patres corporum nostrorum. Immortalem verò & spiritualem simul? quia Ecclesiastis 12. corpus nostrum resolvitur in terram ex qua formatum est; spiritus verò noster redit ad Deum qui dedit & creavit ipsum: Et Matth. 10. expressè dicitur animas nostras non posse interfici aut destrui à creaturis. Cæterùm corruptio spectari potest, vel in Adamo tempore lapsus, aut post; vel in nobis, sive infantibus sive adultis: de quibus aliquid breviter dicendum.

11. Ordo tentationis & seductionis talis fuit. 1. Diabolus aggreditur mu-

tur mulierem his verbis: Quasi verò Deus prohibuerit esum fructus tam eximii, vtilis & delectabilis. 2. Cum Eva respondisset, Deum prohibuisse talem esum, & minatum esse mortem si de eo comederent: Tentator vaferrimus removet eiusmodi impedimentum, & rationem dictam ab vtili & delectabili sic proponit: nequaquam moriemini, sed Deus scit vos fore sicut Deos, scientes bonum & malum, si de eo comederitis. 3. Eva adhibens fidem Diabolo, seducta est; & comedit de fructu vetito; deditque Adamo viro suo, qui etiam de eo comedit.

12. Vnde patet nocentissimam protoparentum nostrorum credulitatem, seu fidem verbis Sathanæ adhibitam, esse originem omnium vitiorum & malorum; quæ fuerunt, sunt & futura sunt in mundo. Ex eo enim quòd crediderunt Diabolo, non crediderunt se morituros, vnde incredulitas: iudicarunt se fore similes Deo, scientes bonum & malum, vnde superbia: talique iudicio facto voluerunt & appetierunt fructum delectabilem, porrexerunt manum ad ipsum, ori ingesserunt, & de eo comederunt, vnde gula, & consummatio inobedientiæ multa formaliter peccata involuentis. Cæterùm facilè crediderim Diabolum non tam paucis verbis tentationem instituisse, vt patet ex his verbis, *quasi verò*; sed eam variis modis amplificasse & adornasse: Scripturam autem pro more compendiosè eam expressisse; sicut prædicationes Christi, Ioannis Baptistæ & Apostolorum in Novo Testamento succinctè enarrantur.

13. Licet autem à pluribus Theologis nulla assignetur causa per se primi peccati, sed tantùm per accidens: quia tamen, ex axiomate vulgato, omnis causa per accidens reduci debet ad aliquam causam per se; putà Musicus est quidem causa per accidens ædificationis domus, sed Architectus est causa per se illius: ego existimo veram causam per se primi peccati fuisse hominem in statu naturali, atque adeò cum mutabilitate creatum; quatenus tamen affectum & imbutum speciebus intelligibilibus falsi & mali sub ratione veri & boni apparentis propositi.

14. Deus igitur non fuit causa primi protoparentum peccati per subtractionem gratiæ; cum species intelligibiles veri & boni in creatione communicatas ipsis non abstulerit; sed tentationem & seductionem duntaxat noluit impedire, cum posset; tum quia non tenebatur impedire; tum quia melius erat permittere seu non impedire peccatum, ut dictum est cap. 3. Deus autem semper facit quod est melius. Igitur circa primum peccatum hominis, fuit quidem aliquod decretum Dei permissivum, non tamen præceptivum aut effectivum: & permissivum quidem, non permissione otiosa ipsius peccati, sed cum directione & ordinatione ejus conjuncta, ad gloriam suam, scilicet justitiam & misericordiam manifestandam.

15 Ex his patet hominem tunc habuisse quidem libertatem à coactio-

ne; quia consultò, sponte, libenter, voluntariè, non autem coactè peccavit, ut rectè docent omnes Theologi: comedit enim de fructu vetito, quia voluit; & voluit, quia ita faciendum esse iudicavit. Attamen non habuisse libertatem à necessitate seu libertatem indifferentiæ, sed necessariò & infallibiliter peccasse; eo quòd determinatus sit necessariò ad peccandum: siquidem potentia locomotiva manus ad decerpendum fructum vetitum, & oris ad comedendum de ipso, necessariò determinata est à voluntate despoticè ei imperante: voluntas quoque determinata est à judicio intellectus, quod semper sequitur: ac tandem intellectus judicans comedendum esse de fructu, necessariò determinatus est à speciebus falsi & mali sub ratione veri & boni apparentis propositi à Tentatore immissis: quæ omnia fusè probata sunt capite præcedenti.

16. Hoc unum duntaxat repeto, Deum scire certò & infallibiliter omnes eventus & effectus futuros, atque adeò omnes effectus futuros esse certò & infallibiliter futuros, cum Deus cognoscat tantùm res prout sunt in se. Cum autem omnis effectus præsupponat suam causam; certè omnis effectus certus, determinatus & infallibilis, præsupponit causam certam, determinatam & infallibilem: si verò causa sit determinata ad producendum infallibiliter effectum; clarum est eam non habere libertatem indeterminationis seu indifferentiæ circa ipsum. Hic autem homo fuit causa, & peccatum primum fuit effectus: Ergo homo non habuit libertatem indifferentiæ circa primum peccatum. Imò si Adamus millies reproduceretur in eodem prorsus statu quo fuit cùm peccavit, sine recordatione tamen præteritorum, millies etiam infallibiliter peccaret: hîc enim valet axioma, *Idem qua idem semper facit idem.* Et cum nos simus ejusdem naturæ specificæ cum Adamo, certè si fuissemus producti in eodem prorsus statu quo ille, infallibiliter peccassemus: hîc enim valet axioma, *Similium est idem iudicium*.

17. Adamus & Eva post momentum primi lapsus; & nos ut adulti, sed nondum regeniti, eadem corruptione sumus inquinati, scilicet ignorantia rerum spiritualium aut supernaturalium, vitioso temperamento, & speciebus falsi & mali ad omnes actus vitiosos inclinantibus. Dixi, ut adulti; quia infantes hoc ultimum, scilicet species falsi & mali, nondum habent. In tali autem statu corrupto, nec Adamus & Eva habuerunt, nec nos hodie habemus ullam libertatem ad bonum spirituale aut supernaturale præstandum, putà ad resipiscendum à peccato credendum in Christum Redemptorem: quod probatur his rationibus.

18. Primò, libertas supponit cognitionem saltem possibilem rei liberè amplectendæ. At homo in statu corrupto, nec habet nec habere potest cognitionem boni spiritualis aut supernaturalis. Nam homo animalis non capit ea quæ sunt spiritus Dei, nec potest capere.

1. Cor-

1. Cor. 2. 14. Omne figmentum cogitationum cordis non est nisi malum omni tempore. Gen. 6. 5 Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium. 2. Cor. 4. 4. cæcus autem videre non potest. Et si oculus tuus sit malus, totum corpus erit tenebrosum; & si tenebrosum lumen in te, ipsæ tenebræ quantæ? Matth. 6. 23. Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis tanquam ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. 2. Cor. 3. 5 Hinc fit vt voluntas omnino sit depravata: vt nullus possit venire ad Christum nisi Pater eum traxerit. Ioan. 6. 44. vt qui sunt in carne non possint placere Deo, nec possint subjicere se legi Dei. Rom. 8 7. Vt nihil possimus facere seorsim à Christo. Ioan. 15. 5. vt mali tanquam malæ arbores non possint ferre bonos fructus, Matth. 7. 18. Non possint bona loqui Matth. 12. 34 non possint credere, Ioan. 12. 39. non possint diligere Deum. 1. Ioan. 4 20.

19 Secundò, servus qui sponte & voluntariè obtemperat mandatis varius domini inclinationi suæ consentaneis; non potest voluntariè, atque adeò nec liberè (cum omne liberum sit voluntarium) obtemperare mandatis alterius domini inclinationi suæ contrariis; nemo enim duobus ejusmodi dominis servire potest Luc. 16. 13 Sed homo in statu corrupto ante regenerationem est servus peccati, Rom 8 2, mancipatus sub ipso, Rom. 7. 14. naturâ filius iræ, id est, pœnæ servus, Eph. 2. 3. servus corruptionis & ab ea superatus, 2. Pet. 2. 19. implicitus à Diabolo, 1. Tim. 3 7. sub Diabolo mortis Imperatore per totam vitam servus detinetur, Hebr. 2. 14. Quos igitur peccati regnum, & Diaboli tyrannis vndique occupat, quomodo fieri posset vt aliquid agant quod ad nutum ejusmodi dominorum non referatur? Effectus ejusmodi servitutis voluntariæ fusè tradit Apostolus, Rom. 3. vnde fit vt irregeniti delectentur in peccatis, Prov 2. 14. & sitis avida peccandi iis adsit; bibunt enim quasi aquam iniquitatem, Iob. 15. 16.

20. Tertiò, sicut mortuus morte naturali, non potest exercere actiones vitæ naturalis: sic nec mortuus morte spirituali, potest exercere actiones vitæ spiritualis, quales sunt credere in Christum, resipiscere à peccato, & alia sanctificationis opera edere. Sed homo in statu corrupto est mortuus morte spirituali, cum sit mortuus in peccatis, Eph. 2. 2. & mortui verè sunt quotquot in mundi deliciis vivunt, 1. Tim 5. 6. vnde conversio ad Deum seu sanctificatio, à sacra Scriptura vocatur creatio, Eph. 4. 24. Galat. 6 15 secunda nativitas, Ioan. 3 3 & vivificatio, Eph. 2. 5.

21. Dixi hominem in statu corruptionis nullam habere libertatem ad bonum: Nam hominem corruptum habere libertatem à coactione ad malum, nemo dubitat; quamvis non habeat libertatem indifferentiæ ad ipsum, aut ad plura mala, vt fusè probatum est capite præcedenti. Vnde fit vt omnia irregenitorum opera sint mala, vel ex genere suo, vel ex accidente, propter defectum boni principij quod est fides, sine qua impossibile est placere Deo, Hebr. 11. tum finis legitimi qui est gloria Dei.

22. Dixi rursus, hominem irregenitum non habere libertatem ad bonum spirituale seu supernaturale, quod scilicet ordinatur ad vitam æternam: Nam quoad res hanc vitam spectantes, potest ex rationis lumine

M

multas veritates philosophicas cognoscere;& ex legis naturalis dictamine, per communes notiones in eo residuas, bonum à malo, honestum à turpi quadantenus discernere,& ex rerum creatarum intuitu in aliquam existentiæ & omnipotentiæ Dei creatoris cognitionem aut opinionem devenire. Potest etiam bonum naturale & morale prout ad civilem vitam ordinatum amplecti: Potest denique actus externos religiosi cultus præstare vel omittere, audire libenter vocem evangelici præconis ut Herodes, sacrificare ut Caïn, jejunare & orare ut Pharisæus.

23. Verùm hæc omnia irregenitorum opera, si non ex genere suo & materialiter, attamen formaliter sunt mala; tum defectu boni principij, scilicet fidei; tum defectu finis legitimi, scilicet gloriæ Dei. Pollutis enim & infidelibus, quales sunt omnes irregeniti, nihil est purum; sed polluta est eorum mens & conscientia, sunt abominandi & rebelles, & ad omne opus bonum reprobi, Tit. 1. 15.

24. Ex quibus patet, nullas esse dispositiones præparatorias & merita congrui in hominibus irregenitis; & prudentiam omnem carnis esse inimicitiam adversus Deum; & necesse esse spiritum mentis nostræ renovari si salvi esse volumus, vt disertè ait Apostolus. Et licet circa ista bona naturalia & moralia ad hanc vitam tantùm ordinata, homo corruptus habeat libertatem à coactione; nunquam tamen libertatem à necessitate seu libertatem indifferentiæ, ut fusè probatum est capite præcedenti.

25. Regeneratio consistit potissimùm in efficaci illuminatione sive mediata sive immediata animæ rationalis à Spiritu sancto; quæ illuminatio est vera reformatio partis superioris hominis per quam persuadetur electus de veritate rerum ad salutem essentialiter pertinentium: Et in hoc omnes Christiani consentiunt.

26. Consistit etiam meo iudicio, in aliqua vitiosi temperamenti corporis sensitivi correctione, quæ potest dici reformatio partis inferioris hominis, cujus beneficio motus appetitus sensitivi non ampliùs dominantur, sed potiùs rationi à Spiritu sancto efficaciter illuminatæ subjiciuntur Nam cum nostra corpora ab Apostolo dicantur templa Spiritus sancti; certum esse mihi videtur, Spiritum sanctum habitare in suo templo, id est in corporibus electorum, non tanquam idolum sine actione, sed verè in illis operantem: nihil autem convenientius operari videtur in eis, quàm correctionem temperamenti corporis sensitivi, cujus beneficio affectus seu motus appetitus irascibilis & concupiscibilis rectæ rationi submittuntur. Et revera cum idem fidelis magis sit propensus ad cultum Dei, & majori zelo ferveat vno tempore quàm alio, licet diversis illis temporibus sit æqualiter illuminatus; certè id non videtur refundi posse nisi in meliorem dispositionem corporis humani sensitivi, seu correctionem temperamenti, iuxta beneplacitum Dei. Adde quòd cum corruptio consistat etiam in vitioso temperamento, ut suprà dictum est; valde probabile est regenerationem complecti etiam aliquam correctionem ipsius. Denique cum corpus Christi capitis nostri fuerit plenè ac perfectè sanctificatum à Spiritu sancto; valde probabile est corpora membrorum Christi, scilicet fidelium, imperfectè sanctificata esse ab eodem Spiritu.

27. Dixi, meo iudicio: *Si enim regeneratio referatur ad solam illuminationem*, non multùm repugnabo; modo statuatur Spiritum sanctum tam potenter & efficaciter hominem illuminare, vt infallibiliter intellectum persuasum reddat, & flectat necessariò voluntatem & appetitum ad obsequium. Et inde discrimen inter integritatem Adami & sanctitatem fidelis, potissimùm desumendum esse existimo: Licet enim vtriusque integritas aut sanctitas habeat idem principium effectivum, scilicet Deum; non tamen conservativum; quoniam principium conservativum integritatis Adami fuit naturale, scilicet ejus anima intellectiva, cum Deus reliquerit ipsum in manu consilij sui: at principium conservativum sanctitatis fidelium est supernaturale, scilicet Spiritus sanctus, qui facit vt promissiones evangelicæ de Christo Redemptore, & mandata Domini de resipiscentia à peccato, & fide in Christum, ita firmiter adhæreant ipsis, vt infallibiliter persuadeantur de veritate ejusmodi promissionum & mandatorum, & necessariò flectantur ad obsequium. Licet autem interdum peccent, eo quòd eorum regeneratio sit imperfecta; non tamen finaliter; nec ita indulgent peccato, vt eo delectentur, & peccatum in ipsis regnet & dominetur.

28. Ex supradictis facilè colligitur hominem in statu regenerationis habere quidem libertatem à coactione; quia nemo coactè credit & confugit ad misericordiam Dei per Christum, sed sponte & voluntariè, vt omnes fatentur: non tamen habere libertatem indifferentiæ seu à necessitate; quia in omnibus suis actibus determinatur ab aliquo. Si enim certò & infallibiliter credat Christum mortuum esse pro ipso, id fit quia sentit se confugisse ad misericordiam Dei per Christum, & persuasus est Christum mortuum esse pro omnibus credentibus in ipsum & confugientibus ad ipsum. Si confugiat necessariò ad Deum & Christum, determinatur necessariò à persuasione doctrinæ evangelicæ mandantis confugiendum esse ad Deum & Christum vt salus obtineatur. Si persuadeatur de doctrina evangelica, determinatur necessariò ab operatione Spiritus sancti, temperamentum corporis corrigentis, & species veritatis evangelicæ debitè imprimentis, rectè disponentis, illustrantis & fortiter radicantis in ejus animo. Si peccet interdum per infirmitatem, vt sæpius accidit, determinatur necessariò à reliquiis corruptionis; est enim tantũ imperfectè regenitus; vnde fit vt cũ ducitur carne, necessariò malè agat; & cũ ducitur Spiritu, necessariò benè agat.

29. Scriptura Sacra idipsum clarè demonstrat, cùm vocationem & regenerationem nostram appellat creationem, Eph. 2. 10. & 4. 24 vivificationem & suscitationem à mortuis. Eph. 2. 5. abductionem cogitationis in captivitatem ad obtemperandum Christo. 2. Cor. 10. 5. quod enim creatur necessariò recipit esse, & quod vivificatur non resistit, & qui abducitur in captivitatem superatus est. Item, cùm Deus dicitur *producere efficaciter in nobis & velle & perficere secundum beneplacitum suum*, Philipp. 2. 13. Non enim tantùm facit vt possimus velle & operari aut perficere, sed facit vt velimus & operemur, id est producit in nobis aliquid per quod necessariò & infallibiliter volumus: siquidem hoc producit efficaciter, vt distinguatur gratia salutaris quæ est in electis, à gratia reprimente & coer-

e.. q.. est in reprobis: illa enim efficit velle & perficere bonū spirituale & supernaturale; non ista: idque efficit juxta DEI beneplacitum, non juxta voluntatem aut arbitrium liberum seu indifferens hominis. Rursus, cùm Apostolus Ephes. cap. 1. vers. 19. Deus dicitur *nos illuminare vt sciamus supereminentem magnitudinem potentiæ suæ erga nos qui credimus secundum virtutem potentiæ roboris ipsius*, id est vi potentissima & quanta maxima in eo genere exeri potest; nonne clarum est Deum tunc esse potentiorem homine, atque adeò gratiam Dei salutarem in electis esse tandem irresistibilem? Præterea, *Deus dat credere*, Philipp. 1. 19. *Venire ad filium*, Ioan. 6. 65. Dat igitur gratiam quâ non tantùm electi possunt credere si velint, sed reipsa & infallibiliter credunt, quia Deus vult. Et Ioan 6. 45. *Quicunque audivit & didicit à Patre, venit ad me:* qui igitur illuminatur à Patre, non tantùm potest venire, sed venit revera ad Christum, id est credit in ipsum. Et Ezech 36. 26. Deus decit, *auferre cor lapideū & dare cor carneum*: q... non possunt cum æquilibrio & indifferantia voluntatis consentire: opponuntur enim cor carneū & cor lapideū inter se, tanquā animi durities & conversio.

30. Ratio etiam idipsum demonstrat. Nam in Evangelio summum bonum proponitur per fidem in Christum obtinendum: Qui igitur virtute Spiritus sanct persuasus est de hac veritate, necessariò credit, vt tale bonum obtineat: voluntas enim necessariò & infallibiliter amplectitur id quod est bonum summum nisi tale fuerit judicatum, vt omnes fatentur. Deinde, omnes actiones humanæ divinæ providentiæ subjiciuntur. Nam *à Domino sunt gressus viri*, Prov. 20. 24. *Cor Regis est in manu Iehovæ, & ab eo instar rivi aquarum inclinatur quocunque voluerit*. Prov. 21. 1. *A Deo habemus esse, vivere & moveri*. Act. 17. 28. Ergo omnes bonæ actiones voluntatis necessariò à Deo pendent saltem mediatè: objecta enim immediatè pendent à Deo, intellectus pendet ab objectis, voluntas verò ab intellectu: non igitur voluntas est indifferens aut in æquilibrio. Adde quòd, si voluntas sit indifferens & indeterminata, actus ejus erant etiam indeterminati & incerti. si verò actus eius sint incerti & indeterminati, id est non fiant certò & determinate futuri; Deus etiam non cognoscet certò & determinatè eos; qualis enim est natura rerum, talis est natura veræ cognitionis earum; cum veritas consistat in conformitate conceptus cum re cognita: At Deus certò & infallibiliter cognoscit omnes actus futuros voluntatis, & omnes eventus & effectus futuros, vt patet ex prophetiis de Christo & Antichristo, ex prædictionibus proditionis Christi à Iuda, abnegationis ejusdem à Petro, &c. Rationes aliæ libertatem indifferentiæ destruentes fusè sunt explicatæ capite præcedenti.

31. Glorificatio consistit potissimùm in visione seu perfecta cognitione Dei, amore & gaudio perfecto illius: In illo autem statu hominem habere libertatem à coactione, non habere autem libertatem à necessitate seu libertatem indifferentiæ, omnes admittunt. Ideo in iis non immoror.

FINIS.